Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Abraham Calov

Metaphysica Divina è principiis primis eruta in abstractione Entis representata ad SS. Theologiam applicata, monstrans Terminorum & Conclusionum Transcendentium usum genuinum abusum haereticum Pars Generalis operâ M. Abraham Calovii Porussi ...

Rostochi[i]: Reusnerianus, 1636

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0001
DFG

Lb-3113.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0003
DFG

בשש

METAPHYSICA DIVINA

è principiis primis eruta,
in abstractione Entis repræsentata,
ad SS. Theologiam applicata,

monstrans

Terminorum & Conclusionum Transcendentium,

usum genuinum
abusum hæreticum

PARS GENERALIS

operâ

M. ABRAHAM CALOVII Porussi

1. Met. c. 2.

τὸν ἄνθρωπινὴν νομίζοιτο αὐτῆς
ἡ κτῆσις.

ANNO M DC XXXVI.

RostochI,
PRÆLO REUSNERIANO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0005
DFG

Scaliger

Exerc. 307. s. 20.

RAtionibus agendum est Viro VERITATIS studioso, non Tullianis, Platonicisvè pigmentis. Declamationes enim ambitiosorum opera, otiosorum cibi sunt: Naturæ divinitatisqi negotiis impedito animo studendum est ei brevitati, quæ res æquet verbis, demonstrationes certas habeat pro nectare.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

AMPLISSIMI

SENATUS

cùm

PALÆOPOLITANI

tùm

CNIPHOVIANI

In Monte Regio Porussorum

NOBILISSIMIS & CONSULTISSIMIS

DN. CONSULIBUS

PRUDENTISSIMIS & SPECTATISSIMIS

DN. SENATORIBUS

PATRIÆ PATRIBUS

laudatissimis

Dn. Mecænatibus & Promotoribus omni observantiâ & honore ætatem suspiciendis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0007
DFG

Gratiam Dei

perpetuam!

NOBILISSIMI & AMPLISSIMI DN. CONSULES, ut & Prudentissimi atq; Consultissimi Dn. SENATORES, Patriæ Patres optimi, Mecænates æviternùm honorandi,

Quod *Eulogium universæ Philosophiæ tribuit* Clemens Alexandrinus, *quando eam vocat* humanarum artium Reginam ac Dominam, Theologiæ vallum, & divinæ Sapientiæ radium, *id singulari quodam jure sibi vendicat* prima Philosophia, *quæ virtute in sese reliquas complectitur omnes, quotquot merentur dici Philosophicæ disciplinæ. Hæc est* artium humanarum Regina ac Domina, *judicio* Archi-Philosophi. *Hæc* Theologiæ vallum *est, vel, quemadmodum habet* divinus Plato, θεϊκός καὶ πύλη. *Hæc est* Divinæ Sapientiæ radius, *ist hoc nomine præ cæteris communi omnium voce inscripta*

pta Σοφιά καὶ θεία τῶν ἐπιτήμων. Munere fungitur REGIO, quum ut Sapiens νομοθέτης leges præscribit, ut prudens arbiter limites scientiarum definit, ut justus judex Themidi præsidet in controversiis ad normam legum decidendis, deniq; ut potens Imperator dissidia componit, in herciscundis scientiarũ ditionibus, quæcunq; suborta fuerint in regno Philosophico. Ita unum REGINÆ nomen admirabili vocis ambitu complectitur omnia Metaphysicæ munia, ejusdemq; naturam graphicè exhibet. Ut a. prima Philosophia non hæreticorum armamentarium sed veræ Theologiæ vallum sit, necessum est, adornari eandem non minus juxtà Divinam in Scripturâ revelationem, quàm secundum mutuam rerum in Naturâ cognationẽ ob infallibilẽ unius simplicis veritatis hypothesin. Profecto hæresium penè omniũ causa si non unica, saltim potissima hæc est, quod authores earundem res mysticas ex ingenio rerum prædicamentalium æstimarint, id est, DEUM ex abjectæ creaturæ conditione. Dicam clarius. Quamprimũ ea, quæ in Scripturis habent evidentissima veritatis testimonia ad leges Naturæ revocari ceperunt, & divina Revelatio sisti ad humanæ Rationis tribunal, damnata est cælestis veritas, & exulare debu-

debuit, at imperium tenuêre hæreſes in liripipio ſtultæ mentis enatæ, vel potius ex Erebi faucibus eructatæ. Hinc eſt, quod Divus Apoſtolus τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς dicat eſſe ἔχθραν εἰς Θεὸν Rom. 8, 7. quod Tertul. l. 1. de præſcript: hæret: c. 3. judicet ex Philoſophorum ingenio hæreſes omnes animari, & Philoſophos patriarchas hæreticorũ appellet l. 1. adv. Marc. quodq; orthodoxi Patres pene omnes, Arnobius Ireneus, Naziazenus, Cyprianus, Epiphanius, Athanaſius, Baſilius, Prudentius, Chryſoſtomus, Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, &c. Philoſophiam è Chriſtianâ Rep. tantùm non exterminandam cenſeant. Quod qui imputant ipſi Philoſophiæ, næ illi nondum intelligunt, quid diſtent æra lupinis. Vallum eſt munimentum civitatis. At quum hoſtes id occuparint, civitatis ſalus periclitatur. Non eſt hæc valli culpa; ſed hoſtium prædominatur potentia. Quod ſi vallum ſit inexpugnabile, nullum inde civitati periculum. Muniatur prima Philoſophia è primis principiis, quæ ἀναντίρρητα, καὶ ἀνυπεύθυνα ſunt; nec ab eâdem metuendum erit Theologiæ. Quod plusquàm ducentis exemplis demonſtratum hâc στοιχειώσει ἐντολογικῇ. Deniq; Radium divinæ ſapien-

sapientiæ ita *demum fore Metaphysicam censeo quando eadem fuerit in* abstractione Entis *repræsentata, præscindendo tàm ab* infinito, *quàm* à finito, *ut scilicet transcendentia æstimentur non saltim ex* universis rebus prædicamentalibus, *quod vulgò fieri solet, sed & è* mysticis, *quod ob terminorum, quam vocant, transcendentiam, & analogicam applicationem ad res mysticas omninò est necessarium. Atq; hæc fuit causa potissima, quod* horas subcesivas *meditationibus primo-Philosophicis impendere voluerim, ne & illas malè locarem.* Non *enim* tam benignum & liberale tempus Natura nobis dedit, ut vacet aliquid ex illo perdere. *In eo ergò laborandum duxi, ex quo fructũ ferre poterant studia Theologica, memor illius* Benſiræ *qui nepos* Jeremiæ Prophetæ *apud priscos creditur* Garmach dinphal bechilkach Gardeh, *quod ferè quadrat cum Græcorum adagio* Σπάρτην ἔλαχες ταύτην κόσμει. *Scilicet asserenda erat* Regia dignitas Metaphysicæ *adversus osores. Muniendum* vallum Theologiæ, *ut hæreticis modernis esset inexpugnabile.* Radius divinæ sapientiæ *illustrare debebat mẽtes plurimorum, ut fugarentur ignorantiæ tenebræ plus-*

quam

quam Cimmeriæ. Vnâ fideliâ tres parietes, quod dicitur, dealbare volui. Idcircò Metaphysicam ita repræsentavi, ut Regio munere fungi posset, & impetum hæreticorum, Socinianorum, Cinglianorum, Jesuvitarum sustinere, & ut tyrones divinâ sapientiâ non è lacunis Philosophi, sed è fonte Scripturæ & Naturæ haustâ imbuerentur.

VOBIS verò Nobilis. & Amplissimi Consules, Prudentis: & Consultissimi Senatores, Mecænates Optimi Maximi, ea quâ par est, devotione consecro divinã Metaphysicam. Vos Regitis Rempublicam Patriam laudabiliter; Vos sacrosanctæ Theologiæ vallum & munimentum in Patriâ estis fortissimum. Vos Radios sapientiæ & Prudentiæ, addo & Munificētiæ spargitis, quaquà versum illustrissimos, ut Reipublicæ, Ecclesiæ, omnibusq; bonis lux vestra affulgeat. Vestrâ dignitate splendorem conciliabitis scientiarum Principi. Vestrâ auctoritate adversus Sycophantarum impetus magis magisq; munietis hocce Theologiæ munimentum. Vestri deniq; benivolentissimi, quem nulli bonæ mentis Candidato denegastis unquam,

stri-

stricturas *quasdam in hunc qualemcunq; sapientiæ divinæ radium, & in studia mea derivabitis.*

Quod cum planè cõfidam, Patroni & Promotores mei honoratissimi, nõ desisto summum Numen venerari, ut Vos omnes & singulos diu Patriæ superesse velit. Sic enim spero conservabitur Orthodoxa veritas in monte Regio, sic vige-

bunt.

bunt ſtudia literarum ab iſtâ luce colluſtrata. Roſtochij è meo Muſæo. 16. Maij. Anno Gratiæ Noviſſimæ

M. DC. XXXVI.

V. V. N. N. A. & P.

obſervantiſſimus

M. Abraham Calovius
Perusſus

LECTO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0014
DFG

LECTORI
VERITATIS STUDIOSO
&
BENIVOLO
SALUTEM!

Duo sunt, quæ in antecessum te volo. Primum amicè contendo, ut asseras animum veritatis studiosum. Hæc enim mihi unica meta, ad quam DEO DUCE contendi. Utinam eandem ubiq; assequutus essem! Sed quî polliceri id mihi ausim, quando video â Magnis Viris hêc aberratum & sæpissimè, & gravissimè. Quanquam ubi hoc videre licuit, eò facilius ê deviis potuerim devenire in Veritatis viam regiam. Verum nec istud fortassis semper valui perspicere, utut cavere semper voluerim. Mihi sanè nihil antiquius, nihil potius, quam supernam lucem sequi: sine quâ omnis nostra in literarum studiis peregrinatio tantùm est miserabilis quædam erratio. Lucem autem supernam sequi non possumus, nisi ubiq; Scripturam & Naturam respexerimus: Unde non prius ad devia abrepti fuerunt alij, quam vel alterius vel utriusq; ductu destituti. Pars eorum nec Naturam nec Scripturam attendit, sive natura cæca, sive aliorum authoritate excæcata; Pars Naturam respexit unice; Scripturam consulere vel non potuit, vel noluit, cujus causam pererat sive simplex sive affectata igne-

ignorantia. Hinc tot errores, tot hæreſes. Ariſtoteles *Philoſophorum princeps facilè excuſatur, quia altero quidẽ oculo res in Naturâ repræſentatas obſervavit perſpicaciſſimè, altero verò, quò res in Scripturâ revelatas intueri debuit, plane deſtitutus fuit. At qui hodiè in tantâ luce nonniſi uno illo utuntur oculo in θεωρίαν tranſcendentium, videant, ne altero ſemetipſos privent, alioſq; cæci ductores in errorum præcipitia deducant, vel ſeducant.* Philoſophos *noto quosdam, &* hæreticos *plerosq; omnes, ut quod ſentio, liberè dicam.* Iſti *ſunt quicunq; primam Philoſophiam diſciplinam abſtractiſsimam ita adornant, & adornandam cenſent, ut in inveſtigandâ formali ratione transcendentium* Natura *tantum attendatur, & quæ in Naturâ repræſentantur, nec opus judicant, ut conſulatur* liber Scripturæ, *& quicquid in eodem legitur. Qui certè nunquam exhibebunt Metaphyſicam in* abſtractione Entis *; nec tueri poterunt, quod aſſerunt cum Philoſopho,* Metaphyſicam *eſſe diſciplinam* γενικωτάτην, generaliſsimam, *& objectum ejus eſſe* Ens, quâ Ens *ſub* abſtractiſsima ratione, *ut eſt* primum ſcibile. *Nam abſtrahere non potes communem rationem niſi ab his, quæ tibi cognita ſunt & perſpecta. Quomodo ergò ab* infinito *pariter &* finito, *â* rebus myſticis *&* prædicamentalibus *præſcindi poterit cõmunis conceptus Tranſcendentium, niſi prius conſtiterit tàm* infiniti *natura, quàm* finiti, *& indoles tàm* myſticorum, *quam* prædicamentalium ! *Illa a. conſtare nõ poteſt præterquam ê* Scripturâ, *quum in naturali rerum repræ-*

repræsentatione non habeantur ulla mysteria. Ita Essentiæ, Perfectionis, Unitatis, incommunicabilitatis Durationis, Ubietatis, Principij, Causæ, Simplicis, identitatis essentialis, distinctionis realis, oppositionis relativæ, imaginis &c. *formalis ratio in abstractione summâ constitui nequit, si tantummodò hemisphærium inferius naturæ consideremus, & si ex eorum, quæ in eodem repræsentantur* Essentia, Perfectione, Vnitate, incommunicabilitate, Duratione &c. *abstrahere communem & generalissimum cõceptum eorundem conemur, tùm oppidò fallemur. Nam communis conceptus competere etiam debet* rebus mysticis, *&* Enti infinito. *Deus a. ex abjectæ creaturæ conditione æstimari non debet. Res mysticæ sunt* suprà naturam. *Ex iis ergò, quæ* in Naturâ sunt, *judicandæ non sunt. Secus si fiat, patens erit hæresibus via. Quemadmodum exemplis benè multis per totum opus ostendimus. Similiter* Conclusiones Transcendentales *nequeunt erui è sola* rerum affinitate *&* principiis cognitionis Naturalis. *Attendendum simul ad* Scripturæ veritatem *&* principia Theologica. *Nam quæ Conclusiones adeò universales & generales esse debent, ut verificentur de omnibus, quæcunq; sunt, illæ utiq; eruendæ sunt ê* consideratione naturæ rerum omnium, *quæcunq; sunt, sive illæ cõstent nobis lumine* rationis, *sive* lumine revelationis. *Alioquin fiet,* ut universalis *habeatur Conclusio, quæ neutiquam est universalis, sed in Theologiâ patitur ἔνστασιν aliquam. Profectò non minima* hæreseos

seos Socinianæ *causa est, quod hoc non attendant. Quando enim observant in* Naturâ omnem personam obtinere propriam essentiam numero diversam ab alijs; Omne singulare esse incommunicabile; Omne principium naturâ prius esse suo principiato; Omnem distinctionem realem esse distinctionem essentialem; omnia opposita esse diversæ essentiæ: nullam imaginem esse illud ipsum, cujus est imago: &c. colligunt inde axiomata generalia, *& transcendentia, quæ absolutè & universaliter vera pronunciant, quam in naturâ nullam ἔνσταιν patiantur. Quæ si talia dici patiemini, Viri* Philosophi, *quid quæso agetis aliud, quàm ut frigidam affundatis hæresi Photinianæ. Nam sub istis transcendentibus & universalibus principijs* Sociniani personas divinas, essentiæ divinæ singularitatem, hypostaseon distinctionem realem, oppositionem relativam *&c. subsument, adeoq; invictè vestrâ quoq; sententiâ demonstrabunt hæresin suam è Metapysicis principijs. E contrà* abstractio terminorum *urgenda est: &* conclusiones *ad* prima cognoscendi principia *revocandæ, quæ sunt.* Quicquid DEUS dixit, hoc verum est, & Impossibile est idem simul esse & non esse. Istud *ad revelationem divinam,* hoc *ad rerum affinitatem, & repræsentationem cuncta vult exigi. His quicquid congruit acceptandum est:*

est: *Quod ab iisdem discrepat, rejiciendum. Quæ si ubique attendent Philosophi, nec admittent quicquam in Metaphysicis, præterquam quod hisce innitatur principiis, ita tandem exhibebunt primam Philosophiam ab omni errore immunem & illibatam. Imò verò* ego sic judico, tum demum fore quietas & beatas Ecclesias, si aut Philosophi (*Metaphysici*) verè dent operam Theologiæ, aut Theologi philosophentur piè, *ait gravissimè* Schegkius l. 1. demonstr. *Jam si ex adverso causa dicenda sit, ex quâ turbæ potissimum sunt ortæ in Ecclesiis, non dubitarem asserere, hæresium hanc esse facilè principem causam: quod earum authores non sint* philosophati piè. *Etenim dum* naturæ *unicè intenti fuere, & ad ejus leges vocarunt* mysteria fidei, *posthabito pio S. literarum studio, & scrutinio, hoc ipso abrepti sunt ad errorum devia, & in hæreses sese præcipitarunt. In exemplum cito modernos hæreticos,* Socinianos *cumprimis,* Cinglianos, *&* Jesuitas, *qui hoc, quod dixi nec erubescunt verbis profari, ut soricis instar seipsos prodant, & reipsâ idem exprimunt. Verba eorundem producerem. Sed* quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt. *Liceat mihi unum atq; alterum in medium sistere* E. Pontificiis Cardin. Bellarminus l. 2. de just. c. 7. *ita ratiocinatur adversus justificationem fidei in Script. S. evidentissimè propositam.* Fieri non potest, ut justitia

tia Christi imputetur, & pugnat cum rectâ ratione ita nobis justitiam Christi imputari, ut per eam formaliter justi nominemur & simus. *Num hoc est piè philosophari, fidem vestram obtestor Jesuitæ? Quæ in Scriptura clarissima habent testimonia, velle rationis prætextu reijcere! Simile est, quod* veritatem transsubstantiationis (*verius figmentum dixeris*) probare conetur ex congruentia secundum naturam l. 3, de Eucharist. c. 22. *quodq;* in præfat. de Sacr. Eucharist: censeat; Realem Christi præsentiam in Eucharistia probandam esse ex judicio Rationis. *Quasi é* naturâ *judicandum esset de veritate* Scripturæ: *& ad humanæ rationis trutinam exigenda divina revelatio? Sed Papistis fortè id condonandum, quum hoc sit eorundem πρῶτον ψεῦδος, quod his verbis proponit* Petrus â Soto p. 84. assert. Cathol. fidei. Non est Spiritus Evangelici, soli Scripturæ intentum esse. *Verumenim verò non sunt meliores hisce* Cingliani, *modò non essent deteriores. Verissimè de iis pronunciavit olim* Philip. Melanchthon in Epist. ad Gorlich. Pastor. Brunsvic. anno 1530. quod nullam habeant Christianam doctrinam, tantum pueriliter philosophentur. *Quando enim semel ad animum admiserunt,* DEUM non proponere nobis credendas res incomprehensibiles, *quæ erat vox* Cinglij in Colloq. Marpurg. Anno 29. *referente* D. Luthero. tom. 4. Germ. Jenensi p. 468. (*sc. juxta illud* Justini in expos. fidei p. 304.

p. 304. τὰ ἡμέτερα ὑπερ καταλήψιν) *liberè grassantur in mysteria, & quæ nonnisi è Scripturâ constant, rationis decempeda dimetiri conantur, nec non principiis Philosophicis articulos fidei solâ divinâ revelatione manifestatos impugnare. Causam si quæras, omnium nomine respondebit* Petr. Martyr. præf: sup: libr. Rêgũ, quia non tàm verbum divinum, quàm verba naturæ sequenda sunt in Theologiâ. *Quod enim hic θεωρητικῶς præcipit, hoc πρακτικῶς aliorum loquitur. Ita audias creberrimè ipsos oppugnare* expressam literã Testamenti Christi sacratissimi *principiis rationis, quia* nullum corpus pluribus locis possit adesse, *negare adversus clarissimum Scripturæ Solem* divinorum ἀξιωμάτων communicationem, *quum* nullum proprium communicari queat, *in dubium vocare* electionem ex ñde *contrà evidentissima Verbi divini dicta, quia* quod æternum est, â temporalibus limitari nequeat, *evacuare* Baptismi virtutem, *contradicentibus licet apertis SS. oraculis, quia* res materialis nequeat esse causa rei spiritualis &c: *Quantò rectius* Jodoc. Nahum Domin: 1. Advent. p. 18. DEI decreta (*Mysteria*) non sunt stultæ rationis trutinâ ponderanda aut examinanda. Sociniani *si audiendi*, nihil erit credendum, quod ratio testetur esse falsum *juxta* Ostorod. in instit. p. 42. *Hinc reprobabitur* mysterium Trinitatis, *quia rationi adversatur*, unionis personalis, *quia ratio idem falsum esse testatur*, generationis Filij à Patre ab æterno, & satisfactionis Christi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0021
DFG

ni pro peccatis, *quia hæc itidem ratio non admittit, ut concludit* Catech. Racov. p. 33. 48. 55. 65. &c. *Verumenimverò, ut gravissimè pronunciat* Chrysost. Magnum est periculum res fidei humanis commitere rationibus, hom. 21. in Genesin. *Quocirca quæ perspicuis & apertis verbis in Scripturis sunt tradita, simplici fide sunt acceptanda, atq; ex eorundem* Veritate, indefinita atq; illimitata rationis principia *limitanda ac definienda, neutiquam v. ex* horum illimitatâ generalitate illorum veritas *evertenda est. Vrgent isti homines:* Scripturam non esse contrâ sed suprâ rationem: *Sed reipsâ testantur, quod* rationem *non modò efferant* supra Scripturam, sed & contra Scripturam. *Quandoquidem expressam Scripturæ literam deserant & respuant idò saltim, quod ratione ejusdem mysteria assequi non valeant, nedum comprehendere. Non ergò dicuntur* mysteria fidei ipsis suprà rationem, *quod* ratione comprehendi *non possint* in Scriptura revelata. *Sed quod* investigari *non possint* sola ratione *absq;* externâ Spiritus S. per Scripturas revelatione. *Scilicet, nihil in Scripturis dici volunt, utut dictum sit evidentissime, quod ratione comprehendi nequeat, ubi cognitum fuerit. Error pestilentissimus; imò primum hæreseos Socinianæ principium* [illegible] *quod alibi,* dante DEO, *demonstrabitur. Hinc omnia fidei mysteria satagunt ratione comprehendere, & quum nihil credant, nisi quod ratione comprehendant, inde nulla tandem retinent mysteria, omnia evacuant,*

cuant, *adeoq; rationem ita elevant* supra Scripturam., *Ne verò videantur id* sine ratione *agere, producunt in aciem rationis argumenta adversus ista mysteria, eorundemq; propriam sedem in Scripturâ S. adeoq; armant* rationem adversus Scripturam. *Et adhuc jactitant se* rectâ ratione uti, & per Spiritum S. illuminatâ. *Scilicet* ratio deserens lumen Spiritus S. *& Verbum Divinum est secundum* ipsos ratio illuminata Spiritu S. *& Verbi divini lumine. Perinde ut is, qui ductum Spiritus S. in actionibus suis non sequitur, sed carnis suæ concupiscentiis obtemperat,* homo renatus est & spiritualis. *Ego verò judicarim; rationem quæ ex suis principiis contradicit revelationi disertæ, nihil minus esse quam* illuminatam, *nec ullatenus audiendam esse, quod tùm non contineat sese intra suam sphæram, quando judicium affectat de his, quæ sunt meræ* revelationis, *quippe de quibus vera an falsa sint, ex suis principiis nunquam judicare possit. Sed ut redeam ad illud, unde digressus sum, iterum dico,* nulla posse vel debere constitui principia universalia in abstractione Entis, *nisi fuerint* inductione omnium, *quæ sunt, sivè* naturalia *sint, sivè* mystica, roborata, & *intuitu tùm* revelationis Scripturæ, *tùm* repræsentationis Naturæ *constituta; si quidem* hæreticorum Magistris *omnis commeatus, & omne viaticũ subtrahẽdũ sit,*

sit, quod sibi pollicentur ê primâ Philosophiâ. *Quâ de re* cùm *in* MonitisSect. 1. Proœmialis *quædam dicta sunt*, tùm *per totum huncce tractatum* exempla pluria *commonefaciunt. Hoc enim est, quod volumus* ὀντολογίαν *nostram* in abstractione Entis *adornare, omnes cõclusiones é primis cognoscẽdi principiis eruere, & nequid forsan desit circa singulas ferè* partim usum *genuinum ostendere & adserere*, partim abusum *hæreticum* Jesuitarum, Cinglianorum, *cumprimis* Socinianornm, *& quidem inter hosce maximè* Crellij, *qui conspicitur in* libris de unoDeoPatre, *detegere, atq; refellere. Hinc enim* ὀφθαλμοφανῶς *patet, quomodo è* Scripturæ *paritèr* & Naturæ *consideratione* termini cõmunissimi *abstractè definiri &* conclusiones *primo philosophicæ* generales *adornari, & explicari debeant; ut verè* DIVINA *audiat* Metaphysica. *Nam utut Philosophus suis quibusdam rationibus* divinitatem Metaphysicæ *adstruat*, 1. Met: 2. *tamẽ haud immeritò judicam°; ita demũ eandẽ* verè divinã *fore, si intuitu* divinæ revelationis *in* Scriptura *&* repræsentationis *in* Naturâ *in* abstractione Entis â finito & infinito, â prædicamentalibus *&* eminentibus *constituta fuerit. Non est illa* Metaphysica, *quæ authorem habet* Aristotelem, *vel ullum alium hominem, sed quæ ipsum* DEUM *authorem agnoscit, &* in Scripturâ ac Naturâ *veluti legitur, unde etiam unicè eruenda est; quod quidem nos optimorum quorumvis* Theologorum *&* Philosophorum *sequuti vestigia, affectavimus, utrum verò assequuti*

simus

simus, penes te erit, cordate Lector, *judicare. Quan-*
quam etiam in eorum gratiam, qui majori impudentiæ
nescio an insciti Metaphysicam traducunt, Divinam eam
inscribere libuerit, quum verissimè censeamus dictum à
Philosopho (quicquid etiã alij blaterẽt osores, ignoran-
tes) 1. Met. c. 2. ἐκ ἀνθρωπίνη νομίζοιτο ἀυτῆς ἡ κτῆσις.
Sed ad alterũ devenio præfationis caput; ubi tuã obte-
stari oportet humanitatẽ, Lector, ut animũ adferas beni-
volum. Quum enim in hâc imperfectione nihil sit per-
fectionis, tuum erit, omnia ex scopo æstimare. Nam in
magnis & voluisse sat est. Magna utiq; volui, tenta-
vi; sat esto per tuam benivolentiam, voluisse, tentasse,
sicubi per omnia obtinere, & assequi non potui. Au-
gustinus desiderabat in scriptis suis non solùm pium le-
ctorem, sed etiam liberum correctorem. Idem hîc mihi
votum. Verum quemadmodum lectorem non mihi, ita
nec correctorem sibi addictum esse: ut illum non me pote-
ns, quàm ipsam Lucem, sic istum non se magis, quàm
Veritatem amare par est. Divinum Metaphysicæ est
officium, á quo ipsa cæterarum Domina 1. Poster: 7.
& Regina 3. Met. c. 2. nec non ἀρχικωτάτη 1. Met. c.
2. salutatur. Partes ejus tres sunt. Inferiorum di-
sciplinarum directio, conclusionum è primis prin-
cipiis confirmatio, & omnium, quæ sunt, in uni-
versali, cognitio; quemadmodum accuratè docetur 1.
Met: c. 2. Has veluti sacram Cynosuram, respeximus in
Sapientiæ primæ στοιχειώσει, ita demùm judicantes
Metaphysicam Reginæ scientiarum nomine dignam es-
sè indi-

se, si talem se ipsâ præstet, qualis haberi vult, & vice versâ indignam esse hoc titulo, quæ ista sua munia non exequitur. Rex *enim æquivocè tantum rex est, nisi regat subditos.* Inde Methodus & tractationis nostræ ratio *patet.* Summum & primum Metaphysicæ munus est dirigere inferiores disciplinas. Ipsa nullâ dirigitur, alias a. dirigit. Istius causâ 1. *necessaria fuit* Metaphysicæ præcognitio. *Quum enim scientiarum summa sit, debuit sibi ipsi fundamentum jacere in προγινωσκομένοις, secus at q3 aliæ, quæ præsupponunt hancce tanquam summam & directricem. Quia verò nobis propositum erat singulari quâdam ratione ὀντολογίαν exhibere, operæ pretium erat, antequam ad alia accessus fieret, monitis quibusdam ἀξιομνημονεύτοις de* Metaphysicæ adornatione, ut & tractationis ordine & partibus *nos instruere, aliùq3 viam aperire ad ipsam tractationem. Quorum necessitas & ratio non potuit constare, nisi præmissâ* consideratione *de ὀντολογίας* constitutione & partitione. *Idcircò ex eâdem colligere volui* monita. 2. *Necessaria fuit* Entis, *Objecti Metaphysicæ,* præcognitio. Inferiores disciplinæ *objectum suum non præcognoscunt, sed præcognitum supponunt in Reginâ scientiarum. At* objectum Reginæ scientiarum *non potest alibi præcognitum esse. Aliàs ipsa non esset summa & princeps scientiarum. Quocirca opertet, ut ipsa idem præcognoscat,* tùm

quoad

quoad quid nominis tùm quoad *quæstionem* an sit? *Vnde duo fuêre προγνώσεως istius capita summa.* Nominis Entis evolutio, & adæquata Objecti Entis quà Entis constitutio, *ut nomine primùm declarato tandem constaret, sub quâ ratione Ens sit objectum primæ Philosophiæ, scil: non prout æquivocè accipitur, sed in quantum est* positivum, reale, actuale & incomplexum. *Cæterum quò Metaphysica alias disciplinas* dirigat, *tenetur ipsis* tùm *leges præscribere*, tùm *limites constituere, ut ad normam legum sese componant, & intra limites suos sese contineant*, tùm *denique controversias subortas in disciplinis inferioribus decidere, juxta illam normam, quam dedit, & istos terminos, quos constituit.* Leges *quidem tradit, quando* principia generalissima & communissima *proponit, quæ sint norma omnium statutorum disciplinarum, adeò ut nihil hic adseri vel statui debeat, quin ad* normam *istam congruat. Quod præstat* Metaphysica, dum versatur in simplici Entis θεωρίᾳ & attributorum transcendentium doctrina. *Ita enim occupatur circa* Naturam & conceptum *Entis nec non circa* attributorum transcendentium formalem rationem, *ut quum in iis* virtualiter *contineantur tanquam in* principiis cōclusiones universalissimæ, *easdem etiam exinde colligat & eliciat.* Definitiones *namque sunt* principia, *in quibus* virtute *continentur* quæcunque veritates. Conclusiones *autem istæ* universalissimæ *sunt* principia

cipia inferiorum disciplinarum. *Quocirca vel maximè laborandum fuit in summis principiis, ut omnia trãscendentia in* abstracto *constituerentur, & exponerentur. Proxima a. cura erat ẽ* natura transcendentium *colligere* ποεισμαλικῶς cõclusiones universalissimas, *easdemq; vindicare. Hic verò in id seduló incumbendum esse duxi, quò &* completè omnia & ordinatè singula *traderentur. Ideo circa ea, quæ Enti insunt & Ens denominant transcendentaliter, sic versari volui, ut* nec *quicquã facilè prætermitteretur, quod ad cõsummatam doctrinam faceret, & Methodus observaretur ipsi affectionum naturæ convenientissima. Quocirca par erat considerare* naturam attributorum in genere, *priusqvã* singula in specie *exhiberentur. Porrò quum alia* unitim *Ens denominent, alia* disjunctim, *de* illis *ceu simplicioribus prius agendum fuit; idq; iterum tùm* universim, Naturam *eorundem considerando, tùm* sigillatim, ordine eadem *expendendo. Hic primo loco sese obtulerunt* principales affectiones, *tùm* absolutæ, Perfectio, Vnitas, *tùm* respectivæ Veritas, Bonitas. *Deinde addendæ fuere* minus principales, Duratio & Vbietas. *Quandoquidem Objectum definitum fuerit* Ens actuale. *Cujus rei causas habui gravissimas, ex parte etiam in tractatu expositas, at prolixius olim, ubi requiretur, exponendas.* Vlterius affectiones disjunctæ, *postquam de iis* in genere *tractatum esset, distributæ sunt â nobis in tres classes, quæ optimè commonstrant, quomodo affectiones istæ objectum suum respiciant & denomi-*

nominẽt. Singularũ specialis distributio, & distributionis ratio prolixius suo loco exponitur in Methodo tractatus. Breviter primariæ aliæ sunt, aliæ secũdariæ. Primariæ item vel immediatæ vel mediatæ. Illæ ex objecto Entis naturâ immediatè resultant, & quidem quâ Ens actu spectatur, quomodo absolutè denominatur Necessariũ vel contingens; independens vel dependens; increatum vel creatum; actus vel potentia; Respectivè Principium vel principiatum, Causa vel causatũ. Hæ resultant é Naturâ Entis, mediantibus unitis affectionibus; ita mediante perfectione Ens denominatur completũ vel incompletũ; mediante unitate in statu absoluto simplex vel compositũ, in statu respectivo, idem vel diversum; mediante veritate, naturale vel artificiale; Bonitate infinitũ, vel finitũ; Durationè permanens vel successivũ; Ubietate circumscriptũ vel incircumscriptum Secundarias verò affectiones fecit quinq; sequentes: Absolutum & Respectivum, Subjectum & Adjunctum: Signum & signatum, Imaginem & exemplar; Mensurã & Mensuratum: Hi enim sunt termini transcendentes & generales, nec possunt in specialibus disciplinis considerari, faciunt tamen quodãmodo etiam ad directionẽ disciplinarũ specialium. Ideoq; omninò isto loco considerari debuere. Et ad hæc capita puto referrì posse facilè quæcunq; faciunt ad hunc. ce finem. Singula verò ita pertractavi, ut primò nomen evolveretur, & distinctiones nominales, post definitio & abstracta formalis ratio exponeretur; ulte-

rius divisiones *subjungerentur &* materialis varietas, *quantum satis est ad Metaphysicam designaretur; Deniq; ex hisce* porismata *colligerentur*, tùm *ad inferiorum disciplinarum directionem*, tùm *ad usus Metaphysici in Theologia adsertionem, & abusus refutationem. Circa* distinctiones nominales *opera cumprimis diligens adhibenda fuit, quo accuratè discernerentur ab* alijs divisionibus, *in quo quidem gravissimè impingere quàm plurimos observavi, alios verò plane hæc inter sese confundere. At non potest* formalis ratio *transcendentium in abstracto exhiberi, nisi exquisitè constitutum fuerit, quænam* nominetenus *ita dicantur, quæ* reapse. *Quantum verò interfit in* formali ratione transcendentium *accuratè assignandâ, hoc sublimibus saltim ingeniis nosse datum est. Ignorant autem illud, quicunq; Metaphysicam, nescio in quod* vocabularium *transformant, uti nuper præsumebat* Guilhelmus Amesius. *Sanè si tantummodò vocabula hèic exponenda essent, indigna foret Metaphysica* disciplinæ *nomine tantùm abest, ut* disciplinarum Regina *salutari posset. Verùm longè sublimiq; quid sapit* divina Metaphysica, *cujus potißima opera est* Attributorum Transcendentium formalem rationem *scrutari & indagare. Hæc nisi constet, quomodo poterunt* conclusiones universalissimæ *constare? & nisi hæ infallibiliter certæ sint, quæ erit certitudo* conclusionum *minus universalium in inferioribus disciplinis, quæ ex istis tanquam principiis & axiomatibus deduci debent? Quòd verò* materialem varieta-

rietatem *attinet*, & divisiones transcendentales, *non poterant eæ omninò sicco pede præteriri. nec tamē fas erat limites primæ Philosophiæ transilire; idcirco hic mediâ & Regiâ viâ incedendum, & quæ ad consummatam attributorum doctrinam, & ad munus Sapientiæ primæ facere videbantur, ea adducenda, quæ verò nec isto nomine tradi possunt, & ad speciales disciplinas spectant, prætermittenda. Denique προβλήματα vel* corollaria definitionum *ideò adduntur, ut sint* principia aliarum disciplinarum. *Debui tamen eorundem quoq; usum & abusum notare in gratiam* hæreticorum, *& o*sorum Metaphysicæ, *vel potius in gratiam juventutis, ut hæreses & ignorantiam earundem matrem cane pejus & angue fugeret, & quidem cum* ratione. *Quanquam verò his longè pluria annotari potuissent, ista tamen impræsentiarum sufficiant: ad quæ velut ad* locos quosdam communes *alia referre poterunt quicunq; accuratius scripta hæreticorum evolverint, eademq; pari studio enucleare. Hæc de* primo regiminis Metaphysici munere, *quod erat* leges præscribere cæteris disciplinis. *Porrò tenetur* Sapientia prima limites constituere & terminos definire *disciplinis inferioribus eâ parte, quâ est dictatrix, & inspectrix earundem. Quod quomodo fiat, docebo, ubi* DEVS *vires & otium concesserit, in* parte speciali, *quæ potissimùm huic muneri dicata est. Ut enim* fines *præscribantur, necessum est* omnium possessiones *cognosci, unde in* parte speciali *datur* tùm διανεμητικὴ eorum, quæ sub Ente *sunt*, consideratio:

tùm

tùm διαιρετὴ objectorum determinatio. *Ita ubi constituta fuerit* Regina scientiarum, *dubium non est quin* præsidere *possit* justitiæ & controversias in inferioribus disciplinis subortas dirimere. *Hoc est, quod dico. Controversiæ, quæ non possunt decidi in* disciplinis inferioribus, *tùm citra controversiam dijudicari poterunt è* primâ Philosophiâ, *quando* omnes *ejus* conclusiones *è principiis primis deductæ, &* termini disciplinarum *adæquatè distincti fuerint. Hinc ergò videre licet, quænam sint* subordinata munia Metaphysicæ, *quæ faciunt ad summum istud disciplinarum regimen. Scilicet* omnium, quæ sunt, in universali, cognitio, & conclusionũ quarũvis ad prima principia revocatio; *ut* prædicata cõmunissima *in abstracto proponantur, ut q3 nihil statuatur, quin è* primis principiis *confirmetur, vel confirmari possit. Sed de hũ latius in* tractatu de Regimine primo Philosophico. *Ob hæc ergò munia Sapientiæ primæ in eo laborandum esse judicavi, ut* Transcendentales termini in abstractione Entis *definirentur: &* conclusiones universales ad summa principia *revocarentur. Quum v.* duplici huic muneri *vel maximè inserviant duo isti habitus nobilissimi & generalissimi:* GNOSTOLOGIA, *ac* NOOLOGIA, *ideò libuit eosdem nuncupare* Consiliarios Reginæ disciplinarum. Gnostologia *consulit, ut* abstractè *omnia proponantur, & quomodo id fieri possit, saluberrimis monitis instruit.* Noologia *suggerit* prima princi-

pia

pia, *ideò aliis dicta* Habitus primorum principiorum, *ut ex iisdem eliciat conclusiones prima Sapientia, Illa ergò est θεκιγὸς καὶ τέλος* conclusionum Metaphysicarum. De utrâq; *proponi possent & gravissima, & jucundissima. Sed ea non sunt in præsens nostri instituti. Erit fortassis alibi commodior de his dicendi locus, præsertim quando συγχέωσιν Νοολογικὴν in publicum edemus, quam jam ante* triennium *juxta cum* Γνωσιολογικῇ συγχεώσει Regiomonti Porussorum disputationibus publicis propositâ, *in gratiam studiosæ juventutis multis modis id solicitantis & amore salutis literarum edere constitueram. Sed nonnullorum adspectum ferre non poterat, hanc unicè ob causam, (nullam enim aliam reddebant)* quod esset nova disciplina. *Interest habeas, Lector optime* Gnostologiam *hèic* Rostochij *ob defectum exemplorum rogitantibus id* Dn. Studiosis, *recusam; donec tantùm impetrare potero à studiis gravioribus, ut accurationi* Noologiæ *operam aliquam impendere liceat,* nullo *alio fine, quam ad* muniendam veritatem *(quæ est omnium antiquissimum)* conclusiones Transcendentium. *Oportet enim omnes in universum adsertiones Metaphysicas ita comparatas esse, ut earum veritas è primis principiis demonstrari possit: quum hæc sit* sapientiæ primæ natura, ut *conclusiones eliciat è primis principiis, ideò dicta Aristoteli τῆς καὶ ἐπιστήμη. Quod ut perpetuò inculco, ita in hoc* tractatu *seriò tentavi. Si-*

cubi

cubi verò id præstitum non fit, scias Lector cordate, me adhuc paratum esse omnia è primis principiis demonstrare suppositâ saltim fidei orthodoxæ veritate propter applicationem nonnullorum ad Theologiam. Exhibui hîc tantummodò στοιχείωσιν quandam ὀντολογικὴν. Controversias ergò Scholasticorum more prolixè & explicare & disputare non potui, sed instituti memor, quæcunq; adduxi breviter confirmavi, at iis argumentis, quibus satisfieri posse existimo, qui saltim præconceptâ opinione fascinati non fuerint. Quod si tamen omninò aliquid in hâc στοιχειώσει â vero alienum ὥσπερ ἐν ὁμοιῷ σωρός τις κόκκος, cogita Lector, quisquis es, Tibi aliisq; non esse aliam sortem, quàm hanc ipsam; Errare nonnunquam. Neq; enim puto de similem fore Ethnico Rhetori, qui nullum unquam verbum quod revocare vellet, â se emissum esse gloriabatur. Ego ut divinam veritatem unicè sectari conatus sum, ita si alicubi eandem assequutus non sim, tuam mihi promitto humanitatem. Nihil enim magis â te expetere potui, quam ut asseras animum veritatis studiosum & benivolum. Ita nos beet DIVINA VERITAS & VERA BENIGNITAS!

Ingenio

Ingenio ac Eruditione

Præcellenti VIRO, Dno.

M. ABRAHAM CALOVIO,

suam vulganti Metaphysicam.

POst plurimos vulgat sophos
scientiarum principem
Calovius *Metaphysicam*,
Cunctisq; palmam præripit
decursa queis hæc semita.
Hanc dum docet sophismatum
Communiter nutritiam
dictam, strophis sophismatum
omnes vias præcludere,
doctéq; nodos solvere
Hoc est opes Ægyptias
sacros in usus vertere.

F.

Johannes Quistorpius SS. Th. D.
ejusdem facultatis Ro-
stochij Senior.

VIRtus quæ niveis supereminet æthera pennis,
Te VIR nutritum fovit ab unguiculis.
VIR es, quem porrò VIRTUS super æthera tollet,
VIRTUTISq; omnes experieris opes.

Stephanus Clotz D.

Quid

Quid valeat Sophiæ studium, quem præbeat usum,
Quam sit Theologiæ fida ministra Deæ;
Hic liber exponit, pravos qui tollit abusus
Et pandit veras divitis artis opes.
Ignea vis genij nostri Majora CALOVI
Spondet! fata volent hunc superesse diu:
Ut patriæ lumen possit circumdare clarum,
Multaq; communi commoda fere bono.

h. mq;. fac:

Thomas Lindeman D.

Si tua vena mihi, Calovi clare! daretur,
Metra darem, metris proxima, Phœbe! tuis:
Cantaremq; tuas laudes, quas Enthea Virtus,
Ingenii bonitas, sedulitasq; merent:
Quantum Theologiæ, Sophiæq, ante omnia, primæ,
Scriptis profueris, vocibus atq; tuis:
Præsente apprimè chartâ, Libanitide dignâ
Cedro, quam crebrò publica famæ leget:
Quæ feret ara suis Sospis, quæ per mare curret,
Notoq; autori perpetua æva dabit:
Sed mihi vena deest. Succedant vota proindè
Carminibus. Felix Vive, Vigeq; diu!
Tot numera messes, quot erunt, tua, secula, scriptæ,
Nelëide senior, Metusalah alter eris!

Quod, celeri calamo, animo tamen candido, precor amico meo singulari,

Georgius Krugk Philos: & Medic. D.

Sub-

SUbtrahis ingenium mundo peramice CALOVI
sedulus & volitans ad cœlos, quæris, ut inter
TE videas mentes sejunctas, gloria quarum
ENS, UNUM, VERUM atq; BONUM cognoscere. Lector
perlege quæ scripsit *docto hoc meus iste libello*
Scibis &, haudquaquam me fallere: quin mage dices
EST UNUS, VERUS, BONUS & CALOVIUS inter
Philosophus reliquos. *Vos o gaudete Poruſſi*
& dignas tanto doctore parate coronas.

Excellentißimo Viro, amico ſuo
certißimo l. m. f.

M. Elias Taddel Paſtor Petri-
nus Roſtochienſium.

Ingenio
Amici ſui fraterni
M. ABRAHAM CALOVI
SS. Th. Candidati.

NOn aſſentator, non ſecta futilis autor
Pro vero, CALOVI, ſed meliora putas.
Idq; Stagirita debes, divoq; Platoni,
Nec cum Philoſopho cumq; Platone facis.
Præcipias quod ſæpe aliter, quod ſæpe refutes:
Non ideo indoctus, non malus autor eris.
Pſittacus es vel homo? Te nutrix verba præibit,
Verborum arbitrium Tu tamen ipſe Tibi es.
Nemo hic mancipium, ſi ſit, cum mente minuta eſt;
Tuq; olim puer, hinc non niſi Rex fueris.

M. Joh. Raue Berlinenſis,

PHILO-

PHILOSOPHÆ SUADÆ Musæa medulla, CALOVI,
Ac inter Mystas FAX ORITURA sacros;
Non tua bullatis turgescit pagina nugis,
Quas bene quisquilias esse Mamurra putet;
Ast istis aliquid longè decoctius adfert,
Thita nigrum cui præfigere nullus habet.
Zoilus occulto, siet, hanece venenet abortu,
Dum te ejus similem non videt ire viam:
Sed quem formavit meliorem dextra Promethei,
Et plus humano qui sapit ingenio;
Hic TE cantabit, quem prodiga Pallas honestat,
Insumptiq; tui musa laboris erit.
Quod bene cæpisti, stadium bene pergere perge,
Te nunquam, credas, laus tua deficiet.

Ex animo benivolo Dn. Autori
& Fautori suspiciendo
adjecit

Christophorus Altus ad D. Ann: apud
Elbingenses Ecclesiastes.

NOster amor, Sophiæ decus immortale Calovi,
Theologi nec non portio magna chori,
Divæ dum sacras ontologa scripta cohorti
Laudes egregias atq; brabeja meres.
Laudibus extollet te vivum docta caterva,
Et tua post funus fama perennis erit.
Præmia larga feres etiam; *nam præmia nunquam*
Debita commeritis denegat alma Trias.

Amico intimo & ætatem
honorando
M. Balthasar Mejer, Scholæ
illustris Tilsensis Rector
Cla-

Clarissimo VIRO

Dn. M. ABRAHAM CALOVIO SS. Th: Cand: meritiss: Methaphysicam suam edenti

Scripta docent, pia scripta, tuum quid possit acumen
Ingenii (cordis mihi portio magna CALOVI)
Scripta docent, tua quæ pietas, quis fervor, & ingens
Religionis amor. Sed nec sacra scripta Sophorum
te fugiunt, non te, quidquid docet ore rotundo
magnus Aristoteles, latet, aut quod voce diserta
Tullius, urbis honor Romæ, aut quod Plato, quod amplus
Euclides; adeo per summa cacumina Musæ
te rapiunt juvenem; quid eris Vir? vive CALOVI
Musarum decus & Patriæ, tua scripta vigebunt
aut Meta-sintephysica, aut Logica aut Theo-sint-logica, aut sint
quæque alia;
Tu modo perge Deo studium sacrare, talenta
reddere, & in divo multum sudare labore,
nec dubita, favor ipse Dei, hominumq; sequetur.

M. Andreas Henricus Bucholtz.

Sidus ut obscuro deterget nubila cœlo
Corus, nec imbres parturit
Assiduos: sic tu sapiens moderare labori
Vires edenti commodas.
Pectore curarum deterge nubila, vultu
Sereniore commeans.
Adscendisse juvat quæso quid culmen honorum
Membris labore confragis?
Eusebies prægrande decus Sophiesq; Calovi,
Qui didis orbi dædala

Scripta

Scripta, simul juvenes exercet rore madentes
Parnasio solertiùs.
Parce tuis operis, nimio sic parce labori,
Senectus ut constantiùs
Officio possis dignos perferre labores,
Firmo fruiscens corpore.

suo intimo ac debenerando

M. Johan Lösel, Porus.

HONORI

Clarissimi VIRI

Dn. M. ABRAHAM CALOVII Porussi SS. Theolog. Candid. partem Generalem Metaphysicæ edentis

EX quo te capi, CALOVI noscere; semper
Præ te ferre mihi visus es ingenium
Excellens, rarum, studiis solideq; subactum,
Seu Sophiam *spectes* seu quoq; Theologiam.
Immensum Sophiæ *tranasti sedulus æquor*
Per Scoti *latebras, per* Gabrielis *opus.*
Occultosq; sinus Thomæ *mens ignea rupit,*
Tribisti Ægidium *doctaq; scripta* Suaretæ.
Doctrinæ hoc monumenta tuæ præclara loquuntur
Quæ præstant doctis conspiciendа Viris.
Imprimis liber hic, ENTIS *momenta revelans,*
Quem leget exscriptum, publica fama, typis.
His animi lætare tuis mens splendida curis,
Digna TIBI subitò præmia Apollo parat.

ita animitus appl.

M. Johannes Fabricius
Dantiscanus.

Viva

VIvâ voce doces peracutè *Magne Calovi*,
Illustrans Sophiæ studium non lumine parvo:
Hinc petit auditor Scriptis ævum sibi linqui,
Infirmæ pet quod fiat perfectio menti.
Cedo locum precibus, nullius commoda tardes,
Utq; juvandi alios animum docet *Ontologia*,
Scriptis sic aliis fac experiamur eundem.

Viro Clariß. & Excellentiß.

Dn. M. Abraham Calovio; αὐτοχεδὶ
l. mq;. A. E. f.

Joachimus Füllebier.

SCientiæ quem ducit ardor entheæ,
Huc tende mentis lumina
Non otiosa sordidæ phantasmata
Spectes, tricasve Sorbonæ.
Sed altiora; *mente diaconcipe,*
Hic trita vulgus exulant.
Abstrusa quæris, attamen brevissimis
Deducta juxtim lineis?
Divina divini legas Calovij
Sed sedulo Metaphysicæ.
At hæresis petit nefanda jugulæ?
Hoc ense tutus utere.
Cedat proinde secta, subtilissimis,
Doctoris orbe maximi,
(Si Dis placet) vel os mentitæ Seraphis
Scholasticorum concio.
Sic perge nomen optimis extendere
Scriptis, Calovi candide

Sã

Sic te favor diu cæleſtis integrum
Eccleſiæ ſervet bono!
Id quod animitus Clariſ. Dn.
Autori vovet
Johannes Michaelis
Stralſund Pom:

Ad. Clariſsimum & Excellentisſimum
DN. AUTOREM.

Philoſophum ſubtiliſsimum, & Theolog. Candidat. meritiſs: Præceptorem ac Fautorem meum parentis loco honorandum.

IN te quid laudem CALOVI venerande Magiſter?
An aciem ingenij? num docta reperta Sophorum?
An artem ſacram? linguæ an multiplicis uſum?
Quod ſis Theologi clarum decus ordinis, iſtud
Myſtica bella ſatis teſtantur, & edita ſcripta:
Idq; doces toties Cathedræ de ponte docendo.
Quod doctus linguas, ac priſca reperta Sophorum
Qui ſerpentigenum caſſæ rationis abortum
Perplexumq; ſophos fatui ſapientis aperto
Enodare modo ſapiendi nôrit in uſum;
Teſtatur liber hic de Tranſcendentibus, in quo
Quid factum Lector me doctior inditet æquus.
Sat ſcio, cordatus venerabitur indolis altæ
Nobile opus, Diam Sophiam: taciteq; vovebit,
Sic formata ſiet, ſic informanda juventus
Poſthac, hæreſium & ſophia evaneſcet in auras

L. mq.

Johannes Wilhelm Laman
Gweſtph.

Cum

CUm celsa *Virtus* nubiles
Tetigerat annos, jungitur
Labore, fausto sidere;
Primoq; partu natus est
Honor. Calovi Prussiæ
Magnum decus, *Laboris* &
Virtutis almæ dum subis
Strenuus iter, sic censeo
Virtutis almæ *Filium*.
Amplum laturum præmium.
Quod compecor, quod auguror.

Albertus Kieper.

TEe florere Rosas inter, dulcissime Frater,
Gaudemus: nos aspra tenent spineta, dolemus
Quà luctus proprii, publicæ quà cura salutis
Res afflicta premit, certis dubitanda periclis:
Hanc precibus nostris, studiis mutare Potentum
Spes, illam tua scripta levant, laudataq; multâ
Orsa tui genii famâ, felice petentis
Auratas, successu, ædes VIRTVTIS, HONORIS.
Idq; probat toties, nullo defessa labore
Musa, novum quæ promit opus jam sydere fausto,
Quod doctos super & transnaturalia raptos
Exercet: Ego non sapio: Mereatur ab omni
Aonidum turba applausum, sic PLAVDO, PRECORQVE
Et vegetas vireis, terræ reducemq; Paternæ
Usibus, & digno, cumulando, munere, Honori.

Vovebam animitus Morungæ Porussorum
XV. Cal. August. Anno 1635.

f.
Fabian Kalaw Electoral.
Quæstor ibidem
Magister

Magister Abraham Calovius.

Anagr: è Ros. Varn.

Ah tu rem agis, vibra calamos.

AH vibra calamos, *studiis exculte Calovi,*
Melleq; Lectores uberiore riga.
Gustarunt ribos, gustarunt flumina multi,
Artis inexhausto quæ tibi fonte fluunt.
Tu *studiis, & judicio maturus* agis rem,
Hinc magnum surgit nomen in orbe tibi.

ALIUD.

Magister Abraham Calovius Morungâ-Porussius.

Anagramma duplex

Tu, magno ausu, Scholam â variis morbis repurgas,
Ah! ipsâ Ontologiâ crassum rerum abusum arguis.

LOngius, & forsan paullò majore parata
Eloquii, fuerat præmeditatus opus.
Sed mihi præcidit numeros angustia chartæ,
Paucaq; me jussit verba dicare tibi.
Tu tamen ex paucis adfectûs maxima signa
Collige, PRÆCEPTOR ter venerande, mei.

Viro literarum saluti nato Gl: Dn.
M. Abr: Calovio Præceptori
æternum colendo L. M. Q.

JOHANNES MAUTNERUS,
Pannonius.

ψυχάριον

בשם שמים

στοιχείωσις ὀντολογικὴ

M. ABRAHAMI CALOVII Porusſ.

ἐισοδος

Proponens

Neceſſariam Metaphyſicæ præcognitionem.

Diſput. I. Publica. Reſpond. Michaele Behm Porusſ.

ANtequam ad ipſam ὀντολογίας conſiderationem deveniamus, *Introitus.* heic in limine præcognita quædam delibanda veniunt; Hoc enim ſingulare habet ſcientiarũ ſumma, ut quæ alijs τῶν προγινωσκομένων explicatione jacit fundamenta, hæc & ſibimet ipſi opus habeat ſubſternere, eò quod ipſa ſumma. Idq; primo ſtatim lapidis jactu: quo ijsdem poſtea ipſa ſuperſtruatur diſciplina. *Metaph. neceſſaria præcognita.* Quod fieri debet, partim Exiſtentiæ probatione, partim Nominis declaratione, ut ante omnia & An ſit, & quid nominis innoteſcat 2. poſt. 1. Fruſtra enim de aliquâ diſciplinâ ſive adornandâ, ſive addiſcenda ſollicitus es, ubi, an eadem concedenda nec ne, ambigis; Et ſi nequidem nomine nota ſit, quomodo ejusdem deſiderio teneberis? Sins ita q;

Προγινωσκόμενα

de Metaphysicæ

Existentiâ & Nomenclaturâ.

Metaph. existentia.

I. Est omnino distincta quædam de Ente in universali, disciplina, 3. *Met. c.* 1.

Probatur 1. ab objecto proprio.

Evincit hoc *proprium objectum*, Quod heic datur â cæteris distinctum, non quidem *realiter*, attamen, quod satis est, *formaliter*, *Ens prout Ens*: quod est abstractum ab omni eo, quod est. Et ut hæc, â quibus abstrahitur, puta, *Entia determinata*, sub scientiam cadunt, ita non minus, id quod ipsis omnibus commune est, τὸ *ESSE* scilicet *generalissimum* verè scibile est. Menti siquidem nostræ sisti possunt & *Natura* ejus abstractissima & *attributa* communissima, & *distinctiones* altissimæ: omnia deniq; huc spectantia. Revocari autem nequeunt hæcce ad Ens quoddam determinatum. Non enim magis uni, quam alteri competit conceptus communissimus. Peculiarem itaq; exigit disciplinam, pariter ut objecta quidditatis determinatæ singula singulas requirunt disciplinas. Accedit *inferiorum disciplinarum indigentia*. Quæ omnes expetunt *directricem* & in statuminandâ

2. ab officio, scientiarū dominio.

princi-

principiorum veritate, & objectorum determinandâ *varietate. Ipsæ* enim neq; ad *prima* usq; *principia* conscendunt, neq; *objecta propriâ* sibi definire aut limites certos constituere possunt, eò quod scientiæ sint, & proin ἀκέφαλοι. Constituenda itaq; alia *superior*, eaq; κεφαλὴν ἔχουσα 6. Eth. c. 7. huic directio committenda est; ab hâc dependeant reliquæ. Talem verò nullam aliam reperire est, vel constituere licet quam hanc ipsam, Entis in Universali contemplatricem, utpote *quæ sola conclusiones universalissimas è summis deducit principijs*, sine quibus tam non possunt esse cæteræ, quâm sine propriâ scaturigine promanare fluvij. *Hæc* insuper *infinitam istam rerum varietatem, quæcunq; sunt, ad objecta certa revocare unice potest*, cum omnium in universali habeat notitiam, ideoq; & ipsa reliquis disciplinis sua objecta præscribere tenetur, prout sub Ente eadem reperit. Quin itaq; sit *Universalis disciplina*: quin *abstractè* proponenda sit ad satiandum appetitum mentis nostræ, quæ ut *in particulari distinctè omnia*, ita & *in universali abstractè omnium communissima*, scire expetit, nullus à primis Philosophiæ parentibus

Metaph. abstractè est proponenda.

Thalete & Pythagorâ in dubium vocare ausus fuit, *Ramum* præter & qui à *Ramo* pendent, quos dicta ponderare jubemus, & ad denominationem pergimus.

Metaph. Nomenclatura.

II. Scientia de Ente *Metaphysica* appellatur communiter à rerum ordine, Ὀντολογία rectius ab objecto proprio.

Nominis Metaph. impositio, & origo.

Pro *isto* certat *antiquitas*, Pro *hoc* rei ipsius evidentia & *claritas*. Nomen enim *Metaphysices* ex ipsâ librorum τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ *s. Aristotelea s. Theophrastis* ea fit, *autore*, ut putant, *Andronico Rhodio*, enatum, ab antiquissimis Græcis, *Plutarcho* etiam *in Alexandri vitâ* usurpatum, *Damasceno* itidem non ignotum, & jure Latio donatum summè fuit familiare. Idcirco hodieq; etiam non abjicitur *magis ab usu, dicendi Magistro optimo firmatum, quam ad exprimendum hujus disciplinæ objectum conveniens.* *Primò* enim *ordinem*, quem *nostra disciplina* ad *Physicam*, vel *res nostræ* ad *res naturales* obtinent, designat, *objectum* verò ipsum minus perspicue exprimit. Hinc est, quod & ita explicetur: quanquam pro diversâ, ut existimant, & *præpositionis* μετὰ *significatione*, & *ordinis* rerum *Metaphysicarum* ad *naturales* institutâ *comparatione*, alij aliter ver-

Usitatum magis est, quam conveniens nomen Metaphys.

vertant. *Nonnullis* dicitur quasi *post naturalis*, non *dignitate* vel *naturâ*, sed partim γενέσει *s. inventione*, partim διδάξει *s. institutione*. Quia enim altiora hæcce, de quibus Metaphys. omnium longissimè absunt à sensibus [*à quibus intelligendi summus primordia*] hinc adeo factum, ut *ferè omnibus aliis inventis*, hæc *ipsa demum scientia tractari cæperit*, *1. Met. c. 2.* hinc etiam *post alias scientias est addiscenda Metaphysica*. Difficillimè intelliguntur *abstractissima*, nisi *exemplis* è reliquis disciplinis petitis declarata fuerint. *Generalissima* heic proponuntur præcepta, quæ sine præviâ *specialium* cognitione explicari commodè nequeunt, quia *ad objectum diversum spectant*. In causa est non tam *rerum indoles germana*, quam *mentis nostræ imbecillitas*, eheu! *nativa*. Aliàs in *accuratâ disciplinarum constitutione* πεωτοκλισία sibi omnino vendicaret. Sine quâ cæteræ neq; *exactè intelligi*, neq; *justè determinari*, vel suis circumscribi possunt limitibus. Unde *hæc illarum* θεμελιωδὴς καὶ τέλος, *munimentum & perfectio à Platone* dici meruit. *Alijs* explicatur *hyperphysica*, *transnaturalis & transcendentalis*: quia *res Metaphysicæ* transcendunt *alias*

Explicatur vel Post-naturalis.

Quomodo Met. sit posterior Physicâ.

Cur postremò discenda.

vel Trans-naturalis.

omnes, si non *essendi nobilitate*, saltim *essendi communitate*: *physicas* verò superant & τῇ φύσει *natura sive generalitate*, & τῇ ἐξοχῇ *eminentiâ sive dignitate*. *Istud* vel è *nomine* Entis omnium communissimo constat: *hoc è potestate dictatrice* Metaphysices conspicuum evadit. Idcirco etiam contendit *Franc. Patritius* rectius πρὸ τῶν φυσικῶν appellatam fuisse hanc scientiam, quam μετὰ τὰ φυσικὰ. Sed quicquid sit, si γνήσιον τῆς ὀνομασίας fundamentum respiciamus ipsam *rerum naturam*, optimè dici poterit ὀντολογία. Ita exprimitur *objectum* habitus, idq; *ad analogiam disciplinarum ferè omnium*, quæ nomina habent ab *objecto* petita, *origine* quidem *Græca*, at *communi usu* quoque *Latina*. Desudat nostra disciplina *Ens*, & omnia ea quæ vel *ad Ens referuntur*, vel *sub Ente continentur proximè & indeterminatè*, ideoq; meritò ab *Ente* nomen accipit. Et cur ab eo potius denominaretur, quod ipsi *extrinsecum*, cum alijs *commune*, cujus ratione pluria sortiri posset nomina, quando prostat nomen *proprium*, ipsum *objectum* exprimens, & alijs disciplinarum nominibus affine?

Rectius dicitur ὀντολογία.

Sunt & *aliæ appellationes*. Cæterũ quibus magis

magis *honoratur* qvàm *declaratur* Metaphysica. *Archi-Philosopho* dicitur 1. Θεολογία 6. Met. c. 1. qvia *verè divina* est. ἐκ ἀνθρωπίνη νομίζοιτο ἂν τῆς ἡ κτῆσις, Ejus *possessio humana judicari non debet*, idq; propter *subjecti sublimitatem*, *principiorum infallibitatem*, usus *ubertatem & regalem dignitatem*. Qvi addunt, divinam dici, qvod *de Deo* tractet, *disciplinæ universalis* naturâ haud satis intelligunt. 2. Prudentia, 1. Metaph. 2. καθ' ἀναλογίαν, qvod *uti in practicis prudentia, ita in Theoreticis Metaphysica emineat maxime:* qvod sine *hac* nullatenus haberi possit εὐδαιμωνία in *contemplando*, qvemadmodum neq; *sine ipsâ*, εὐδαιμωνία in *agendo*. 3. Philosophia & *sapientia* 3. Met. c. 2. & 3. κατ' ἐξοχὴν καὶ ἀντονομασίαν partim *relatè* ob *principalem eminentiam*, quod inter Philosophiæ partes sit dignissima: partim *absolutè* ob *virtualem continentiam*: quod ut semen totam arborem, ita hæc universam Philosophiam in se contineat. Tradit enim *axiomata communissima*, è quibus scaturiunt conclusiones inferiorum disciplinarum. Explicat *terminos generalissimos*, sine quibus ritè intellectis, nequidem ipsa *summa principia* [*Noologias*] suam

Metaph. cur dicatur θεολογία?

Cur Prudentia:

Cur Philosophia, & Sapientia.

suam obtinent *evidentiam*, nedum *cæterarum disciplinarũ axiomata* immotam obtinent *certitudinem Reflat. 4.* quod admirabili vocis ambitu, prout à *Philosopho* explicatur, complectitur *quicquid est vel potest Metaphysica.* Ut vel eo solo & *potestas* & *dignitas* atq; *authoritas* ejusdem nobis constare possit, quo de proin *speciali theoremate.*

III. Metaphysica optimè vocatur Σοφία πρώτη à munere, quod obtinet, eminentissimo. *2. Metaph. t 3. Met. c. 6. & 5. Met. c. 1. &c.*

Encom. Metaph.

Varia, *quod de alijs præstantibus observamus rebus*, Metaphysicæ sunt imposita nomina, ad explicandam cumprimis ejusdem *dignitatem.* Salutatur enim *& primaria, & honoratissima, & nobilissima, & Regina & Domina, & Aquila & Apex atq; fastigium scientiarum &c.* Dicitur *cardo sapientiæ, omnis cognitionis perfectio, sola libera.* Alia infinita mitto. Id vero cumprimis explicationem meretur, quod indigitetur *prima Sapientia.* Sciendum itaq; *Sapientiam* dici *dupliciter:*

Sapientia dicitur vel abstractè vel restrictè.

1. In *communi præcisè & abstractè*, uti est *habitus quicunq; διανοητικῶ, sive discursivus cum notitiâ principiorum simul conjungens noti-*

notitiam conclusionum, quæcunq; ea sint principia, quæcunq; conclusiones, modo in istâ cognitione ultimatè subsistatur. Quo ipso à *prudentia* distinguitur. Quemadmodum ab *intelligentia* differt eo, quod sit διανοητικὸς, conclusiones simul possidens & principia; cum hæc sit habitus νοητικὸς, circa principia summa unicè occupatus. Quæ significatio communis nova non est, sed jam ante usitata, ut vel è communissimâ *Philosophiæ* definitione Peripateticorum plerisq; approbatâ cōstare potest: Quâ finitur, *habitus mentis sapientiâ & prudentiâ constans.* Ubi certè sapientia non nisi *generaliter* accipi debet, pro *quovis habitu theoretico, discursivo* puta, [*habitus* enim *intelligentiæ* licet sub definitione *Philosophiæ* contineri omnino debebat, neq; ex mente ipsorum voce *Sapientiæ* comprehenditur, neq; eadem comprehendi potest] ne manca sit & mutila definitio. Adde quod *lata* ista *significatio* omninò præsupponatur à *Philosopho*, quando inculcatur *alterâ:* ubi nimirum 2. *Sapientia* accipitur *specialiter, determinatè & restrictè*, prout est *Sapientia prima* vel *secunda*, ut è *l. c. & 7. Met. 6. u.* apparet. Ita *Sapientia* PRIMA est,

Quid sit Sapientia præcisè?

Quomodo à prudentia & intelligentia differat?

Probatur abstracta sapient. significat.

Quid sit sapientia prima?

Quid secunda.

quæ è primis principijs conclusiones elicit universalissimas: Secunda, *quæ è principijs secundùm de subjecto determinato conclusiones format & statuminat.* Et ut *hujus* nomine veniunt *Scientiæ, Physica 7. Met. c. 11. & p. c. aliæ*, quæ sunt, scientiæ; ita *istud* unicè quadrat in *Metaphysicam*, & cum ipsâ ἀντιστρόφως reciprocatur. *Hæc* verè est *prima:* ratione *objecti* quidem πρώτως & *primariò*, quia *primum scibile* pertractat, & ea quæ huc revocantur *principia, attributa & distinctiones*, quæ omnia heic prima & summa: ratione verò *ordinis* δευτέρως *& secundariò*, quia præ cæteris disciplinis prioritatem obtinet, & nominatim præ *Physicâ*, quæ *sapientia est, sed non prima.*

Sola Met. est prima sapient.

3. Met. 3. Hæc sola est *prima*, quia huic unicè & in solidum tum *definitio*, tum προσκείμενα *primæ sapientiæ* conveniunt.

Explicatur definit. sap. primæ.

Definitur ea 6. Met. c. 7. νοῦς καὶ ἐπιστήμη, *sive habitus intelligentiâ & scientia constans*, intellige non *formaliter* [habitus specie diversi nunquam sunt formaliter unus & idem specie habitus] sed *virtualiter*, quia

Quid sit constare scientiâ & intelligentiâ.

sapientia adhibet *principia prima*, quod est *Intelligentiæ*, verum sub *aliâ ratione*, non ut ista *signate, abstractè* in quantum *è naturali rerum repræsentatione & affinitate*

tate hauriuntur, & ad objectum certum revocantur: sed exercitè & applicatè prout faciunt ad universalissimas conclusiones de Ente formandas, & ceu reliquarum scientiarum fundamenta, in motè firmandas, adeoque præter principia simul exhibet conclusiones, quod scientiæ est. Alij dicunt sapientiam primam esse scientiam & intelligentiam per influxum, quod inde quasi fluat Intelligentia, dimanent scientiæ (posterius absolute verum, prius explicatione indiget) non per influxum aut confluxum, quasi concurrerent heic Intelligentia simul, & scientiæ omnes, quæ esset insignis disciplinarum in unum chaos confusio. Aristoteli l. c, dicitur Scientia caput habens rerum præstantissimarum: quod non proponat conclusiones nudas, ut scientiæ aliæ, sed easdem ex principijs summis, & eminentissimis deducat, & de Ente universalissimo verificari edoceat. Quod alij disciplinæ præter Metaphysicam absurde tribueretur. Similiter & conditiones sapientiæ primæ l. Met. c. 2, recensitæ, disciplinis alijs haudquaquam conveniunt, nostræ verò munia graphicè describunt, quæ omnino heic præcognoscendæ sunt & è Gnostologiâ repetendæ.

Quid sit scientia cum capite.

Conditiones sapientiæ primæ.

Officia Sapientiæ primæ.

dæ, *ubi de ijs egimus l. 2. c. 2. p. 53.* Revocari autem possunt *sex ista προσκείμενα ad tria sapientiæ primæ munia s. momenta.*

Quomodo discipl. dirigat.

E quibus *primum & summum est, Inferiorum disciplinarum directio*, quam præstat partim *leges tradendo, ut principiorum aliorum fundamenta jaciat*; partim *ditionum fines præscribendo* ut *objectorum* (disciplinarum aliarum) *terminos* constituat: partim deniq; *jnstitiæ præsidendo*, ut *controversias* in cæteris disciplinis subortas (si quæ illic decidi nequeant) decidat & componat. Inde *tituli* isti *honorarij*: quod sit ἀρχιτεκτόνη *l. Metaph. 2. princeps ac Domina scientiarum. 3. Met. 12. 5. Met. c. 1. 1. Post. c. 9. &c.* Cætera sunt *subordinata*, quæ ad istam directionem tendunt & ordinantur; qualia sunt *conclusionum è primis principijs confirmatio*: ut nihil statuatur, quin è *summis principijs* deducatur: *& omnium quæ sunt in Universali repræsentatio, ut communissima omnium prædicata* declarentur, & *certi rerum ordines* constituantur, quibus ὡς ἐν πίνακι exhibeantur singula. Ut enim *leges solidè* statuminet, ad *summa principia* ea quæ statuit, revocat: Ut *terminos* rectè præscribat, omnia quæ sunt ad *certas*

Cur dicatur Regina scientiar.

tas classes reducit: ut deniq; *justitiam* ritè administret *causas* accurate *cognoscit* accuratâ *terminorum consideratione*, *cognitasq;* probè *decidit analogicâ applicatione, sive adducta limitatione & distinctione* sicq; juxta tenorem *summorum statutorum* sententiam definitivam promulgat, contra quam ulterius disputare nemo audit. Hinc ista Encomia, quod hæc *scientiarum Regina sit* ἀκριβεστέρα, atq; *notitiam habeat certissimam. Accuratissima est*, quia à *summis principijs* omnia repetit. *Certissima* verò *certitudine Entis sive objecti*, quod versetur in rebus maximè *universalibus*, quibus certitudo summa convenit: non verò *certitudine mentis* vel *subjecti* quod mens nostra ad res abstractissimas æquè se habeat, atq; τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος μεθ' ἡμέραν, 2. *Met. c.1. nyctilopis oculus ad solem intuendum Scal. Exer. 1. l.2. Certissima* ratione *probationis eminentis* non *demonstrationis evidentis*, qualis potius *Matheſi* adjudicatur 2. *Metaphysicorum, c.3.* Qvod 2. sit διδασκαλικωτέρα, *maximè ad docendum apta ob rerum in docendo sub ministrationem, causarum primarum investigationem, & terminorum* ubiq;, occurrentium

Quomodo sapient. sit accuratiss. & certiss.

Quod sit aptiss. ad docend.

tium *expositionem*,. minime vero ob *methodi & modi docendi præscriptionem*, quæ est παιδείας *Logicæ*. Quod 3. *sit* γενικωτάτη, *& omnia norit*, idq; via triplici 1. *Potestative & virtualiter*, dum *prima* tradit *principia* in quibus virtute continentur cætera. 2. *confuse & communiter* : dum considerat *Ens universalissimè* sumtum, & *attributa communissima*, adeoq; *attingit omnia prout rationem Entis induunt*. 3. *Distinctè & particulariter*, non quidem *rationes specificas* singulorum investigando : attamen rerum omnium *qvidditates*, secundum *rationes generales pensitando*, *seriatim* omnes *Entis gradus* constituendo, eosq; ritè distributos ad *particulares scientias* dimittendo. E quibus consequitur ulterius, quod licet *difficillima* sit, dum cognitionem non *confusam*, *superficiariam & simplicem*, sed *distinctam*, *accuratam & scientificam* rerum abstractissimarum intendit, attamen *studio sit omnium dignissima*, *& propter sese* vel maximè *appetatur* ab omnibus, si non in *formâ propriâ*, saltim *sub aliena*: si non ratione *notitiæ omnimodæ & perfectæ*, certè tamen ratione *principiorum aliorum dependentiæ*. *Dirigendum* enim *ubiq; expetit dirigens* : *& normatum exigit*

Quomodo omnia norit.

Cur sap. prim. sit difficillim.

Cur & quomodo appetatur maximè.

exigit normam. Quidni & *inferiores* disciplinæ hanc scientiarum *dictatricem?* Quinimo in nullo non discursu *terminis* ejusdem *concretè* utimur, & *principia communissima applicate* adhibemus. Quæ omnia, si alij præter *Metaphysicam* quis applicare tentet, ille fingit *regnum Philosophicum* πολυκέφαλον, *disciplinas universalissimas plures, principia communissima alia atq; alia*, & quæ non alia absurda absurdissima. *Metaphysicæ* vero quisquis hæcce denegare præsumit, de throno eam dejicit & regimine abdicat, quod in dictis munijs consistit. *Theoreticum* quippe est *regimen consistens* non in *externâ professionum Philosophicarũ in societate humanâ directione*, quæ *Politicæ* est *prudentiæ*; sed in *internâ* vigoris *atq; vitæ communicatione*, quæ propria est nostræ *sapientiæ*. *Influit* namq; *Mptaphysica* occulta ratione in disciplinas *inferiores*, easq; *dirigit* 1. *Principia ipsis suppeditando*, quæ probat tum *ostensivè*, *terminos declarans*, tum κατ' ἀδύνατον, *ad contradictionem adversarium negantem adigens.* 2. Objecta *ijsdem adjudicando*, quæ *prætognoscit* quod *sint*, & *quid significent.* 3. *Rationes*, controversias decidendi, *suggerendo*, dum abstra-

Non est Sap. primæ præter Metaph.

Quale sit regimin. Metaph.

In quo consistat regimen Met.

abstractionem & formalem rationem terminorum urget, *applicationem universalium* ad *specialia* instituere docet, & *distinctiones* utilissimas subministrat, de quibus omnibus ipsa praxis abundè testatur.

Hæc de προγινωσκομένοις. Succedit itaq;

Διέξοδος

Exhibens

Ipsam Metaphysicæ considerationem.

A nominis explicatione *jam prosbehimur in* ipsam rei perceptionem. ὄνομα γὰρ ἐστι ὄργανον διδασκαλικὸν καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας ὥσπερ κερκὶς ὑφάσματος, *inquit* Plato in Cratilo. Duobus verò *modis*, *ut reliquæ disciplinæ*, *ita & hæc nostra sisti potest intellectui.* 1. Confusè & generaliter, *cum* naturam *ejusdem*, *quodam velut* ὑποτυπώσματι *in genere considerandam proponimus.* 2. Distinctè & specialiter, *quando* objectum *ipsum in* essentiâ suâ, *in* attributis, modisq; propriis *repræsentamus.* Utraq; *ratione Metaphysicam proponemus*, sectione duplici. *Altera* procœmialis naturam ὀντολογίας *in* communi *exhibebit*: *altera* essentialis, naturam ὄντος ὡς ὄν adæquatè *pertractabit.* *Essentia namq; disciplinæ unicè absolvitur distinctæ & perfectâ objecti sui repræsentatione.* *Haud inutiliter tamen præmittitur* προ-

Duplici modo repræsentari potest Met.

In quo consistat essentia disciplinæ.

πρόγνωσις de habitus natura, *ut prius constare possit*, quomodo conclusiones ad objectum revocandæ sint, antequam ipsum objectum evolvendum veniat. *Cur præmittatur proœmium.*

Sectio I.

Ὀντολογίας Consideratio

PROOEMIALIS

Quæ contemplabitur naturam Metaphysicæ generaliter, *& in* sese *& in* partibus suis; ibi *inquirendo in ejus* constitutionem, hèic *in genuinam* partitionem, *ut* quid sit, *&* quomodo pertractanda *sit, teneatur*. *Quid tractatur in proœm.*

MEMBRUM PROOEMIALE PRIUS

De ὀντολογίας Constitutione.

Constitutionem *duplici modo experimur*, κατ' ἔσω, *ad* intra; *&* κατ' ἔξω, *ad* extra. Illic *benamur disciplinæ* essentiam *&* naturam propriam; *eamq; sistimus partim* ὑλικῶς, Definitione, *partim* μερικῶς formæ *&* materiæ (ἀναλόγως dictæ) expositione: Heic *indagamus* causas externas, Efficientem *&* finem. *Quibus declaratis, omnia quæ circa constitutionem ponderanda veniunt, ultrò constabunt. De singulis itaq; distinctis* Theorematibus. *Quomodo explicetur constitutio Metaphysicæ.*

I. Metaphysica *definitur*, sapientia Entis, quâ Entis. *Metaphysicæ Definitio.*

Non dubium est, quin Metaphysica sit *species specialissima*, *&* proinde definiri

finiri possit. Sed hic varietas quædam offenditur: quæ ne ullum offendat, hanc præ cæteris amplectimur definitionem, brevissimè *naturam habitus* exprimentem. De *subjecto propositionis definitivæ* nihil occurrit, quod in *præcognitis* non sit expeditum. Hoc unum observandum. *Dici* id πολλαχῶς: *i. Generaliter & Synechdochicè*, ut notat omnes habitus theoreticos sc. διανοητικὲς: quemadmodum etiam *sapientiam in præcisionis statu* accipi antè dictum. 2. *Specialiter & restrictè*, prout unam quandam disciplinam denotat, idq; vel *propriè & famosè*, ὀντολογίαν *sive transcendentalem Sapientiam*, vel *improprie & minus usitatè*, eam, quæ de *Spiritibus* tractat, disciplinam, autore *Pererio*, qui *huic* potius quam *isti* id nominis competere contendit. Quo dimisso, constat propriam hîc obtinere significationem. *Prædicatum* gemino conceptu naturam Metaphysicæ sistit: *convenientiæ* uno, *differentiæ* altero. *Iste* exprimitur voce sapientiæ; *hic* cæteris definitionis verbis. *Ille formam* habitus, *hic materiam circa quam* vel *objectum* exprimit. Junctus *uterq;* formalem rationem & *naturam* Metaphysicæ declarat. *Formâ* qui-

Metaphys. quot modis dicatur.

quidem & *materiâ propriè* dicta destituitur, quia accidens est. Accidentia verò ipsa *formæ* sunt. Et *subjectum* eorum vice materiæ est. Hinc in eorum definitione genera à formâ desumuntur, non neglectâ περὶ οὗ subjecti. Idem in nostrâ definitione observatur: è qua constat 1. *forma Metaphysicæ*, à quâ prodit operatio *propria*, quæ est contemplari Ens quâ Ens, ut mens *intensivè* perficiatur, & *habitus* universalissimæ disciplinæ gignatur. 2. *Subjectum* Metaphysicæ pariter & *objectum*. *Illud* est mens, in quâ sunt habitus, non verò *liber* aut *scriptum*; siquidem liber non sit habitualiter sapiens. *Hoc* est *Ens* quâ *Ens*, adeoq; omnia quæ huc spectant, Quando enim definitio dicit, Metaphysicam esse *sapientiam Entis*, quâ *Entis*, objectum exprimit. Cum habitus definiri debeant objectis. Dicto verò *objecto*, simul involvuntur omnia, quæ ad objectum spectant, sive ei *insint*, sive ei *subsint*, *attributa* intellige, & *modos specificos* vel minus *abstractos*. Cum disciplina nihil aliud sit, quā objecti in naturâ, attributis modisq; suis plena & adæquata coram mente repræsentatio. Qui ergò præter Ens, etiam eorum, quæ Enti

Accidentium definitiones.

Subi. Met. non est liber.

Met. non rectè definitur sapien-

tia Entis & eorum, quæ Enti in sunt.

insunt *per se* & *immediatè*, mentionem faciunt, in definitione superflua ponunt, quod ἄπαξ.

Genus Metaphysicæ.

II. Forma Metaphysicæ generica est sapientia communiter dicta, prout à primâ & secundâ abstrahit.

Metaph. nõ consistit in præceptis

Genus est ipsa rei essentia confusè & incompletè. *Essentia* verò Metaphysicæ non consistit in *dispositione præceptorum*, vel *systemate mentali*. cum id sit *extrinsecum, accidentale, separabile* à Metaphysicâ, neq; nos reddat *Metaphysicos*, nisi vel tyrones, quibus ejusmodi dispositiones non sunt ignotæ, *Metaphysici* sint salutandi. At à *formâ* prodeunt operationes propriæ: à formâ est denominatio: Ad quam merè & verè per accidens

Disciplina & doctrina non est genus Metaphysicæ.

est, quod *doceatur & discatur*. Sanè non diffitemur, *disciplinam & doctrinam* esse *medium* ad *habitum*, quod vero in *istâ hujus* consistat *natura*, pernegamus. Quin doceri & disci *relata* sunt. *Habitus* verò Categoriam *absolutam Qualitatis* incolit. Qvum verò *forma generica* inquiritur, non quid *hoc* vel *illo* respectu res sit, *quomodo* dici possit: sed *quid ea* suâ

com-

communi quidditate sit, disquiritur. Rerum *respectus* infinitis modis varieri possunt. *Forma* autem eadem est. Quod si *materialiter disciplinam* vel *doctrinam* capias, connotat vel *habitum*, vel *actum sive internum conceptus, sive externum signi*. Sed nec conceptus, nec literæ vel voces, signa eornm, dant Esse Metaphysicæ formaliter. Habitus verò est non *connotativè* saltim, ut superadditi sint respectus *docendi, discendive*; sed *simpliciter*, in quantum scilicet consideratur in *essentiâ* suâ, præcisis *accidentibus*. Remota ergò sunto hæc primum *spuria genera: systema, doctrina, disciplina*. Et constitutum sit *genus γνήσιον*, at saltim *remotum Habitus*. Cum sit πλείωσις potentiæ naturalis, eandem facilitans, studio solerti acquisita. *Propinquius* est *habitus theoreticus*. *Intensivè* enim mentem perficit, nec *extra* ad operationes sese extendit: cum nihil in subjecto suo, quod agat, inveniat, indeq; in cognitione ejus ultimò ac per se acquiescit. Excluśus itaq; sit à naturâ Metaphysicæ habitus *practicus*; & *activus*, *prudentia*, & *factivus*, *Ars*: sive hanc sensu *Ramæo-Luciano* (improprijssimo) intelligas comprehensionem præceptionum

Habitus est genus remotum Metaph.

Propinquius habitus theoreticus,

Metaphysica non est Ars.

exercitatione comprobatarum ad finem in vitâ utilem (comprehensio hèic *extrinseca*, præcepta exercitatione acquisita *nulla*, usus ad vitam civilem non nisi summè *accidentalis*) sive *Peripatetico Aristoteleo* accipias pro habitu *effectivo* (ποίησις tantum abest ut Mrtaphysicæ conveniat, ut potius eidem ἀπλῶς repugnet) adeò ut contradictio sit, *Metaphysicam* definire *artem*, eaq; geminetur, sidicatur *ars contemplativa*, quæ verè est διδηρόξυλον. *Proximum* deniq; *genus* est habitus *theoreticus discursivus*, qui conclusiones è principijs elicit, & uno nomine dicitur *Sapientia*, ea sc. quæ præscendit à primâ & secundâ. Patet. Quia *Sapientiam in communi* prædicatur de Metaphysicâ *in quid* essentialiter & *proxime*, at *non convertim*. *Essentialiter*, quia sapientia prima sive Metaphysica (hæc enim Synonyma esse grammatica, non Logica, supra evictum) essentialiter est sapientia. Non *convertibiliter*. Nam & *sapientiæ secundæ* (scientias puta) verè & essentialiter sunt sapientiæ. At *proximè* sub sapientiâ & immediatè constituitur sapientia prima. Constitutum itaq; est genus proximum & proprium Metaphysicæ,

Proximum genus est habitus theoreticus discursivus vel sapientia absolutè.

Probatur.

ficæ, quod est *sapientia* ut sic & præcisè sumpta. E quo infertur sapientiam primam, sive eam, cujus definitio & requisita supra exposita minus accuratè constitui genus Metaphysicæ. Cum genus non debeat reciprocari cum specie. Si dixeris, generis hujus naturam participari quoq; à *Philosophiâ theoreticâ*, necessum erit, ut statuas, *Metaphysicam & Philosophiam theoreticam* esse *conspecies sapientiæ primæ*, quod absonum. Si à *Theologiâ*, cogita, num in eam *attributa & definitio* sapientiæ primæ quadrent, quod omnino necessarium. Deniq; quod nec *Intelligentia*, nec *scientia* verum genus sit Metaphysicæ, è dictis patet. Sunt enim species oppositæ *sapientia prima* sive Metaphysica, & *scientia*, sub communi genere habitu *discursivo*. Ita & *intelligentiæ*, habitui νοητικῷ opponitur *sapientia prima*, ut habitus διανοητικὸς. Præterea de *Intelligentiâ* res est in confesso: cum quod *Intelligentia* circa rerum *affinitatem*, vel res ipsas *inter se* collatas occupetur, *Metaphysica* verò circa *Entis naturam* & notionem communissimam *in se* consideratam versetur: tum quod *ista* principia nuda & *formaliter* ad *objectum* revo-

Sapientia prima non est genus Metaph.

Intelligentia non est Met. genus

cata expendat; hæc vero principia applicata materialiter, & ad conclusiones eliciendas adhibeat. De scientiâ res intricatior est. At verò certum est scientiam esse tantum notitiam conclusionum, seu earum propositionum, quæ non sunt simpliciter primæ & summæ, sed ad prima & summa axiomata habent sese ut conclusiones. Quanquam alias scientia non tantum conclusiones, sed & principia habeat, at saltim secunda, quæ & ipsa respectu primorum conclusiones sunt. Hinc ulterius certum est; Scientiam versari circa Ens determinatum, procedere è causis proximis, scientificis, & affectiones certas de subjecto certo & præcognito per easdem demonstrare. Horum autem neutrum Metaphysicæ convenit. Utpote quæ neq; subjectum habeat alibi præcognitum atq; determinatum, vel affectiones scientificas, vel demonstrationes affectionum de subjecto per rationes inferentes à priori, nedum per principia causalia: neq; conclusiones nudas, sed primis principijs stipatas proponat. Qui scientiæ vocem ampliant, & laxè usurpant, ut designet notitiam habitualem conclusionum, prout eliciuntur è principijs (non determinatè secundis,

Scientia non est genus Metaph.

Scientia non præscindit à primâ & secundâ.

sed

sed) indefinitè & indeterminatè sive primis sive secundis, videntur mihi neq; cum *Philosopho* loqui, neq; cum *veritate* convenire. *Laxa* ejusmodi acceptio nondum è *Philosopho* demonstrari potuit. At terminis usitatis inusitatas imponere significationes nō permittūt *Philosophi*. *Scientia habitus est, è particularibus principijs causatus* 1. Post Anal. *Notitia est conclusionis, non verò principiorum* 4. Eth. c. 6. Et quid est quæso, scientia *præcisè* sumpta, abstrahendo à *principijs primis* & secundis. Anne haberi potest scientia, ubi nondum sciam, medium in demonstratione positum esse causam *proximam* & *immediatam* affectionis illius, quæ de subjecto demonstratur. Annon ad scientiam in communi requiruntur *subjectum, principia essendi*, & quidem talia, quæ sint *proximæ* (hoc ipsō distinguitur à prudentiâ & sapientiâ) *affectionum causa?* Sed de his satis.

III. Materia circa quam, vel Objectum Metaphysicæ ad æquatum est Ens qvatenus Ens. *Objectum Metaph.*

Natura habitus theoretici ea est, ut *Objectum contemplationis* habeat, quod vulgò

Non omnis habitus theoreticus habet objectũ demonstrationis.

vulgò dicitur *Objectum demonstrationis*, at minus rectè. Cum habitus *theoreticus* & *demonstratio* non æquè latè pateant. *Sapientia* verò, ceu *universalißima, objectum* requirit *universalißimum*. Ejusdem enim latitudinis esse debet disciplina & Objectum. *Sapientia* ceu *directrix* inferiora omnia ad certos ordines revocare tenetur. Necessum itaq; est, cognoscat *omnia*. Cum virtus principis sit maxima nosse suos. At verò quia in *particulari* sub *propriâ quidditate* sibi non vendicat *omnia*, imò inferiorum *nulla*, ne subditos, ut ita loquor, suis exhauriat bonis, quæ sibi concessa sunt *dirigenda*, non *eripienda*; non potest aliter quàm *in universali omnia*, quæ sunt, considerare. Atq; hinc *objectum* ejus constat *proprium sive contemplationis. Ens quatenus Ens*: & *genericum sive considerationis*, omne quod *ad Ens quatenús Ens revocatur. Utrumq;* explicandum breviter. Circa *proprium* occurrit. 1. *Materiale, res substracta, notio cõmunis & indeterminatio*, Ens, sive conceptus ille summus, omnibus, quæcunq; sunt, *communis*. Idq; *verè & propriè*. Non *æquivocè* & *impropriè*. Objectum enim unum esse debet, neq; mentem nostram

Sapientiæ obj. latissimum.

Quare.

Materiale Object. Metaph.

hinc

hinc inde distrahere. Et quæ sub objecto sunt, in communi conceptu convenire debent. Quare Ens *æquivocè & latissimè* sumtum, prout complectitur ambitu suo etiam ea, quæ *verè* non sunt Entia, ceu sunt *Entia complexa, per accidens, privationes, Entia rationis, & in potentiâ*, objecti rationem non habet, cum hæc in infinitum ab Ente distent, ut in subjecti τὸ ἀγνώστῳ dicetur. Relinquitur ergò *Ens incomplexum, per se, positivum, reale & actuale.* Distinguunt heic communiter Ens sumptum *participialiter & nominaliter*, sive ut alij, *adjectivè & substantivè*, ut *isto* Ens *actu* designent, quia participia actus verborum suorum includant: *hoc* verò *essentiam ab actuali existentiâ abstrahentem*, quæq; sub se complectatur non minus Ens *proentiale*, quam *actuale*. In *posteriori* acceptione Ens objectum constituunt. Verumenimverò cum *essentia non assequatur naturam Entis, donec assequatur esse existentiæ*, ut verè *Alex. de Ales 5. Met. c. 15, & Ens in potentia* non sit verè *Ens*, ut suo loco evincemus; scire pervelim, quomodo possit *abstractione præcisivâ* formari conceptus communis Enti in *actu*, & *in potentia*? quomodo sub

Ens nominale & participiale.

Objectum Metaphysicæ non est Ens nominale.

sub Ente *verè* dicto & reali (quod objectū esse Metaphysicæ ἀναμφίδοξον est) comprehendi queat id, quod non est *verè* Ens, & *realitatem in* se nullam obtinet? 2. *Formale, modus considerandi, notio propria,* & quædam *veluti determinatio, Ens quatenus Ens.* Constat, omnes disciplinas circa *Ens* versari. Sed alio atq; alio *modo. Istud* ergò ipsis cum Metaphysicâ commune est. In *hoc* verò longissimè à Metaphysicâ abeunt. *Hæc* enim non considerat hoc vel illud Ens *quidditatis determinatæ,* & in *particulari.* Sapientia non evadit scientia. Disciplina universalissima non exhaurit particulares. Hallucinantur proinde, qui vel *Deum,* vel *substantiam immaterialem* Objectum Metaphysicæ constituunt, indolem Sapientiæ planè ignorantes. Remove verò omnia Entia determinata, & ad particulares disciplinas dimitte: quid remanebit? Hoc, quod omnibus, quæ sunt, commune est; *Ens in communi,* sub *notione indifferentiæ,* in *abstractione summâ,* vel *quatenus Ens.* Explico. τὸ quatenus in prædicationibus reduplicativis dupliciter sumi potest: 1. ἀπολογικῶς, & *in vi causandi,* ut *rationem* innuat, *ob & per* quam præ-

Metaphysica non considerat Entia particularia.

τὸ *quatenus explicatur.*

prædicatum insit *Subjecto*, vel etiam *conditionem*, & *causam sine quâ non* verificatur prædicatum de subjecto. 2. ἐμφατικῶς, & *in vi specifiiandi*, ut terminum alterum *specificet*, idque vel *totaliter* & *complete*, cui alter immediate conveniat, aut *Synecdochicè* & *incompletè*, secundum *quam partem* ipsi tribuatur, aut terminum, cui apponitur *modificet*, *cum* & *sub quo* modo vecificetur enuntiatio, sive deniq; *simpliciter tantum* demonstret, illud ipsum esse, *quod* & *de quo* dicitur. Quod hi modi sufficiant in *Logicis* docetur. Perinde verò est, judice *Corn. Martini*, utrum dicatur τὸ *quatenus reduplicativum* vel *specificativum*, cum in nominibus saltim discrepent, in re ipsâ conveniant qui aliter atq; aliter terminos hos accipiunt. Impræsentiarum, cum dico objectum Metaphysicæ *Ens quatenus Ens*, utraq; explicatio non inconveniens est. *Causalis*, ut reduplicetur *causa formalis* & *præcisa inhærentiæ prædicati* in *subjecto*. Etenim quod Ens est subjectum Metaphysicæ, hujus ratio est *proprius considerandi modus, qui hoc docet nos, in Metaphysicis Ens non nisi formaliter, essentialiter, ac sub Entis ratione considerare debere*. *Determinativa*, quia determinet

Quomodo hic τὸ quatenus accipiatur.

Ob-

Metaph. considerat Ens in abstracto.

Objectum commune hoc sensu: Ens secundum essentiam & quidditatem communissimam proprium Objectum esse. Innuit itaq; 1. Ens in *abstracto*, & universali, & excludit Entia *in particulari*. Innuit *communem rationem omnium*, excludit *considerationem specialem singulorum*. Est enim *abstracta* ab omnibus, non *concreta* ex omnibus. Considerat *omnia in universali*, non *universaliter omnia*. Est sapientia *Entis*, non *Entium*.

Metaph. objectum non est Intelligibile.

Occupatur circa *Ens* quà *Ens*, non circa omne *Ens*. Qui enim *omne intelligibile*, *sive Ens* & *omne Ens* huc revocant, omnes disciplinas in unam compingunt, & habit⁹ diversissimos cõfundúnt. Similiter,

Spiritus nõ pertinent ad Met.

qui ad *substantiam immaterialem sive spirituum* doctrinam descendunt in Metaphys. extra *objectum* evagantur. Ens non magis *spiritum* qua *talem* sub se comprehendit, quam corpus quà corpus. Noc potest mens nostra per rationem formalem *Entis quatenus Ens* duci in propriam cognitionem *hujus vel illius* Entis. Qui enim commune omnibus duceret in cognitionem specificam particularium! Nullus autem habitus cognoscit aliquid, nisi in ejus notitiam duci possit

per

per rationem formalē objecti intellectus noster. 2. Ens *quâ Ens* innuit *summam abstractionem Metaphysicæ*, quæ est *secundum indifferentiam ab omnibus*, quæcunq; Entis nomē merentur. Vocant eam nonnulli *abstractionem secundum rem & rationem*, at *permissivè*, non *positivè*. At quid hoc est? *secundum rem*, vel *realiter* abstrahere à materiâ, & non *positivè* abstrahere? An dicendum: quod Ens *realiter* sit à *materiâ* præcisum? Et non dicendum quod Ens *realiter* sit à *spiritualitate* præcisum? Indifferens enim est. Sanè concedimus Objecto Metaphysicæ *abstractionem* (non quidem ut *formalem* ejus *rationem*. sed ut *medium* provehens Ens in statum Objectivum) sed *præcisivam*, sed *indifferentiæ*, sed secundum *rationem solum*; quâ Ens planè immune est à conditionibus ad determinatam quidditatem restringentibus, & sub notione generalissimâ tantum concipitur. Ut errent, qui Ens Metaphysicum restringunt ad *Substantiam creatam*, vel *substantiam præcisè*, vel *Ens prædicamentale* & *finitum tantum*. Atqui dari potest *superior abstractio*, à *substantiâ* scilicet & *accidente*; à *creato* & *increato*: à *prædicamentali* & *extra-*

Abstractio Met. nō est secundum rem & rationem à materiâ.

Qualis abstractio sit Metaph.

Substantia creata vel Substantia vel Ens finitum non sunt obj. Met. adæquatum.

extrapræd icamentali, Quæ est *Entis in quantum Entis*. 3. Ens quat: Ens innuit *essentialem Entis considerationem*, excludit *accidentalem statum* & *extrinsecam conditionem*. Hoc discernitur Objectum *Logicæ*, à *Metaphysicæ* objecto. *Ibi* Ens sub *accidentali notione*, prout subsstat intentionibus secundis: *hic* sub *propriâ notione* in suâ essentiâ proponitur. *Ibi* deducitur ad officinam *instrumentalem*, ut *objectum circa quod operationis*. *Heic* sistitur menti ut objectum *contemplationis*. Quanquam & in eo sit differentia, quod *Logicæ objectum* τῷ λόγῳ adæquetur, sitq; omne *cognoscibile*, sive Ens in *universali* & *particulari*. Circa enim omne scibile mens aberrare potest, proindeq; indiget directione *Logicâ*. *Metaphysicæ* verò objectum est saltim *Ens in universali*.

Obj. Metaph. & Logicæ differunt.

Objectum considerationis Met. genericum.

Objectum generium sive considerationis Metaphys: est, quicquid in Metaphys. tractatur, sive *directè sive per ordinem* ad directum, sive *per se* sive *per accidens*. *Directè* traditur non nisi *Entis naturæ* & communis conceptus, *In ordine* verò ad Ens pertractantur tum Entis *affectiones*, tum minus *abstractæ* essendi *rationes*. *Principia incomplexa* heic nulla dantur. *Illæ*

Enti

Enti quà Enti insunt non *essentialiter*, quasi ad naturam Entis, quà talis spectent, sed *extraessentialiter*, quod Ens omnibus commune afficiant. *Hæ* Enti quà Enti *subsunt*. Non enim prohibet objecti *formalis* ratio descendere ad ea, quæ sub objecto formali continentur, sed ea saltim removet, quæ ipsi *extrinseca*. Ita *Physica*, considerans *corpus*, quà *naturale*, non respuit considerationem *hominis*, *quà hominis*, sed hominis quà *beandi*, quà *curandi &c.* Hoc enim planè *extrinsecum* est ad *corpus naturale*, quà *tale*. Quanquam adhuc alia ratio sit objecti transcendentalis. Nam quia hoc indifferens planè est ad hoc vel illud Ens, utiq; nec ea complectitur omnia, quæ Enti in serie rerum essentialiter subordinantur: nec promiscuè respuit omnia. Attendendum itaq; ad formalem rationem, quæ est Entis indifferentia, uti abstrahit à *naturâ speciali & determinatâ* quacunq;. Atque ita sub *primâ minori abstractione* Ens considerare, tantum abest ut repugnet Metaphysicæ, ut potius ad perfectam ejus cognitionem omninò requiratur: in quantum scil. minus abstractè repræsentatur ut *subsistens* & *inexistens*. At verò sub

An Metaphysica ea quæ sub Ente sunt pertractet.

determinatâ ratione & quidditate hoc vel illud Ens considerare in disciplinâ universalissimâ, omnino implicat. Deniq; uti Ens reale, per se, actuale &c. καθ' αὐτὸ consideratur in Metaphysicis. Ita potest & Ens rationis, per accidens, potentiale &c. illic considerari, Verum non nisi συμβεβηκότως, & per accidens. Quatenus opposita juxta se posita clariora evadunt.

Ens rationis per accidens, in potentia quomodo ad Met. pertineant.

Efficie Metaph.

IV. Causa Metaph. prima est DEUS. Secunda sunt Philosophi insignes, & inter hos ferè primus Aristoteles.

Deus quomodo sit causa Metaph.

Primæ partes Deo debentur. Qui hominem Sapientiæ capacem *condidit*, naturale sciendi sublimia quæq; desiderium *indidit*, & totum universum nobis contemplandum *dedit*. Qui præterea *ingenia heroica*, ad hujus studij culturam excitavit, ijsdemq; ad veritatis, & causarum summarum investigationem ἀκριβεστέραν singulare acumen concessit. Quod profanè negant, quotquot *Metaphysicam pro dono θεοσδότῳ non venerantur*, vel *Theologiæ eandem adversari blaterant*. At ignorant hi, omnia ea, quæcunq; in Metaphysicis proponuntur, eruenda esse ex ipsâ

ex ipsâ rerum omnium repræsentatione, quæ Deum autorem habet. Nec distinguere norunt inter principiorum Metaphys. *veritatem*, & *applicationis vitiositatem*. Quam verè *res* sunt, quæ sunt, quam constans est *rerum* quæ sunt, *analogia*, tam vera, tam solida sunt effata *verè* Metaphysica. Cæterum, si veli sta sophisticè *applicentur*, vel alia planè *fingantur*, quid hoc ad Metaphysicam? Ad *secundas causas* referimus *Philosophos*, qui Metaphysicæ omni seculo operam navarunt laudabilem. Quorum jam non libet prolixum catalogum texere. De *Aristotele*, ejusq; operibus uno saltim verbo. Hic, uti à veteribus hoc eulogio honoratur, quod scil. fuerit μεθοδικὸς, *Ordinis studiosissimus* φιλόλογος καθόλου, *universalium amantissimus*, & φιλαίτιος, in *causarum investigatione summè industrius*: Ita vel maximè in suis id testatum fecit scriptis *Metaphysicis*. Primus enim rebus *transnaturalibus* methodicè digerendis operam impendit. & ad explicanda *prædicata communissima*, atq; investigandas *causas summas* animum applicuit. Idq; non minus *felici successu*, quàm *solerti studio*, si primam Metaphysicæ a-

Aristot Encomium

dornationem æquis animis æstimare velimus. *Nihil* enim simul *inventum & perfectum*. Absolvuntur vero τὰ τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ *Aristotelea*, præmissâ *proœmij* loco *Metaphysicæ cõmendatione*, & προσκειμένων *sapientiæ* primæ *explicatione* duabus quasi *sectionibus*. *Altera* libros *præparatorios*, *tractatorios altera* exhibet. *Isti* sunt *priores sex*, in quibus *fundamenta* jacit futuræ tractationis, dum in *principiorum & objecti* inquisitione, *terminorum communissimorum* explicatione, & *disciplinæ* hujus *constitutione* occupatur, *Primo* itaq; de *principijs* & *objecto* sollicitus est *libr. 4. prioribus*. Ita verò de hisce agit ut 1. καθ' ἕξιν procedat, veterum sententias, de *primis* rerum *principijs* examinet & confutet, *libro primo*. Post *finita* esse rerum *principia* edoceat, & de *veritate* eruendâ differat *lib. 2.* 2. καθ' ἐποχήν: *dubitationes* ad *principia* rectè constituenda & *subjectum* adsignandum spectantes proponat, *lib. 3.* 3. κατὰ θέσιν *ipsum Objectum Ens quatenus Ens*, adsignet & *principium* omnium *primum complexum* proponat, *lib. 4. Secundò* à *principijs* & *objecto* descendit ad *terminorum* πολλαχῶς λεγομένων *universalissimorum* expli-

Oeconomia librorum Aristotel. Metaph.

explicationem, quorum numerantur ferè *quadraginta*, *principium*, *causa*, *Elementum*, *Natura*, *Necessarium*, *Unum*, *Multa*, *Ens*, *Ens per accidens*, *idem*, *diversum* &c. de quibus *lib. 5.* qui dicitur liber de *quotiens*. Hisce declaratis, *tertiò*, *disciplinæ hujus naturam* & constitutionem inquirit, *lib. 6.* quod sit *Theoreticæ* Philosophiæ pars, & *quomodo* ab *alijs* distinguatur, quodq; non versetur circa *Ens latissime* sumptum, ut, Ens *peraccidens*, & Ens *rationis* complectitur, ostendit, adeoq; eadem à *Metaph.* consideratione excludit. Dehinc deniq; ipsa *tractatio* succedit, *reliquis octo libris* expedita. Quos ita licet distribuere, ut alij tradant *homogenea* sive quæ hujus scientiæ sunt: alij vero ἀλλότρια & *heterogenea*. *Ista* quidem *primò* διεξοδικῶς proponuntur; *deinde* per ἀνακεφαλαίωσιν quandam συντόμως repetuntur. Διέξοδος *primò objectum* pertractat, *lib. 7.* Et quidem *objectum primum*, *primitate attributionis*, quod est *substantia*. Hæc enim principaliter Ens est, & ad eam quæ de Ente in communi dicuntur, primò spectant: eâ deniq; cognitâ, ceu principali *analogato*, & *accidens* cognoscitur, imò tota *natura Entis* quo-

Liber de quotiens.

Libri tractatorij.

Homogenei

dammodo tenetur. *Secundò principia Physices*, ceu *sapientiæ secundæ sapientia prima* præcognoscit & constituit; *materiam* scil. & *formam*, nec non *objectum* ipsum *compositum lib. 8.* & cum *materia potentia* sit, *forma actus*, de *potentiâ* & *actu* utilissima proponit, *lib. 9. Tertiò* deniq; *affectionem Entis*, potissimam, *Unitatem*, & huic oppositam *multitudinem* perpendit *lib. 10.* Inde συντόμως quæ tradidit, repetit. Quo ipso colophonem imponere potuisset, sed quia de *Deo* & *intelligentijs sive substantijs immaterialibus* non nisi paucula quædam cognita habuit ê *naturæ lumine* ea per *appendicem* quasi subjuncta, & indirectè huc revocata existimabimus. Quanquam alias *heterogenea* sint; & *Pneumaticæ* consideder ationis. *Duodecimo* itaq; *libro* ad *substantias separatas* descendit, *primum* omnium rerum *principium* & *summum bonum* inquirit; & *postremis duobus*, *decimo tertio* & *decimo quarto*, veterum *Philosophorum Pythag.* & *Platon.* sententias, quas obscuras satis & intricatas de *substantijs immaterialibus* foverunt, examinat. Qui etiam ab Interpp. negliguntur, quod sententiæ istæ planè expirarint de *Ideis* & *nume-*

Heterogenei.

De Spiritibus quomodo agat Arist.

Libri postremi Arist. negliguntur ab Interpp.

numeris, rerum omnium *principijs*, & postliminio in Philosophiam revocandæ non sint. Hæc de librorum Arist. *summariâ dispositione*. In qua licet desiderentur plurima, omni tamen præconio *Aristoteles* est dignissimus, quod *primus* viam aperuerit, alijsq; facem præluxerit, quod si à veritatis tramite non nunquam aberravit, quid mirum? Quocirca qui sibi & veritati consulunt, neq; *Aristotelem omninò* reijciunt, quia in multis proximè veritatem attigit, *neq; simpliciter Aristotelis* placita adorant: quia *homo fuit, errare potuit*, circa prima præsertim *Metaphysicæ incunabula*. Adde, quod rerum *divinarum* & *mysticarum* nullam habuerit *notitiam* ac proinde circa *terminorum Metaph.* in *abstractione Entis* declarationem facile labi potuerit. Qui enim non omnia *particularia* cognita habet, quomodo in *abstractione formalem rationem* adeò accuratè constituet, ut nihil in eo desiderari possit! Quare ad *rerum veritatem* potius, quàm *Philosophi autoritatem* respiciendum est. *Πίνακες de Arist. Metaphys.*

V. Finis Metaphysicæ genuinus est mentem nostram cogni- *Finis Metaph.*

tione rerum abstractissimarum perficere, & disciplinas inferiores dirigere; in facultatibus denique summis usum suum exercere.

Fines spurij.

Fines Metaphysicæ alij sunt νόθοι sive *spurij*, alij γνήσιοι sive *genuini*. *Isti* sunt, *reliquas disciplinas sibi subalternare: & principia sciendi tradere. Hoc* enim *practicum* est & *instrumentale*, ad *Logicam* spectans. *Illud* non nisi *improprie* dici potest. *Proprie* enim dicit *subalternario* suppositione subjecti uni sub alio, adscitâ *differentiâ accidentali*: qualis non datur, si *Ens*, & quæ sub Ente sunt, *objecta particularia* consideremus. Restringitur enim ad esse determinatum per *differentiam intrinsecam & essentialem*. Iis ergo dimissis, horum sunt alij *absoluti*, alij *respectivi*.

Subalternatio propria quid requirat?

Finis genuinus absolutus.

Absolutus finis est Entis *cognitio*, & *eorum*, quæ huc spectant, *terminorum* scil. *universalissimorum, distinctionum communissimarum, principiorum summorum*, una & *conclusionum communissimarum*, nec non *expressiorum essendi rationum*. Quæ cognitio heic non intenditur *superficiaria & umbratilis*, sed *solida*; sed *accurata*. Ad quam spectat, in *terminorum universalissimorum*

Quid requiratur, ad accuratam Metaph. cognitionem Interminis

morum explicationibus *habitualiter* cognoscere explicationum non tantum *modum & varietatem*, sed cumprimis *fundamentum & veritatem*, non tantum *usum & applicationem*, sed & *principium*, & uniuscujusq; termini *formalem rationem*. In *distinctionibus* non satis est, scire *genuinum distinctionis sensum* atq; *usum*: sed vel maximè certos nos oportet esse, de *distinctionum certitudine*, atq; *necessitate*. *Conclusiones*, quæ in Metaph. proponuntur, vel, uti vulgò dicuntur, *axiomata Metaphysica*, non sufficit nudè docere, sed è *primis principijs* deducere, hoc demum sapientiæ est. Atq; hoc op°, hic labor est. Ad minus *abstractos* essendi *modos* si descendamus: & hèic cumprimis summopere est necessarium, accuratè eosdem tenere, & quomodo universam *Entis latitudinem* exhauriant probè perspectum habere. *Respectivus* finis est *duplex*, prout Metaphysica refertur ad *nostrum intellectum*, vel ad *disciplinas alias* comparatur. *Ille* est; perficere intellectum *secundum se & primò*, Quod fit eorum repræsentatione quibus maximè gaudet intellectus, scil quæ ab *omni materia* libera sunt: nec non *omnium in universali* exhi-

Quod in distinctionibus?

Quid in conclusionibus?

Quid in minus abstractis essendi modis?

Finis respectivus.

Met. intellectum per se perficit.

bitione. Quum omnia scire naturâ suâ desideret. De *Physicâ* vel *Matheſi* hoc dici nequit. Quæ licet perficiant intellectum, non tamen *primò* & *per se*, in quantum *universalißima & abstractißima*, quæ propriè sunt intellectus, cognoscit; sed *secundario* & κατ' ἄλλο, ob *dependentiam* quam à phantasiâ habent. *Hic est duplex. Internus*, qui *in* ipsâ *Metaphysicâ*, & *externus*, qui *extra* eam obtinetur. *Prior* est *disciplinas regere* θεωρητικῶς, *principiorum confirmatione*, & *objectorum aßignatione.* nec non *controversiarum decisione*, de quibus supra. Quo fine *Consiliarios* adhibet, ut ita loquar, eminentißimos, *Gnostologiam* scil. & *Noologiam. Illam*, ut *in abstracto* omnia cognoscat: *hanc*, ut *conclusiones* suas immotè stabiliat, quo de *alibi. Posterior* est, *usu suo in omnes disciplinas sese diffundere*, idq; propter *terminorum & principiorum communitatem.* Unde ad omnes *disciplinas*, ad omnes *facultates* apprimè utilis est *Meraphysica*; non quidem ceu *medium* aliquod, ad *finem* destinatum, quod nobilitati hujus disciplinæ derogaret, attamen ut *causa eminentior*, *suo modo in inferiora influens*, uti *Schvaretz* explicat *Diſp. 1. sect. 1. §. 4.* Cæterum *usus*

Consiliarij Metaphysicæ.

Meta-

Metaphysicæ *externus* est multiplex. Si enim *disciplinas cæteras* respicias, certum est, quod agant saltim de *parte Entis quadam*, seu de hoc vel illo Ente. 3. *Met. c. 1.* Non verò potest *hoc* vel *illud Ens* cognosci, nisi dependenter ad cognitionem *Entis simpliciter*. Sicuti *non potest homo cognosci distincte, nisi cognito animali, & animal nequit cognosci, nisi cognito corpore.* Ita *quid spiritus*, quid *corpus* sit cognosci non potest, nisi cognito quid *Ens*, quid *substantia!* Quin & *terminis communissimis*, atq; *axiomatibus generalissimis* ne *ICti* quidem, vel *Medici* abstinere possunt, quorum tameu accurata cognitio non nisi è *Metaphysicis* haberi potest. De *Theologis* dicam. At pauciſſimis. *Officium* eorum triplex: διδακτικὸν, ἐλεγχτικὸν, & ἐξηγητικὸν. In διδασκαλίᾳ sive *terminorum explicatio, sive conclusionũ confirmatio* spectetur, perquam necessaria *Metaphysicæ* cognitio deprehenditur. Absq; eâ plurima sunt in *Theologicis*, quæ accuratè sciri nequeunt. Quando de *principio primo fidei*, de *normâ controversiarum*, de *perfectione scripturæ* disseritur; vel de *unitate*, de *Essentiâ*, de *substantia*, de *personalitate*, de *dependentiâ &c.* ἐξέτασις in loco de Trinitate

Finis externus Metaphys.

Usus Metaph. in Theolog.

In διδασκαλίᾳ.

tate instituitur: quid sine *Metaphysicâ* intelligi poterit! *Conclusiones* quoq; Theologicæ longè plurimæ neq; dextrè *explicari*, neq; accuratè *probari* possunt sine distinctâ *Metaphysicæ* cognitione. Non *explicari*. Quando scil. *alterum* extremorum, vel *utrumq;* aut terminus Metaphysicus est, aut Metaph. termino vestitum est. Quales sunt istæ: *Peccatum originis est accidens. Personæ divinæ differunt realiter. Essentia à personâ non differt realiter. Unio personalis est causa communicationis idiomatum*: Et tales infinitæ aliæ; quæ ne intelligi quidem possunt ab ijs, qui *Metaphysicæ* cognitione destituuntur. Non *probari*. Confirmatio enim præsupponit intelligentiam. Adde quod in Theolog. plurimæ sint quæstiones, quæ licet per se & intrinsecè non *Theol.* sed potius *Metaphysicæ*; ad Theologiam tamen applicantur. v. c. *An actus primus unius rei possit esse actus primus alterius rei. An substantia possit esse sine propriâ subsistentiâ. An unionem veram insequatur communicatio. An propria communicari possint &c.* Harum sanè decisio apprimè Theologo accuratiori est necessaria, quæ tamen non nisi è *Metaph.* hauriri potest.

In conclusionum explicatione.

In conclusionum probatione.

Hinc

Hinc etiam, quid in ἐλέγχῳ *Theologico* posſit *Metaphyſica*, facile conſtat. Certum enim eſt, nullam eſſe *hæreſin*, quæ non ſubinde ad Metaphyſicam recurrat, & heterodoxias ſuæ φαντάσματα ab eâ emendicari tentet, ſive *vitioſâ* axiomatum Metaphyſicorum *applicatione*, ſine *captioſâ* principiorum effictorum *jactatione*. Quod loquuntur non modo *Scholaſticæ Jeſuitarum diſputationes*; ſed vel maximè tum *Photinianæ* adverſus myſterium *S.S. Trinitatis*, contra *eſſentiæ divinæ communicabilitatem*, ὑποστάσεων *in unitate eſſentiæ pluralitatem, characteres perſonales, relationes ſubſiſtentes, diſtinctionem perſonarum realem, æternam filij generationem, propriam Spiritus S. perſonalitatem &c.* oppoſitiones & exceptiones innumeræ: tùm *Zvinglio-Calviniana* de *Neceßitate rerum immutabili, causâ peccati, ſubſiſtentiæ & idiomatum divinorum incommunicabilitate, ſignis ſacramentalibus, & abſentiâ corporis & ſanguinis Chriſti reali &c.* placita & aſſertiones. Quæ neq; *intelligi*, neq; *examinari* aut *confutari* poſſunt abſq; *Metaphyſicæ* cognitione. At quisquis cum ſtudio Theologico accuratiori primæ Philoſophiæ operam navarit piè & ſobriè, is cer-

Theolog. Uſus in ἐλέγχῳ.

is certè eò facilius hæreseon impietatem in apricum producere, & versutissimos quoq; hæreticos è latibulis protrahere poterit, is eò *felicius* placita ipsorum examinare, principia confutare, argumenta specioſissima dissolvere adeoq; veritatem Theologicam ab ἀφιλοσόφοις sophisticationibus vendicare, atq; sartam tectam tueri noverit. Quod deniq; ἐξήγησιν *locorum scripturæ* concernit; huic quoque non minimum suppeditat Metaphysicæ cognitio adjumentum. Ita *qualis bonitas* sit, cum quâ *omnia condita dicuntur*, *Gen. 1. 31.* quanta sit *potentia Dei*, quæ supra *nostram est intelligentiam Eph. 3. 20:* quæ sit *necessitas*, quâ *opus sit evenire scandala Matth. 18. 7. &c.* ut dextrè explicetur, plurimum juvat primo philosophica *Bonitatis, Potentiæ, Necessitatis &c.* consideratio. Quæ & alia probè pensitans *Schegkius*, gravissimè: *Ego quidem*, ait, *sic judico, tum demum fore quietas & beatas Ecclesias, si aut Philosophi boni dent operam Theologiæ, aut Theologi philosophentur piè. l. 1. de demonstr.*

Usus Met. in ἐξηγήσει Theolog.

Hæc quæ de Metaph. Constitutione *dicta, suggerunt sequentia de ejusdem* adornatione

MONI-

MONITA.

Monita de Metaph. adornatione.

I. Quicquid in Metaphysicis docebitur, ad Ens quà Ens revocandum erit.

Ens est basis cognitionis Metaph.

Et *vice versâ*, *Quicquid ad Ens, quâ Ens revocari non potest, id in Metaphysicis doceri non debet.* Objectum enim æquè latè patet cum disciplinâ, ejusq; mensura est. Hinc constat 1. *Quæ docenda, quæ non docenda.* *Homogenea* sunt, quæ Entis *naturam* concernunt, & Enti quâ Enti tum *inesse* tum *subesse* deprehenduntur. At quantum admittit *sapientiæ indoles*, & *Entis quà Entis indifferentia*. Qualia sunt *Entis θεωρίαι*: *Attributorum transcendentalium*: Itemq; *rationum Entis minus abstractarum explicatio*. *Heterogenea* sunt, quæ ad prædicta capita referri nequeunt: ceu sunt in *genere* quæcunq; *Entia determinatæ quidditatis*: quæ, licet παραδειγματικῶς & *exemplificationis* ergò huc revocentur utiliter, pertractari tamen hèic ἐξοδικῶς & *plenariè* non possunt, nisi valdè impertinenter. In *specie* excluditur *Pneumatologia* seu spirituum consideratio, & *Hetorologia* sive *habituum specificatio*, quæ à nonnullis ad *Metaphysicam* revocantur: at sub

Quæ in Metaph. docenda?

Quæ non?

ὄντο-

ἐντολογίας non comprehenduntur. Extulat deniq; ab Entis, quà Entis, contemplatione, adeoq; & à territorio Metaph. doctrina sive *prædicamentorum* (*notionalia* enim hæc sunt, *instrumentaria* sunt, *Logica* sunt, *prædicationes* respiciunt, non Entis *naturam*) sive decem summorum generum. Nisi huc revocare libuerit ea, quæ alias nullam sedem in particularibus scientijs obtinent, & ad *varios essendi modos* explicandos faciunt. Quà in parte non refragamur. 2. *Quomodo docenda*, ut scil. perpetuus respectus habeatur ad *Ens quâ Ens*. Ideoq; & *attributa* ipsi adæquata statuenda sunt, constituta in ordine ad Ens definienda: & *expressiores Essendi rationes*, & ipsa demum *objectorum determinatio* intuitu Entis qua Entis proponenda.

Quomodo in Metaph. docenda?

Qualia præcepta sint Met.

II. Omnia præcepta Metaphysica in abstractione Entis formanda sunt.

Mensuratum enim ad *mensuram* exigendum. Non ergò ad Ens finitum, & ad naturæ librum unicè respiciendum. *Universalia* præcepta ab omnibus *particularibus* suam veritatem obtinent, & ex eo-

eorum *inductione*, eâq; *perfectâ* demum dici meretur universale. Accurate id notandum, tùm in *formali terminorum transcendentium ratione*, tum *in abstractâ principiorum communium constitutione*. Utrobiq; dominari debet præcisio, *ab omni quod est*, adeoq; non minus ab *ente infinito* quam finito. *Termini* non sunt æstimandi è rebus saltim creatis, sed ficubi & ad mysticа applicati deprehendantur, per *analogium* communis conceptus formandus est abstrahens ab his simul atq; ab illis. Uti enim *finitum* & *infinitum* participant ἀναλόγως Entis naturam; ita & quæ ad *Ens* quâ *Ens* spectant. Pariter *principia communissima* non sunt censenda, quæ saltim in altero *hemisphærio* obtinent veritatem, in altero, eoque *sublimiori* non item: quæ ê consideratione tantum *affinitatis rerum in naturâ propositæ* formantur, non vero in simul ὄντων *rerum in scripturâ expositarum* intuentur. Alioquin fiet, ut pro *axiomatibus universalibus* obtrudantur talia *principia*, quæ non nisi *particulari naturalium inductione* constitêre, & de *objectis naturalibus* veritatem obtinent, id est, *mere particularia* sunt. Atq; ex hoc fonte enata est

Abstractio urgetur in terminis & principijs Metaph.

Termini Metaph. non æstimandi è rebus creatis.

Vnde orta

pugna Philos. & Theolog.

fictitia ista Theologiæ & Philosophiæ pugna. Contra uti *physica non sunt norma rerum mysticarum*, ita *principia è solius naturæ consideratione exstructa minimè debent mensurare fidei mysteria. Transcendentia* vero, quæ utiq; *communia* oportet esse *utriusq;* impossibile est, ut cum *alterutris*, vere pugnent. Quemadmodum nullâ ratione fieri potest, ut *universale destruat particularia. Essentiale* enim est *inferioribus* & *particularibus*. Iis itaq; opponi non potest. Quocirca accurate observandum, *non ita facile universalitati principiorum fidem esse adhibendam, nisi* vel *inductio omnium particularium eadem* directè probet, vel *deductio ad impossibile* ijs fidem infallibilem conciliet.

Examen principior. univers.

Norma definit. & divis. Met.

III. Ut in formali terminorum transcendentium veritate dominatur abstractio, ita vel maximè attendenda est in varietate materiali adæquatio.

Fluit hocce è *præcedenti*. Si enim omnia præcepta Metaphysica *in abstractione Entis* formanda sunt, necessarium utiq; non minùs *divisiones materialem rerum varietatem exhibentes sub adæquatione omni-*

omnimodâ, quàm *descriptiones formalem terminorum transcendentium rationem repræsentantes sub ultimatâ exhibere abstractione.* Ne vel *communis conceptus* justo fit angustior: vel modi *contrahentes* insufficientes. *Transcendentia* enim *universam exhauriunt* Entis *latitudinem*. Ideoq; non saltim respiciunt Ens *absolutè*, sed & sub *tali vel tali statu.* Quare & *indefinitè* prout Ens denominant, sunt describendâ, & in modis suis *adæquatè* repræsentanda. Illa ergò sit *norma definitionum & divisionum transcendentium.*

IV. Nulla debet statui in Metaphysicis conclusio, quin è primo principio sit deducta, vel saltim deduci possit. *Fundam. conclusion. Metaph.*

Primum & summum est principium, quod habetur apud *Philosophum* 3. *Metaph.c.3.& 4.* itemq; *l.4. Metaph.c.4.* & 5. τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν, καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον. *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Quod *alij* ita efferunt: *Non potest idem simul affirmari & negari de eodem*, alij ita: *Duo contradictoria non possunt esse simul vera.* Sunt &, qui huc revocant illud principium, quod est *Primum principium.*

3. Met. t. 3. & 4. & Met. t. 27. Quodlibet est, vel non est. Et: Necesse est alteram contradictionis partem esse veram. At vero, utut *hoc* consequatur ex *illo*, minimè tamen unum est *cum illo*. *Prius* enim *terminorum*, Esse & Non esse, *repugnantiam* primò exprimit, quod sese mutuo tollant. *Posterius* autem omne *medium* inter esse & non esse excludit. Quæ certè diversa sunt. Sint enim *per improßibile* contradictoria aliqua, *medium* admittentia, quod est *per negationem utriq; extremi*; manebit nihilominus *repugnantia* salva. Sed de eo in *Noologiâ*. Intellige verò *primum principium* non tantum de esse & non esse *præcisè*, sed & de *hoc* vel *illo* esse *restrictè*. Quibus ita positis dico: Ad principium istud exigi debere, quotquot in Metaphysicis traduntur *conclusiones generalißimæ*. Requirit hoc tum *sapientiæ primæ præeminentia*, cujus est ad altissima usq; principia conscendere; tum *principiorum scientificorum indigentia*, quæ certè munimento indigent, ut ipsæ suam assequantur certitudinem scientiæ. Nam *error commißus in principio primo, non corrigitur in secundo.*

Consequens primi principij.

V. Ap-

V. Applicatio terminorum transcendentium ad res mysticas, uti omninò fieri potest, ita non nisi ἀναλόγως fieri debet. *Applicatio transcendentium ad res mysticas.*

Potest, ob *terminorum communitatem*. Debet, ob *mysteriorum singularitatem*. At non potest *in omnibus*. Sed *in ijs* saltim, ubi obtinet quædam *communis ratio*. Applicatio enim præsupponit *participationem*. *Contra naturam* rerum, vel etiam *citra* applicationis *fundamentum* nulla debet fieri applicatio. Quare & *illa* est accuratè pensiranda, & *hoc* attendendum sedulò. *Istam* suppeditat *Theologia*. *Hoc* repetendum è *Gnostologia*. Est autem analogiæ fundamentum *infinita rerum distantia*. Non ea, quæ ita dicitur ob denegatam *omnem convenientiam*. Alias non nisi *æquivoca* erit *applicatio*: quæ est saltim κατὰ λέξιν. Sed propter *infinitam* alterius extremi præ altero *excellentiam*. Unde est *in vi eminenti analogica applicatio*, quæ simul κατὰ παράδειγμα instituitur. E. g. Cum tribuitur *dependentia Filio & Sp. S. in mysterio S. S. Trinitatis*, *causarum sociarum denominatio in opere creationis*, mera est *æquivocatio*, ἀκυρολογία maxi-

Infinita rerum distantia duplex.

Analogia ab æquivocatione distinguenda.

ma, non ferenda in disciplinâ accuratâ. At cum *Pater dicitur principium reliquarum personarum: & S. S. Trinitas causa salutatur Creationis: analogica* obtinet terminorum *applicatio*. Id est, conjuncta cum *remotione omnis imperfectionis, & eminenti, solius formalis rationis attributione.* Ita exulat à dicto principio, *Naturæ primitas, dependentiæ consecutio, principiati illatio &c.* à *causâ* prænominatâ *motus successivus, mutatio &c.* Vendicatur verò in *eminentiâ isti* quidem *relatio originis & processionis: huic* verò *dimanatio causati &c:* Scilicet *formale* transcendentium, ijs, ad quæ fieri *potest* applicatiò, denegandum non est: At neq; inferri debent *conditiones materiales:* ne *ex abjectæ creaturæ conditione res æstimentur mysticæ. Physica* enim hoc se habet, ut opposita rebus *hyperphysicis.* Unum autem oppositorum, non participat rationem alterius.

Formale à materiali discernendum.

Theorematum veritas & usus.

VI. Theoremata vera à ψευδοθεωρήμασι, nec non istorum usus genuinus à Sophistico abusu sedulò discerni debet.

Quæ sint

Vera sunt, quæ è *transcendentium naturâ*

turâ fluunt. Cujus sunt quædam veluti porismata. *Falsa*, quæ tantum abest consequantur transcendentium indolem, ut eandem potius evertant, aut pervertant. *Ista* fundamenti loco habent *prima principia. Hæc postulata fictitia.* Ab his itaq; studiosè cavendum. Cum uno admisso absurdo (præsertim in *transcendentali* disciplinâ) sequantur infinita. Circa *ista* verò sedulò est dispiciendum, ne abusu *Sophistarum* & *hæreticorum* veritatem eripi patiamur: usumq; genuinum ita deperdamus. Quo de in progressu. Nam & heic

Vera Theorem.

Quæ falsa?

Verorum usus & abusus.

Usus habet laudem, crimen abusus habet.

Cæterum heic circà abusum primæ Philosophiæ hæreticum in genere observamus, & unde prodeat, & quomodo examinari debeat. Fundamentum vel ut rectius loquar, πρῶτον ψεῦδος abusus geminum est potissimum. Primum: quod res mysticæ è rebus naturalibus æstimentur. Concludere enim solent à rebus finitis ad res Eminentes. Et porrò universalia exstruere principia. Quod est res infinitæ distantiæ miscere, & confundere. Ita qui essentiam, qui personas divinas, qui distinctionem realem &c. in mysterio Trinitatis æstimant è ratione Essentiæ, personarum, distinctionis realis in Naturæ terminis, & consequenter transcendentia principia formant ad normam tantùm Essentiæ, Personæ, & realis distinctionis

Fundament. abusus.

nis Naturalium. Secundum est, quod judicium rationis evehatur supra divinam potentiam. Quando impossibilia judicantur, quæ à ratione abludere videntur. Tale est illud: Natura finita non potest habere infinitum subsistendi modum. Atqui cum Script. doceat humanam Christi naturam finitam gaudere subsistentiâ infinitâ τῦ λόγυ, constat, fictam esse contradictionem, quicquid etiam ratio suggesserit. Sed de hisce suo loco. Examen principiorum fictorum peragitur considerando terminorum cognationem. Convenientia enim affirmationis, pugna negationis fundamentum est. Ita principium Calvin. est, Unio potest esse vera sine unitorum præsentiâ. Perpende. Unio dicit unitorum indivisionem. Negatâ autem præsentiâ infertur utriq; divisio. Simile est illud Sadeelis oper. Theol. p. 317. Sine quantitate intelligi corpus humanum non potest. Et: Quantitas ne λόγῳ quidem seu definitione est posterior ipso corpore. Collige terminos. Quantitas est accidens. Corpus substantia. Ergo accidens ingredietur definitionem & constitutionem substantiæ. Nec à substantiâ dependebit amplius, quia eâ non est posterior, imò quia est ipsa substantia. Paradoxa! Sed hæc & alia plurima ad limam revocanda erunt inq; progressu.

Examen princip. fictor.



MEMBRUM PROOEMIALE POSTERIUS
De Ὀντολογίας Partitione.

Disput. II. Publica Respond. *Engelberto Hojer Herb. V Westph.*

EGimus de Metaphysices *germana* constitutione; *inquirenda proinde restat ejusdem genuina* partitio. *Non enim possumus ad distinctam partium* singularum *evolutionem progredi, nisi prius* An & quæ *sint* partes Metaph. generaliter *consliterit. Quamvero disciplina sit generis & formæ ratione una* unitate specifica, *& proinde habitus indivisibilis, quod nullas sub sese habeat* species prima sapientia, *sed ipsa species sit* specialissima; *attamen pro* materiæ & objecti *consideratione* diversimodâ *dispesci potest* in partes integrantes; analogas *puta* & intensivas, *quemadmodum* & aliæ *disciplinæ dispescuntur. Verbo:* Divisio *denegatur, quia* unitatem *obtinet à* formâ propria habitus *& ratione*, sub qua, objecti *Ente* scilicet *quà Ente, ad quod omnia revocantur, quæ traduntur in Metaphysicis.* Partitio *non denegatur, quia* diversimodè *potest Ens quà Ens intellectui sisti, quod si per* partes *explicetur emergit quædam, ut loquuntur, disciplinæ* partitio. *Quot modis ergo Ens quà Ens repræsentari possit, & de-*

Disciplina est una.

Objecti ratione dividuntur disciplinæ.

E beat

beat adeoq; quot *Metaph.* & quæ *sint* constituendæ partes, dicendum.

Partes Metaph.

I. Metaphysicæ partes duæ sunt: Una Generalis, Specialis altera.

Metaph: tota universalis dicitur in part. univers & special.

Metaphysica in ordine ad alias *scientias Philosophicas* considerata tota, quanta quanta est, *Universalis est*, at si *partes Metaphys.* inter se comparentur, *una* magis est *universalis* quàm *altera*. Quando enim *scientia* alia dicitur *universalis*, alia *specialis*, *divisio* est *generis* in *species*; at *partitio* est, cum *Metaph.* partes duæ dicuntur: *Generalis* & *Specialis*. *Illud* fit ratione diversi objecti; hoc ratione *diversæ considerationis ejusdem objecti*. Et licet Metaphysica sese non demittat ad ullum Ens *speciale* ac *determinatæ quidditatis*, objectum tamen suum plenè ac adæquatè pervolvit. Potest autem Ens quà Ens, immò *debet duplici* sub notione intellectui sese exhibere, & in disciplina proponi. *Primò* sub notione *communissima* & *abstractissima* sine respectu *determinatæ essentiæ* sive *contractionis* sive *explicationis* saltim *essendi rationis*, h. e. in *quantum Ens* est conceptus *communissimus*, & *attributis* gaudet *generalissimis*.

Fundam: divisionis:

Secun-

Secundò sub notione *minus abstractâ*, & *expressiori essendi ratione*, in quantum *Ens* repræsentatur per *subsistentiam* & *inexistentiam*. Hinc constat divisionis nostræ *fundamentum:* Quot modis enim objectum sisti potest intellectui, tot disciplinæ partes constitui debent ἐπὶ δὲ θεωρίαν τὰ θεωρητὰ πῶς. 3. *de anim. c. 8. t. 37.* & *scientiæ secantur in res*, (vulgò *ut res*) ibid. At tot modis sistitur objectum *Ens* qua *Ens* intellectui. E. Quando verò primam partem *generalem*, *specialem* alteram voco, non est putandum quod *communio* sit *realis Metaphysicæ* cum alijs disciplinis, quarum partes ijsdem nominibus etiam insigniuntur. In *vocibus* quidem convenientia est; at quia *objectum diversissimum*, ideò in *re* maxima est differentia Cæteræ enim propria *objecta* habent, eaque *duplici* ista ratione pervolvunt. Nostra *Ens* qua *Ens* sibi soli vendicat. His ita constitutis & expositis concidunt *spuriæ* aliorum *partitiones*, qui *vel I. omnes disciplinas* in unam Metaphysicam compingunt, *vel II.* dispescunt Metaphysicam in tractatum *de Ente* & *de Entis speciebus*. Vel *III. Ens* considerant tùm *in se* tùm *oppositè in non Ente*. Vel *IV. Duas* faciunt Met.

Divisio hæc est propria Metaph:

Spuriæ divisiones Metaph.

partes, quarum *prima* agat de *abstractis secundum indifferentiam*, seu ijs quæ omnibus tùm *materiatis*, tùm *immateriatis* sunt communia; *Secunda* de *abstractis secundum essentiam*, h. e. de *substantijs incorporeis*; Vel *V. tres partes* constituunt: *Primam* de *Entis divisionibus*: *secundam* de *cognatis*, *tertiam* de *oppositis*. Vel *VI.* alia ratione *tres partes* faciunt; *primam* sc. de *substantijs à materiâ sejunctis*, *secundam de transcendentibus*, *tertiam* de *prædicamentis* & quæ sunt aliæ hujus furfuris divisiones. Omnes inconvenientes. Nam *vel objecta diversa* confundunt pessimè, & *disciplinæ transcendentalis* limites egrediuntur, *vel contradictoria prima* absurdè ad *unum objectum* revocant, *vel partes* transponunt ἀμεθόδως: vel *heterogenea* immiscent, *homogenea* prætereunt, ἀπαιδεύτως, & quæ alia sunt, quibus laborant, vitia. *Sunt* qui nostram partitionem retinent & probant, at quia falsam hypothesin fovent de *abstractione* & *spirituum* consideratione, eandem minus dextrè explicant. Ad *specialem* enim partem *specificam substantiarum spiritualium* considerationem revocatam volunt; ideoq; in *Entis abstractione*, & *expressioribus essendi* ratio-

Reijciuntur.

Falsa explic. divis. Metaph.

rationibus non subsistunt, sed ad *Entia determinatæ quidditatis* descendunt, quod est contra naturam *universalis disciplinæ* & *formalem objecti rationem.*

II. Generalis Metaphysices pars speculatur Ens in abstractissima ratione & omnimoda indifferentia, qua naturam, & attributa communissima, quæ Enti per se insunt, citra essendi principia. *Pars generalis.*

Dicitur *Generalis, Universalis, communis* & *Syncritica. Generalis*, non quod Ens *genus* sit, & *species* sub se complectatur, sed quia in *genere* & in *abstractione ultima* Ens evolvat. *Universalis*, quod de ijs agat quæ *universaliter* omnibus quæcunque sunt, tribui possunt: quodq; vel maximè *universalissimas* exhibeat *conclusiones. Communis*, quia non attingat sub *hoc vel isto* modo Ens prout *propriam* rationem obtinet, sive per *se subsistendi* sive *inexistendi in alio, sed in communi essendi ratione* occupetur. *Syncritica* quod *rerum affinitas* & *collatio* gignat *transcendentia*, quæ unicè pensitat permanens in *statu indifferentiæ* citra *distinctionem* vel *discretionem Entis.* Nam licet *attributa Entis* *Cur dicatur pars generalis?* *Cur universalis?* *Cur communis?* *Cur syncritica?*

disjuncta importare videantur Entis distinctionem, reverà tamen non important. Sed Ens sub ista *indifferentia* saltem *denominant & afficiunt disjunctive*. Aliud sunt *affectiones*, aliud *divisiones*, de quo posteà. Hèic itaq; Ens repræsentatur sub *notione abstractissima, communissima, generalissima*, sub *omnimoda indifferentia*, quantum præscindit ab omnibus, quæ sunt, & nihil implicat eorum, quæ sibi sive *immediate*, sive *mediatè subsunt*, adeoq; omnem differentiam excludit, & unicè in *Natura* sua inq; *attributis* suis æquè latè patentibus spectatur. Dicuntur *transcendentia*, *Ens* sc. & quæ ei *per se insunt*, non *existendi nobilitate & eminentia sed essendi communitate & indifferentia*. Isto enim modo *Deus* potius *transcendens* est, & *Damasc. l. 1. orth. fid. c. 11. Trinitatem* ait *esse omnia transcendentem*. *Hoc* verò sensu transcendunt *communitate Entitatis & prædicationis* quæ *tum* omnes rerum classes supergrediuntur, *tùm*, de singulis rebus prædicari possunt, qualia sunt *Ens* & quæ *cum Ente* ejusdem sunt latitudinis sive ut purè *synonyma* & *æquipollentia*, sivè ut *attributa paronymica*, de quorum numero & ordine in ipsa parte *generali*. Revocant

Transcendentia.

cant etiam nonnulli ad *partem communem principia Entis*, quod existiment in omni disciplina evolvi debere *subjectum* ejusve *principia & affectiones* sub *generali subjecti notione*. Verùm enimverò hæc uti de *scientijs* libenter admittimus juxta *Philosoph. 1. Post. c. 7. t. 57. & 76.* ita longè aliam esse *sapientiæ* rationem statuimus. *Hæc* enim quia *summa*, versatur circa Ens *in universali*, quocirca nulla agnoscit *principia*. Sanè *complexa principia* è quibus *conclusiones* elicit *universalißimas* ipsi denegari haud possunt, nisi *sapientia absq; principijs* manifesta contradictione fingatur. At verò *principia incomplexa* sive *causæ* sint, sive *rationes saltim superiores inferentes*, è quibus emanent *attributa*, & per quas *affectiones transcendentes* de Ente verificari probetur, nullæ possunt denominari in Metaph. Non *causæ*: *Causa* enim *causæ non est in infinitum*. E. subsistendum in *primo efficiente*, quatenus *efficiens est*. At verò *efficiens* quatenus *efficiens*, est *affectio Entis*. E. concedenda est *affectio* sine *efficiente causa*. Si hoc, multò minus *subjectum efficientis* quatenus *efficiens est* sc. *Ens* habebit *principia Essendi*. Et, si ponas *subjectum Metaph.* Ens quà Ens *principijs*

Principia scientif. non dantur in sapientia.

An dentur causæ affectionis Entis.

essendi affectum, consequens est; nullum dari Ens quod non agnoscat *essendi principia*. Adeoq; *Deo* etiam tribuenda erunt, habebisq; *Deum non Deum*. Nam licet in scientijs non tàm *objecti* quam *affectionum causæ* quærantur, neq; *istud* sed *hæ* probari debeant; attamen quia *affectiones* subjecto *immediatè* insunt, è principijs ejusdem omninò provenient; adeoque easdem per *principia*, de *subjecto verificari* docendum est. Præterea neque *rationes inferentes* heic locum habent. Potest quidem Ens considerari in *suâ essentiâ*, & veluti in *momento primo*, ut *affectiones* spectentur *in momento secundo quasi*, nempe in *actuali denominatione & promanatione*. At non disquiritur, an *affectiones Entis* promanent ab *Ente*, sed de eo discepatur, an detur *ratio aliqua superior*, è qua inferantur *affectiones Entis* & per *quam de Ente* prædicentur? quemadmodum *immutabilitas Dei* ejusdem infert *æternitatem*, independentia *omnipotentiam*. Ubi sane non diffitemur *affectionem* unam deduci posse ex alijs: at quod *primò immediatè* & *proximè* detur aliqua *ratio emanandi superior*, è qua inferatur *affectio Entis*, haud concedimus. Ens enim quà

An rationes inferentes à priori?

Ens

Ens *summum* est omnium, & nihil se habet superius. Ipsum autem Ens talis ratio esse nequit, quia *principium* & *principiatum* non sunt idem. Deinde multò minus salutabitur *affectio Entis*, quia per ejusmodi *rationem* debent *affectiones* de Ente demonstrari. At *principium* & *affectio* in uno conceptu non conveniunt, ut loquitur *Dn. Gutkius*, Quare nulla hic reperiuntur *complexa principia*. Quod probandum erat.

III. Specialis Metaph. pars considerat Ens in abstractione minori, qua per subsistentiam & inhærentiam expressior essendi ratio sistitur: & designata atq; ad certas classes revocata omnium, quæcunq; sunt, & esse obtinent, varietate objecta determinatæ quidditatis constituit, constituta præcognoscit, præcognita ad inferiores disciplinas dimittit, quas proinde specificat, ordinat, suisq; limitibus accuratè circumscribit. *Pars specialis.*

Dicitur I. Διακριτικὴ vel *discretiva*, idq; non nisi *Synecdochicè* quod di- *Dicitur* Διακριτικὴ.

ſtinctè proponat *expreßiores eſſendi ordines*, qui aliquam inferunt διάκρισιν vel
Specialis. *diſcretionem ſubſtantiæ* ſcil. & *accidentis*. Quo nomine & indigitata eſt pars *ſpecialis*, non quod Entis *ſpecies* contempletur, ſed quia *ſpecialiores eſſendi gradus*, & *minus abſtractas* Entis *rationes* proponat atque explicet, vel quod ea conſideret, quæ ſub Ente ad *modum ſpecierum* continentur. Di-
Particularis. citur II. *Particularis*, quia *particularia* Entia in *univerſum* omnia ad certos ordines revocat, & *ſumma* omnium, quæcunque ſunt *capita* conſtituit, quin & omnia in *particulari* Entia veluti in *quadam tabula* repræſentata ob oculos ſiſtit, ut rerum varietas in hac *univerſali* diſciplina conſpicienda exhibeatur *generaliter*, & *ſpecifica* ſingularum conſideratio ad *propriam ſedem* quam in alijs diſciplinis ha-
Propria. bet dimitti poſſit. III. *Propria* vocatur non à conſideratione Entium *determinatorum* ſub *propria* quidditate ſed à *propriſſimo* munere, quod heic vel maximè exercet in *objectorum determinatione* & *diſciplinarum directione*. Poſtquam enim res omnes quadam συναγωγὴν exhibuerit, promtè non minus quam accurate novit infinitam iſtam rerum varietatem

ad

ad objecta certa revocare. Quæ cum ipsa sibi considerandā *specialiq*haut possit vendicare, eo quod & *universali* disciplinæ naturam & *Entis quà Entis indifferentiam* egrediantur, hoc restat, ut ad *alias* scientias eadem evolvēda remittat, adeoq; hæc saltim quodammodò *præcognoscat*. E quâ προγνώσει id habebit, non modò *quot* sint *objecta*, *quæ* requirunt *specialem* considerationē sed & *quibus* disciplinis ea committenda sint, ut quantum fieri potest, *singula* suis *sedibus* ordinatissimè & diligentissimè pertractentur. Hinc E. *disciplinarum* (ut pote quæ ab *objecto* dependent) *constitutio*: hinc *divisio*: hinc *ordo*: hinc *mensura* & *termini*. Ita è *nominum explicatione munia* hujus partis sigillatim constant in *theoremate* expositā, Quibus nihil *addendum*, nihil *detrahendum*. *Addunt* autem, qui *specialem Naturæ spiritualis* considerationem huc trahunt. *Detrahunt*, quotquot *objectorum determinationem* sicco pede prætereunt. Deniq; omnis vitanda *confusio*, quam non effugiunt qui *attributa transcendentia disjuncta* per transversum huc rapiunt. Et *speciali* parti ea

Qui nam addant qui detrahant Met.

ti ea, quæ sunt *generalis*, admiscent. De quo in progressu.

Jam è dictis colligamus de *tractationis Metaph ordine & partibus* ἀξιομνημόνευτα quædam.

MONITA.

Monita.

Met. sibi objectum constituit, & speculatur.

I. Metaphysicæ est proprium sibi objectum constituere: constitutumq; speculari.

Hæc itaq; *prima* sit cura, ut ante *omnia adæquatum* constituatur *objectum Metaph.* & *altera* ut idem accuratè cognoscatur. *Istud singulare* habet præ *aliis* hoc *cõmune* est. Nam omnes quidem scientiæ *objecta* sua speculantur, at nulla sibi ipsi *objectum* definit & adsignat. Dependent enim à *Metaphysica*. Hæc vero qvia à nulla *superiori* dependet ipsa sibi constituit objectum, ad quod tanquam ad *fundamentum* revocantur omnia quæcunque sunt *Metaph. considerationis*. Objecto itaq; *constituto* contemplatur omnia quæ ad *objectum* spectant, ut *plenè* & *adæquatè* objectum pertractet. Quocirca ita circa suum objectum occupari debet, ut *primum* exponat *quinam* sit *conceptus* iste *communissimus*, qui in omnibus, quæ verè

Sola Met. sibi ipsi constituit objectum.

Quænam sint agenda in Met.

sunt

sunt includitur intimè, & de omnibus dici potest. *Postmodum* speculatur altius & inquirit in *naturam objecti sui Entis quà Entis, in attributa*, quæ Enti *insunt*, in ea deniq; quæ *sub Ente proximè & indeterminatè* reperiuntur, adeoq; accuratius exponit omnia ea, quæ circa objecti evolutionem spectari debent,

II. Entis quà Entis Naturam contemplatur Metaphysica, at de principijs Entis nihil tradit. *Entis Naturam declarat, non autè principia.*

De *illa* plurima *disputari* possunt, & non pauca utiliter *doceri*. At, quid de *Entis principijs*? cum nulla dentur. *Non Entis nulla est cognitio.*

III. Attributa Entis disjuncta à modis quasi specificis accuratè discernenda sunt. *Attrib. disjuncta diff. à modis specific.*

Illa enim Ens *afficiunt* & *Paronymicè* de Ente dicuntur. *Hæc* ipsam *Essentiam* intimè includunt & contrahunt *quodammodo*, ut proinde Ens de ipsis *Synonymicè* prædicetur. *Illa* sunt *extra* essentiam ejus cui tribuuntur, *hæc* ad *ipsam* essentiam spectant, *illa disjunctim* de Ente efferuntur, ita tamen ut *certo respectu* de uno ac eodem

dem subjecto dici possint. *Hæc discretè* Ens sistunt, *dividunt*q3 & αὐτοδιοριζομένως sibi *opposita* nunquam concurrunt. Ita v. g. *dependentia* denominat Ens una cum *independentia*, nec ulli Enti in particulari *essentialis* est à *priori* nec simpliciter repugnat, *quodam respectu* tribui ei, quod etiam independens alia ratione dici potest: ut *substantia finita dependens* est *effectivè*, licet sit *independens subjectivè &c.* At *substantia* & *accidens est* de Entis hujus vel illius in particulari essentiâ à *priori* & prædicatur de ipsis Ens *synonymicè*: ac deniq; in æternum nequeunt concurrere, ita ut quæ modò *substantiæ* sint postmodum *accidentia* &c.

Modi proximi Entis.

IV. Modi proximi Entis in Metaphys. negligi non debent.

Modos dico *proximos* qui *immediatè* sub Ente sunt *subsistentia & inhærentia*, & quæ eò spectant: dummodò Enti nondum additur *differentia*, idem ad quidditatem *determinatam* contrahens Ita circa *substantiam* descendit in considerationem *individui, suppositi, Personæ*, circa *accidentia* exponit *quot modis* afficiant *substantiam &c.*

V. Me-

V. Metaphysicæ est res omnes ἐν τύπῳ proponere.

Metap. proponit res omnes in typo.

Quod præstat non modò *classes* rerum *constituendo*; sed etiam *singula* in suis classibus *repræsentando*. Juvat enim rerum quas habet totum universum, seriem & typum in conspectu habere, & uno intuitu perlustrare. Id quod nullius disciplinæ esse potest nisi hujus *universalissimæ* Ita in *universali* cognoscuntur omnia *cognitione* saltim *confusa, generali & communi*: & quæ *singula accuratam, distinctam, specialem* merentur considerationem segregari possunt, alijsq; adjudicari disciplinis, Quæ præterea *diversum considerandi modum* admittunt indicari, & ad suas scientias dimitti optimè poterunt. Quæ vero ejus momenti non sunt, ut subijciantur *disciplinis liberalibus* aut nequeunt referri ad aliquas *scientias particulares*, ea omnia vel in suo ordine intueri satis fuerit. *Objecta* deniq; hoc pacto nullo negocio constituuntur, ad quæ scilic. *omnia* alia *scibilia* revocanda sunt, ne ullum prætermittatur de his quæ sciri possunt, sed proponantur omnia *distinctissimè*. Dici enim non potest, quan-

Singula ad sedem disciplinarū referri quomodo possint, ubi doceatur &

quanti interſit ut ſua quæq; ſede doceantur, atq; diſcantur. Quo cognoſcat ſingula mens noſtra, quoad ejus fieri poteſt, ordinatiſſimè.

Metaph. eſt objecta præcognoſcere.

VI. Metaphyſicæ eſt objecta inferiorum diſciplinarum præcognoſcere, ipſasq; diſciplinas adſerere.

Duo momenta conſiderat. Metaph.

Ad *duo* momenta revocari poſſunt quæcunq; ſunt muneris Metaphyſici. *Primum* eſt *Objectum Proprium* dextrè *explicare*. *Alterum objecta* cæteris diſciplinis juſtè *adſignare*. *Ibi* quod *ſuum* eſt agit: *Heic, quid alijs agendum*, conſtituit. *Iſtud abſolutè* competit Metaphys. dum Ens *qua Ens* contemplatur: *hoc relate*, dum *Entia determinata præcognoſcit & diſciplinas* moderatur. *Utrumq;* expediamus.

Sect. II.

Ὀντολογίας Conſideratio ESSENTIALIS.

Quum duæ *ſint conſtitutæ Metaphyſicæ partes, quibus objectum plenè & adæquate proponitur, & quod muneris eſt Metaphyſici expeditur,* diſtinctè *erit de ijsdem agendum, idq; juxta* tenorem *legum in proœmio præſcriptarum. Sit itaq;*

PARS

PARS PRIMA ONTOΛOΓIAS GENERALIS

Exhibens

Ens in abstractione summâ & quæ ei per se insunt.

A *Generalibus* sumi debet exordium. Ubi intra metas *ejusdem subjecti* substistimus. Præsertim quando sine prævia *generalium* cognitione *specialia* vel plane non vel difficulter saltim sciri possunt. Quod heic usu venit. Nam sistendo *intra Entis quâ Entis* terminos cognosci nequeunt *minus abstractæ essendi rationes*, nisi cognita prius *summa* Entis *abstractione*: constitui non possunt quæ sub *Ente* sunt, priusquàm constiterit quid *Ens* ipsum sit: determinare haud licet Entia *in particulari*; quin accurate prius evolutum fuerit Ens *in universali*. Quum itaque pars *generalis* ὁμολογουμένως *prima* sit, eam & nos præmittimus. Contemplaturi primum Ens in *abstractione summa*, in quantum præscindit ab inferioribus omnibus dici; potest de omnibus. *Duo* vero heic sese offerunt exponenda; *Quando debeant generalia præmitti?*

Duo occur-

runt circà Ens ingenere.

nenda : Natura sc. Entis *universalissima*, & quæ Enti in universali competunt *Attributa communissima*. Ut constare possit, *quid sit id quod* participant ōnia, & *quænam* sint *ea* quæ idem universaliter denominant. De quibus ordine.

PARTIS GENERALIS TRACTATUS PRIOR

Vel

Simplex Entis Theoria.

Quid sit simplex Entis Theoria?

Dico *simplicem Entis Theoriam*, quæ contemplatur Entis *rationem quidditativam præcisè* in abstractâ notione sine omni *attributo* & simpliciter. Quæ merito *præmittitur*. Est enim fundamentum omnium reliquorum: Eo quod ad Ens revocanda sint omnia, & in ordine ad Ens tractanda. Cæterum non potest ipsa Entis Natura accuratè constare, nisi *præcognitum* fuerit, quomodo Ens adæquate constituatur, sive considerandum veniat. Hoc est, quod dico: de *duobus* hîc agendum est, *primò* præcognosci debet *qnidnam indigitetur Ens in abstractione summâ? Secundò cognoscendum* erit *quidnam sit* Ens *sub ista ratione? Illic* enim

Cur præmittenda?

Quæ hic tractanda?

enim objecti *adæquata constitutio*: hæc constituti *abstracta repræsentatio*; ibi dispiciendum de Entis ὀνοματολογία. Hæc de πραγματολογία. Nominis *ratio* aperit quousq; adscendendum sit, ut conceptus summus habeatur in quo subsistendum. *Rei declaratio* edocet, quænam sit summi conceptus definitio, quæ ratio: Quod enim *Aristot.* subjectum in *disciplinis* præsupponere jubeat, id *nostræ* haud præjudicat. Intelligi namq; debet de *particularibus*, quæ à *superiori* non minus *subjecti* quam *principiorum* ratione dependent. At *Objectum* nostrum à nullo dependet. Nihil superius agnoscit. Quare ipsa Metaphys. idem sibi constituit atq; præcognoscit. Quum neq; ab alia accipiat disciplina neq; id sensuum confstet operâ. Summum quippe & à sensibus remotissimum Hinc non minus necessum est inquirere in objecti Metaph. *adæquationem*, quam in ejusdem *formalem rationem*.

Subjectum Metaphysicæ non proponitur alibi.

ARTICULUS PRIMUS

Entis Præcognitio.

Multa sunt quæ in hac προγνώσει *expendenda. Declarandum autem ante omnia Entis* Entis præcognitio.

Nomen *Quo cognito sine negocio definiri poterit, qua ratione hîc Ens quà Ens nostræ disciplinæ* adæquetur, *cum tota ea res à nominis evolutione dependeat.*

Subsect. I.

Nominis evolutio.

Circa Nomen quæ consideranda?

At verò circa nomen sese offerunt plurima. Primò *quidem* ονοματώδης descriptio, *quid Ens sit & Nominis! postea autem* varia Entis distinctio, *quot modis dicatur & distinguatur nomen Entis! Quæ cum non possint paucis exponi distincte de singulis agendum.*

Descriptionem Entis nominalem *haurire licet tùm ex* ipso Entis nomine, *tùm è* Nominis cognatione. Illic *attendendum erit ad* nominis originem *& ad* significationem. Hîc *ad* nominum affinium cognationem, *partim ratione* Etymi, *partim ratione* significati. *De quibus ordine.*

Cap. I.

Nominis ENTIS *origo & significatio.*

Etymologia Entis.

I. Ens à SUM derivatur ad exprimendum τὸ ὄν Græcorum.

Unde nomen Entis!

Fatetur *Seneca apertè ep. 58. se latinè haud posse reddere* τὸ ὄν *Græcorum. Verti quidem Quod est; At multùm interesse hoc inter, & illud judicat. Philosophi* reddunt voce unâ ENS, *participium* formando à *verbo* SUM ad analogiam *Græcæ vocis.* Quisquis

quis vero *tùm hocce*, jure ὀνοματοποιίας Philosophis concessso formatum & jam usu frequentatum, *tum alia similia* quæ sunt plurima in Metaphys. aspernatur quasi minus *Ciceroniana*, is suo abundet judicio; at, si meditatur emendationem terminorum, *universaliter* id agat, ut voces *technicas* ad unum omnes *quibusvis in disciplinis*, in *facultatibus omnibus* usu receptas, quæ minus videantur *Latinæ* purioribus & elegantionibus commutet, atq; ut eadem ab omnibus accepten-tur *universale* impetret *privilegium*. Nos ita judicamus: *In appellationibus rerum vulgarium & communium loquendum esse cum vulgo; in terminis vero disciplinarum, quibus natura & potestas rerum exprimenda solos probatos artifices sequendos, ipsamq; rerum veritatem*, ut hoc de suo mihi largiatur *Clariss. Dn. M. Pouchen. è 2. Exerc. Metaph: problem. 2.* Cæterum Ens *participium* migrat etiam in *nomen*: unde diversa ejus significatio *Nominalis* & *Participialis*, quâ de circa Entis distinctionem.

Contrà rigidos terminorum censores.

II. Ens sumitur vel adæquatè vel inadæquatè.

Homonymia Entis.

Verba valent usus ut nummi. Id vel maximè

ximè de *diversimodâ* Entis *acceptione* dici poteſt, quæ *multivaria*, eò, quod nomen Entis *uſu Philoſophorum* πολλαχῶς dicatur, & fere nunquam non adhibeatur. Sumiter autem vel *adæquatè* vel *inadæquatè*. *Hoc poſteriori* modo vel *minus late* vel *ſtrictè nimis*. *Latè tripliciter*. I. *Generaliſſimè* pro omni eo, de quo aliquid vel quod de aliquo enunciari poteſt, idque tùm *præciſè*, ſive *prædicatio* ſit *affirmativa*, ſive *negativa*: tùm *reſtrictè*, ut ſit tantùm prædicatio *affirmativa*. *Fundamentum* hujus latiſſimæ ſignificationis eſt, quod *omnis prædicatio verbo ſubſtantivo Eſt* conſtet, ſivè *explicitè* ſivè *implicitè*, & impoſſibile ſit aliquid alicui attribui, niſi ad modum Entis concipiatur: Tàm latè patet *Ens*, quam latè *prædicatio*. Hoc ſenſu 4. *Met.* 1. *privationes & negationes* vocantur *Entia*, adde & *Entia rationis & ficta* quia verè dicitur *Tenebræ ſunt ſuper faciem abyſſi* Gen. 1. 2. *Bartimæus* eſt *cæcus* Marc. 10. 46. *Idolum nihil* eſt 1. *Cor.* 8. 4 *Purgatorium* eſt *Non Ens* &c. 2. *Minus generaliter* pro omni eo, quod eſſe obtinet ſive in ſe ſive in *cauſis ſuis* adeoq; extendit ſeſe *ad Entia* in *potentia*. Nam his tribuitur τὸ *poſſe eſſe*: ideoq; dicuntur *Entia*, non

Ens ſumitur inadæquatè.

Latè.

Generaliß.

Fundamentum.

Minus generaliter?

non quod jam sint, sed quod vel *futura sint*, vel saltim *ut sint* non implicet. Ita dicuntur *liberi esse in lumbis parentum*, dum nondum actu sunt, unde consequenter *egrediuntur*, *dum actu* esse incipiunt. Ita *Ebr. 7, 10. Levi* dicitur in *lumbis Abrahæ fuisse*. *& v. 7. Levitæ* de *ejusdem lumbis* exivisse. *3. Iterum Generaliter*, pro omni eo, quod revera esse in rerum natura obtinet *positivum* & *reale quocunque* modo, quomodò etiam includuntur *Entia concreta*, *artificialia*, per *accidens*, itemque *modi Entis*. Postea verò *stricte* nimis sumitur vel sensu *perfectionis* & κατ' ἐξοχήν, vel includendo *imperfectionem*. *Illud* quando 1. Soli *Deo tribuitur*. Hic enim solus ab הָיָה fuit, dicitur יְהוָה ὁ ὤν, tùm ob *independentem subsistentiam*, qua *ex se Ens ipso habet Esse*, estq; *suum ipsius Esse*, & *omnium aliorum esse*, ipse *sibi*: ipse *omnibus est*, ac *per hoc quodam modo solus est*, ait *Bernhard.* tùm ob *terminorum carentiam*. Id enim solùm est, quod *æternum est*, in *temporalibus præterita* transeunt, *præsentia* avolant, *futura* nondum adsunt. Solus *Deus*, *quia est æternus*, ideò *simpliciter est Ens*, unde *Plato in Timæ. solum Deum propriè esse censet*, *cætera* verò quæ *oriuntur*,

Generaliter?

Stricte?

Cum perfectione.

Solus Deus Ens.

mutantur & intereunt verius non esse quàm esse. Intellige συγκριτικῶς in ordine ad eum, qui idem ipse semper est. 2. Soli substantiæ completæ exclusis & accidentibus & materia prima 3. Met. 2. sensu imperfectionis sumitur *Ens concretivè* pro eo tantum, quod essentiam tanquam aliquid à se diversum habet, cujus acceptionis *fundamentum* est vocis *ratio Grammatica*, quia concretum est. Hinc *Deus* dici nequit *Ens* sed est *potius* ὑπερέχει & *abstractè* ipsa Essentia. Adæquata acceptio Entis est pro ipsâ *essentiâ vera reali & positivâ* prout objectum Metaph. constituitur. Potest autem Ens considerari vel *Generaliter*, quâ complectitur omnia quæ ad *Ens quâ Ens* pertinent, vel *specialiter*, prout *præscindit* ab *affectionibus & modis proprijs*. Quâ *ultima* significatione *modo* contradistinguitur, qui hac ratione non est Ens, sed quid *Entis* vel *modificat* ipsum Ens, uti *præsentia*, *dependentia*, non sunt *Entia* sed *modi Entis præsentis, dependentis*.

Sola substant. completa est Ens.

Cum imperfectione.

Concretivè.

Quomodo Deus non dicatur Ens.

Adæquatè.

πρίσματα.

Ens est nomen perfectionis.

I. Ens non dicit defectum sed excellentiam,

Dicitur enim ab Esse, quod recedit

à *Non*

à Non Esse. *Hoc* autem nil aliud est, quàm *summus defectus*: *Illud* ergò defectum importare nequit: quia *idem non potest simul esse & non esse.* Hinc *quò quid magis est Ens eò etiam excellentius est*, quia magis à defectu & imperfectione elongatum est. *Deus* itaq; est Ens excellentissimum Quia maximè Ens est. Creaturæ vero ad hanc excellentiam non perveniunt, quia *quælibet eorum plus habet Non Entis quàm Entis*, ut *Plato in Theæt* ait: Sic *homo tantum habet* esse *hominis, non vero Esse Angeli, cæli &c. Solus vero Deus Esse* habet *omnium, eminenter* sc. non *formaliter*, adeoq; Deo nil potest accedere quod non habeat ante. Hoc est quod sibi *Entis* nomen appropriet *Apoc. 1. 4. Exod. 3. 14.* Quæ verò extra Deum sunt, ab *Entitate recedunt quodammodò*, non quod non sint, sed quod *possint non Esse*, suoq; esse privari.

Deus est perfectissimum Ens.

Deo nil potest accedere.

II. Ens est nomen omnium communissimum.

Latissimo namq; *significatu* complectitur omnia, quæ modo quocunq; *Esse* habent. Nihil ergò est, quod non possit Entis nomine venire, immò eò ipso dum

Esse habet, *Ens* est. Dico *quocunq; modo*: adhuc enim loquor de *communitate* saltim *Nominis*, quod ut visum, ad omnia sese extendit.

Unde Entis acceptio Metaph.

III. Ens est transsumtivum.

Ita *Averrhoes*, Quia à *vulgari* usu transsumitur ad usum *Philosophicum*. *Vulgò* n. Ens dicitur hoc *vel istud*, quod est *in particulari*, notatq; *concretum*. At in *prima philosophia* Ens *universaliter sumitur*, præscindendo & *hoc* & *illud* esse *particulare* & in *abstractio* Essentiam in digitando. *Fundamentum* ergò hujus significationis est communis Entis acceptio, qua omne quod est, denominatur.

Caput II.

Cognata Entis Etymologica.

Entis affinia ratione Etymi sunt potissimum sequentia: Est, Esse; Entitas, Essentia; Essentiale, Essentialiter: *de quibus hoc capite*.

Est & Esse.

I. Est & Esse, non minus latè patent, quàm ipsum Entis Nomen. Ab *Esse* enim dicitur *Ens*: ac nihil importat aliud, quàm id quod Est. Tribuitur itaq; Esse omnibus quæ *Entis* nomi-

nomine veniunt, diciturq; τὸ EST de omnibus. Præterea æquivocè utrumq; dicitur: 1. τὸ EST *Alsted. Encyc: Metaph. c. 1. Reg. 13, tribus*, ait, *modis* accipi: 1. *Substantivè* ὑπαρκτικῶς, ut *DEUS est*. 2. *copulativè* συνδετικῶς: ut *Deus* est *omnipotens*. 3. *serviliter* ἐμφατικῶς ut *Deus est in cælis*. At in *Rhetor. c. 3. Reg. 3.* aliam adhuc adfert significationem, quâ sumatur *Tropicè per Ironiam* ut *1. Cor. 4. 8.* jam *saturati estis* jam ditati *estis* pro non *ESTIS*. Addit: *potest autem copula EST TANTUM sustinere Ironiam, quia solum poni potest pro suo contrario non est*, id quod *sit in Ironiâ*: Quæ licet non approbemus, id tamen acceptamus quod *nullum alium tropum* sustinere posse *copulam* ingenuè confiteatur, adeoq; *religionis suæ hominibus* in os contradicat. Nos ita vocis æquivocationem evolvimus: τὸ *EST usurpatur* vel *intra Propositionem*, vel *extra propositionem*. *Intrà Propositionem* vel notat *convenientiam prædicati cum Subjecto*, vel *existendi actum*: Illud dicunt *Logici* est *tertij*: hoc *secundi adjecti*. *Ibi* copulat & conjungit ea, quæ idem sunt sive οὐσιωδῶς, sive *essentialiter*, sive saltim ὑπαρκτικῶς & *existentiale* id est *suppositi* vel *subje-*

Est æquivocè dicitur.

Est Ironicum Alstedij.

Est intrà propositionem.

subjecti ratione ideoq; συνδεσμὸς non excludit, sed præsupponit ὑπαρξιν. Heic importatur saltim *existentia*: vel *actus* Essendi, sive *absolutè*, quid *sit*, sive cum *certo modo* indicetur, qua *ratione* vel *ubi* sit? &c. *Extra propositionem* infert itidem *actum essendi*. Nisi quod interdum adhibeatur in *explicationibus* ut æquipolleat τῷ *significat*: Ut cum *quæro: quid hoc est?* vel *explico*: hoc *est*, ubi nil aliud expeto quàm vel *scire* quid *hoc sibi velit?* vel *docere* quid *hoc denotet*, sive *declarare*, id quod ante dictum verbis significantibus. Patet ex his quod *duæ* possint constitui *significationes*, ità ut τὸ *Est* sumatur vel ὑπαρκτικῶς sive *substantialiter*, sivè exprimatur *quod res sit*, sive *quid sit* quovis modo, puta, vel *essentialiter* vel *extrà essentialiter*: vel ἐξηγητικῶς aut σημαντικῶς, quum in *declarationib.* & *dilucidationib.* adhibetur, & *quid voces significent* exponitur. Aliæ vocis hujus significationes non occurrunt.

Est extrà propos.

Duæ signif. locis Est.

ESSE quot modus dicatur?

II. Τὸ Esse accipitur *generaliter* vel *specialiter*. *Generaliter pro veritate propositionis*, qua tribuitur omni illi, quod verè de aliquo sivè *affirmatur* sivè *negatur*. Ita respondet *latissimæ Entis* significa-

gnificationi, tribuiturq; omni quod *ullo modo* Est. Huc spectat distinctio τῦ esse, quod sit vel *verum* & *reale*, vel *diminutum*, ut *Scotus* vocat, & *possibile*, vel *cognitum* sivè *objectum*, quod *Thomistis diminutum* dicitur. *Illud rebus actualibus* extra *intellectus* fictionem consistentibus tribuitur, ut omnia quæ in *rerum natura sunt* Esse verum & reale habere dicantur. *Istud possibilibus*: quomodo *creaturæ habuere ab æternitate* esse *diminutum & possibile*. *Hoc intentionibus secundis* &c. *Specialiter* τὸ Esse sumitur pro vero, reali τῦ *Esse actuali & positivo*. *Hujus* varij solent constitui *modi*: *Esse sc. Essentiæ*, quod est ipsa rerum natura. 2. *Existentiæ*, quo res cum actualitate suâ ponitur. Estq; juxtà *Flandrensem 4. Met. q. 3. art. 6. n. 2.* aliud *esse absolutum. & universale sive totius naturæ*, aliud *particulare* sive *hujus vel illius naturæ*. Et hoc est vel *substantiale vel accidentale*. 3. *Subsistentiæ*, quod *substantijs* & famosè *suppositis* vel *personis* competit 4. *Inexistentiæ* quale est omnium accidentium de quibus & similibus prolixius *Clariss. Wegerus p. m. in prælect. Met.* Verùm hi modi nondum heic satis possunt intelligi. Infra autem suam habe- *Varij modi τῦ Esse.*

habebunt sedem propriam. Cæterum τὸ *Esse* haud raro opponitur *Essentiæ* & plerumq; notat *Existens*, ut cum agitur de compositione ex *Esse* & *Essentiâ*. Similiter quandò τὸ *Esse absolutè* ponitur, plerumq; *inferre* consuevit *Existentiam*. Solet denique distingui inter Esse ut *Quod* & ut *Quo* &c. de quibus apud *Capreolum* & *alios*.

Esse opponitur Essentiæ.

Entitas & Essentia

II. Entitas & Essentia, non nunquam habentur ἰσοδυναμοῦντα; interdum vero sibi invicem contradistinguuntur.

Æquipollent.

Æquipollent, cum *utrumq;* dicit *Abstractum* Entis *positivi* & *realis*: Quanquàm ijsdem subijciantur *æquivocationibus* quibus ipsum *Ens*. *Essentia* præterea & *Entitas* non tantum dicuntur de ipsa *rei natura* & *quidditate*, sed & de *statu* ac *conditione*: ut cum *essentia humana per lapsum* dicitur *depravata*. *Consilia item, studia & mores hominum* designare solet. *Distinguuntur*: vel enim 1. *Entitas latius* sumitur, in quantùm est *abstractum Entis quodcunq; tale* sit, ut propositionem ingrediatur, quò *Essentia strictius* sumatur, ut *abstractum* Entis *realis*. Ita *Gerhard. de Monte.*

Distinguuntur.

Monte. & Combachius. vel 2. Entitas dicit saltim diminutissimam essendi rationem, quomodo modus entis dicitur quædam Entitas, Essentia ipsam rei quidditatem denotat: Ita Scharffius. vel 3. Entitas & Essentia ita discriminantur in substantijs corporeis saltim, ut licet utrumq; & materiam & formam implicare videatur: essentia tamen magis dicatur formalis, Entitas magis materialis, eò quod essentialium gradium complementum ultimum formæ sit; Entitas vero dicatur veluti Entis quantitas, adeoq; principaliter inferat materiam quantitatis radicem, ut Eustachio de S. Paulo videtur: Vel IV. deniq; Entitas accipitur pro Quidditate totius integralis, aut partis integrantis, quatenus sub hac compositione integrali consideratur: Et Essentia pro quidditate totius essentialis Metaphysici: quæ est Essentia communis vel propria. Hoc sensu dicimus, quod rei nil addi, nil demi possit, manente invariata specie ratione essentiæ 8 Met. c. 3. possit tamen ipsi addi & demi quid ratione Entitatis specie non variatâ. Partes enim integrantes mutari possunt, essentiales immutabiles sunt, ut ipsa species. Ita accipi solet communiter, Unde quæritur: quænam

Quomodo rei nihil addi vel demi possit?

inter

inter Entitatem & Essentiam intercedat differentia? Quidam Entitatem volunt esse *modum intrinsecum Entis*. Alij subsistunt in *discrimine rationis* (*concepto* tamen non *ficto*) ideò quia sit diversus compositionis modus, ex *genere* & *differentia*, & ex partibus *integrantibus*. Cæterùm *quùm* inter se permutantur, nulla plane distinctio locum habet. Volunt quidem *nonnulli Essentiam* esse *principium* & *formalem Entis rationem*, è qua fluant *affectiones Entis transcendentes*, ut proinde dici possit *principium ἀποδείξεως*. At licet concedam *Essentiam* esse Entis *conjugatum Etymologicum*, & *abstractum* saltim *grammaticè*, non tamen admitto, quod sensu *Metaphysico* differant *Essentia* & *Ens*, ut *abstractum* & *concretum*. Minimè quod intercedat id discriminis quod est inter *principium* & *principiatum*. *Essentia* quidem est *ratio emanandi affectionum*, sed ea plane ratione, qua ipsum Ens. Unum non attingit propius affectiones, quàm alterum. Quin *Essentia* nil diversum dicit ab *Ente*, sed implicare videtur saltim *habitudinem* quandam ad ea, quæ ab Ente proficiscuntur. Ideò describitur communiter ut *principium primum* & *radicale* omni-

Essentia non est principium Entis.

omnium proprietatum & operationum quæ rei conveniunt, E quo constat: esse quidem Essentiam principium Emanationis affectionum: at principium Entis constitutivum dici non posse. ἐυδηλον! Nam principium non est ipsum principiatum. Ens vero usu Metaph. est ipsissima essentia: Et omnis concretionis expers. Siquidem & ea quæ proximè sub Ente sunt abstractivè consideranda veniant. Ideoq; Ens ipsum concretum esse non possit. Principiatum vero non potest ex uno constare principio constitutivo. At quid nominabitur quæso aliud præter essentiam, quod cum essentia adæquatè ipsum Ens constituat? Nihil profectò. Nullo ergò jure statuitur essentia principium Entis constitutivum. Longè vero ineptius essentia & Ens realiter distingui dicuntur, velut species oppositæ sub uno genere, quemadmodum insanit Timplerus refutatione haud dignus.

Ens & essent. non distinguuntur realiter.

III. Essentiale & essentialiter multis modi dici solent.

Essentiale & Essentialiter.

Τὸ Essentiale consideratum absolutè in sese notat generaliter id, quod ad rem spectat vel intrinsecè, ut quid essentiæ aut ipsa Essentia; vel extrinsecè uti termi-

τὸ Essentiale generaliter?

nus relatò dicitur essentialis, quia relatum definiri non potest nisi in ordine ad terminum. *Hoc* significatu complectitur omnia quæ aliquo saltim modo ad essentiam rei faciunt: non modò quod *constitutivum*, sivè à *priori*, sed & quod *consecutivum*, sivè à *posteriori essentiale* est, non modò quod includitur *intimè* in *essentia*, ut *potentia materiæ essentialis* esse dicitur; sed & quod ad *perfectionem* ejusdem spectat, ut *potentiæ animæ* sunt *essentiales*: non modò quod *absolutè* rem constituit, sed & quod ad *constitutionem* rei facit sub *hoc* vel *isto* statu. Sicut *omnis forma denominans* intrinsecè *essentialis* est *denominativo*. Ut *justitia originalis essentialis est* homini non quà tali, sed quà consideratur in statu *innocentiæ*. Dico: *intrinsecè*. Nam quæ *extrinsecè* saltim denominant rem, haud facile dicuntur *essentialia* rei, ut τὸ esse *visum*, *cognitum* ratione rei *visæ*, *cognitæ* &c. *Specialiter* verò τὸ *essentiale* accipitur pro eo, quod est *de essentia* à *priori*, *constitutivè*, *intrinsecè*, *simpliciter* & *absolutè* quomodo *principia interna* & partes *rei constitutivæ* tum *Physicæ* tum *Metaphysicæ* essentiales dicuntur. *Respectivè* consideratur τὸ *essentiale* in ordine

Extrinsecè denominantia non sunt essentialia.

Specialiter

dine ad eos terminos quibus *contradistinguitur*. Quod variè observamus fieri. *Armandus de Bellovisu* notat ex *August:* in divinis nominum alia dici *essentialia*, ut *Substantia, Bonitas*: alia *Personalia*, ut *Pater, Filius*: alia *notialia* ut *Paternitas Filiatio* &c. E quibus prædicantur *ista* in *Quid, illa* in *Quis, hæc* in *Quæ*, de quibus prolixe agit *tract. 3. à c. 10. ad 18.* Aliàs *Essentiale* contradistinguitur τῶ *reali*; vel & τῶ *extraessentiali Reali*. Nam licet *res* & *Essentia Synonyma* sint, alius tamen usus est *conjugatorum* Solet autem *essentiale* contradistingui *reali*, vel in *distinctionum explicatione*, vel in *attributione aut unione*. *Ibi essentiale* angustius est *reali*. Non enim omnis *realis distinctio* est *essentialis*, quamvis *omnis essentialis distinctio sit realis*. Ita *personæ in SS. Trinitate distinguuntur realiter, minimè vero essentialiter*. Hèic vero τὸ *reale* solet denotare *veritatem rei*, quod res verè sit id, quod esse dicitur; τὸ *essentiale* autem importare simul *modum* & *rationem attributionis*, quod per essentiam sit id, quod dicitur esse. Ita dicimus in S. *Eucharistia esse unionem corporis Christi cum pane benedicto realem, minimè tamen essentialem.*

Essentiale opponitur Realis.

Realis & Essentialis distinctio.

Realis & essentialis attributio.

Deus *dicitur mortuus realiter, non tamen essentialiter*, h. e. verissima quidem & *realissima* est *unio sacramentalis*, verissimè quidem & *realissimè* mortuus est Deus; at neq; corpus Christi unitum est pani Eucharistico per *naturam* & *essentiam*, sed per & *propter institutionem divinam*, neq; τὸ *mori* Deo competit per *naturam* & *essentiam* sed per ἰδιοποίησιν. *Extra essentiali* opponitur τὸ *Essentiale*, cum *hoc* designat, quod est de essentia rei constituente *intrinsecè*; istud, quod non est de essentiâ rei sed extra eandem: *Prius in Logicis Synonymi, posterius Paronymi* notionem accipit. Solet & hoc sensu opponi *accidentali*. Quanquàm non satis *adæquatè*, cum non omne quod non est *essentiale*, statim sit *accidentale*, nisi *dextrè explicetur*.

Extra essentiali.

Esse de Essentiâ

Huc revocare lubet explicationem terminorum: *Esse de Essentia, Esse extra essentiam* & *esse per essentiam*. De *essentiâ esse* dicitur, vel *generaliter* omne, quod *modo quocunq;* essentiale, vel *specialiter* quidquid est pars *essentiæ* sivè *Metaphysica*, sivè *Physica*. Ita solent quandoq; distinguere inter *essentiale* & *esse de essentia*: Noa enim omne *essentiale* (*quocunque modo*)

modo) est de essentia strictè & specialiter. Inde *extra essentiam* esse dicitur vel latè omne id, quod non habet nexum necessarium cum re, sive ea consideretur *absolutè*, sive *in certo statu modificatè* & *respectivè*: quomodo *pietas* est extra *essentiam hominis*, & *absolutè* & quà *docti &c.* Vel *strictè*, quod non ingreditur *internam rei* constitutionem, vel non est *pars essentiæ*. Ut *risibilitas* est extra *essentiam hominis*. Eodem ferè modo usurpantur termini: *Esse de ratione* & *esse extra rationem rei*. De *ratione* Entis est quod spectat ad *esse rei*, & intra *conceptum* rei clauditur. *Extra rationem Entis*, quod non continetur, vel includitur in conceptu rei: Ita *differentia* dicitur esse *extra rationem generis* & contrà, quia in *conceptu generis non includitur*, adeoq; sensu *formali*, quatenus ἰδιαίτης ὅπη-ροίαις *genus* à *differentia* præscinditur; non *identico*: quatenus ex *parte rei* eidem identificatur: *Omne* siquidem *determinans* est *extra rationem determinabilis*, cui *superadditur*. Distinguit *Svarez disp. 30. sect. 5. n. 8.* inter τὸ *Esse* de *Essentia*, & Esse *in re idem cum essentia*, seu Esse *ipsam essentiam*, idq; declarat *differentia individuali*, quæ in re non distinguatur à *natura in-*

Extra essentiam.

Esse de ratione.

Esse extra rationem Entis.

Quomodo differentia sit extra rationem generis.

Dist. Esse de essentiâ, & Esse ipsâ essentiam.

dividuâ: & tamèn non sit *de essentia* ejusdem. Ad τὸ *esse* in *re idem cum essentia*, ait, sufficere quod *in re* non sit *distinctio*. Ad τὸ *esse* de *Essentia* requiri, ut non possit *res essentia* esse plane constituta præciso eo, quod dicitur *esse de Essentia* & *consequenter*, ut hoc ipsum ita in ejus ratione includatur, ut in nullo possit reperiri talis essentia, quin de ejus essentia sit, quidquid dicitur esse de Essentia talis Naturæ. Ita *attributa Essentialia in divinis* vult esse *eadem cum essentia Dei in re* & de *essentia Dei*, *relationes* vero *personales licet in re ipsa sint essentia Dei, non tamen sunt* de *essentia Dei*, siquidem *præcisis relationibus concipitur essentia Dei, plenè constituta*, & *persona* quælibet *sigillatim sumta per eandem essentiam absolutam formaliter & essentialiter constititur plenè ac perfectè Deus absq; aliis relationibus*. Sunt enim *relationes incommunicabiles*.

Esse per Essentiam. Deniq; *esse per essentiam* dicitur vel ratione *independentiæ attributionis* vel ratione *intrinsecæ constitutionis*. *Priori* modo dicimus *Deum esse justum, verum &c. per essentiam, id est*, à *se ipso* per suum *ipsius esse* & *independenter*, quia ut ipse αὐταρκὴς est, ita sine *ulla dependentia* vendicanda

sunt

sunt ei *omnia attributa*. *Posteriori* sensu dicitur *homo* per *essentiam rationalis*, id est κατ' αὐτὸ *in primo dicendi modo* prout in *suâ essentia* spectatur citra aliquid additum. Unde constat posse aliquid rei competere *per essentiam posteriori* modo, id est ratione *naturæ suæ*, licet eidem non competat per *essentiam priori* sensu, id est *independenter & originaliter*.

Essentialiter quot modis dicatur?

Essentialiter quot modis dicatur è *præcedentis termini* explicatione constat. Breviter: Dicitur id vel ratione *convenientiæ*, cum unum alteri pronunciatur convenire *essentialiter*; vel ratione *dependentiæ*, cum unum indicatur dependere ab altero *essentialiter*. *Convenire* autem dicitur unum alteri *essentialiter*, vel cum est *de essentia* ejusdem *constitutivè* ut *differentia*, v. g. *rationalitas homini* & *eruditio erudito* competit *essentialiter*, & *materia* ac *forma* sunt de *essentia* & *constitutione* corporis vel cum saltim *consequenter* aliquid ad *essentiam* spectat ut *disciplinæ capacitas essentialiter competit homini*, vel cum *in* conceptu & *ratione* ejusdem *formali* clauditur, uti *Soncinas* vult *inhærentiam aptitudinalem* convenire *accidenti essentialiter*. *Vel* cùm ita sese habet, ut *sine*

Convenire essentialiter.

eo res non possit aut intelligi uti sine termino relatum, aut cogitari habere perfectum Esse, ut sunt potentiæ in animâ & hoc modo eidem convenire dicuntur essentialiter juxta Bonavent, ut videre est apud Castanæum distinct. p. 37. vel deniq; cum aliquid rei convenit originaliter & independenter. Ita Deus dicitur bonus essentialiter & independenter, Creaturæ participative dependenter ab ἀυθαγαθῶ. Dependere essentialiter. Dependere autem dicitur unum ab altero quandoq; essentialiter, vel ut à suo constitutivo: Ita homo dependet essentialiter à rationalitate, & anima rationali: vocant dependentiam formalem; vel ut à termino: Ita relatio essentialiter dependet à termino: quia relatum sine ordine ad terminum concipi nequit: quæ dicitur dependentia objectiva; vel ut à productivo, quemadmodum creaturæ dependent à creatore essentialiter. h. e. dependentia consequitur creaturarum essentiam, tanq; proprietas vel modus Entis afficiens, unde dicta dependentia consequutiva. Deniq; observa; Aliud esse: Unum Esse Essentiale; aliud vero Unum Esse Essentialiter: Ita anima & corpus sunt unum essentiale, minimè tamè unũ sunt Essentialiter h.e. constituunt quidem ambo unum essen-

essentiale, sed se non constituunt mntuò essentialiter.

Προβλήματα.

I. Quæ aliquid esse dicuntur ea id non possunt dici Non-Esse. *Esse & Non Esse.*

Contradictoria enim simul *vera* non *sunt*. Ita cum *caro Christi dicatur vivifica Joh. 6. 51.* quâ protervia ea negatur *vivifica &c.*

II. Esse verè aliquid, & idem significare sunt ἀσύζατα. *Esse & significare.*

Esse enim & non *esse*, verum tantum *significare* sunt *opposita*. Ita nequeunt simul stare hæ adsertiones: *Panis* est *corpus Christi*; & *panis significat corpus Christi*: τὸ est *propositionis* perpetuò præsupponit fundamentum συνδέσεως. Et incapax est omnis *modificationis* eò quod sit termius *communissimus*, ut alibi disputo.

III. Omne quod Entitatem habet suâ ipsius Entitate est Ens. *Esse est per Entitatem suam.*

Alex. de Ales. 7. Met. t. 5. Sit aliena *Entitas*, jam & aliud Ens constituetur. Ideoq; omne quod est, propriam habeat Entitatem necesse est. Frustra proinde

fingitur *Entitas & realitas* verè dicta, quam quid in suis causis habeat, propriâ Entitate quod adhuc destituatur. Procedit idem de *quavis Entis denominatione*, adeò ut quidquid non habet id à quo denominatur, (neq; *à se*, neq; *ab alio*, vel *reali possessione*, vel *saltim* verâ *imputatione*) id ab eo denominari nou debeat. Quod opponendum istis *Calvinianorum*: qui *fideles* dicunt *liberos fidelium non propriâ*, sed *parentum*, h. e. *aliena fide*, quæ tamen ipsis *neq; inest*, neq; *imputari potest*. Unde enim probabitur *fictitia* ista *imputatio*?

Ens & Essentia.

IV. Posito Ente negari nequit essentia.

Et reciprocè. *Essentiâ negatâ Ens ipsum superesse nequit.* Nam essentia est id, per quod Ens est, quod est: Unde rectè *Timpl. l. Met. c. 5. Nullum* Ens *potest consistere sine suâ essentiâ, neq; absolutum sine absolutâ, neq; respectivum sine respectivâ*, quod iterum urgendum contrà *eos*, qui *infantes baptisatos fidelibus adnumerant, fidem* tamèn *ijsdem derogant*, quod perinde est acsi quis dicat *Calvinianos esse eruditos absq; eruditione, homines absq; humanitate*?

Calvin. infantes fideles absq; fide.

V. En-

V. Entis unius unica est Essentia. *Unum Ens una essentia.*

E 6. Top. c. 3. Sint enim duæ vel plures essentiæ, non poterunt non esse pluria Entia. *Essentia* quæq; *Ens* constituit, *absoluta absolutum*, *relata relatum*, contra *Timplerianas* ineptias.

VI. Essentiam rei qui ignorat & ipsam rem ignorat. *Essentia & rei veritas.*

Uti vero Essentia cognoscitur vel *adæquatè* vel *inadæquatè*, vel à *priori* vel à *posteriori*, ita & res *ipsa*.

VII. Essentiale ratione modi non est Essentiale rei simpliciter. *Essentiale ratione modi, & ratione rei.*

Istud dicitur, quod rei cum certo *modo* in statu *determinato*, *cum reduplicatione* sumtæ tribuitur. *Hoc vero* quod *Ens* in *quidditate* sua *abstractè* spectatum constituit. Ab *illo* ergò non *licet* ad *hoc* concludere: ut *peccatū originis est essentiale homini*, quà *peccato originis infectus*; at pessimè inde inferunt *Flaciani*, quod sit *essentiale homini simpliciter*. *Homini enim* ut *homo* plane accidit esse in *statu peccati*, quamvis homo ut *lapsus*, ante *regenerationem* non *possit non esse in statu peccati*. *Peccatum originis nō est homini essentiale.*

8. Quod

Posterius non est de Essentia prioris.

VIII. Quod Ente posterius est, non potest esse de Essentiâ Entis.

Nam quod de *Essentia* est, sine eo res ne quidem concipi potest. Quis vero negaret τὸ *prius essentialiter* posse concipi, non concepto eo, quod est *posterius essentialiter*. Mirari ergò non satis possum istud *Ant. Sadael. l. de sacr. manâ. corp Christ. c. 7. obj. 14. sine quantitate intelligi corpus humanum non potest*, cum constet, quod quantitas *natura* sit posterior humano corpore. Est enim *accidens*, quod utiq; τῇ Φύσει, posterius *substantia*.

Negatio posterioris non est negatio prioris.

IX. Negato Essentiali à posteriori non statim negatur ipsa rei essentia.

Quia *posterius* ut non constituit *prius*; ita ejusdem *negatio* non tollit statim id, quod *prius est*. Intelligitur enim *abstractè* natura rei præcisis ijs quæ consequuntur rem. Quin & *extra mentem* in natura rerum constitui potest ipsa *essentia*, si maximè denegentur ea, quæ *essentialia dicuntur* à *posteriori*. Modò intercedat *reale discrimen*; ut alibi docebimus.

10. Quod

X. Quod de aliquo dicitur realiter non ilicò competit eidem essentialiter. *Realiter & Essentialiter distinguuntur.*

Istud enim saltim dicit *attributionis veritatem*; *hoc* vero innuit *attributionis modum* & *rationem specialem*, quæ est *Synonymica*. Hinc *vice versa*: *Negatâ attributionis ratione essentiali non statim negari debet attributionis veritas*. Ita ineptè valde negat *Bergius* in *Stercom*: *panem propriè & vere dici corpus Christi* ideò: quod *non sit corpus Christi* per *essentiam*. Eodem modo negarim *Bergium* verè *Theologum*, quia certè Theologus non est per *essentiam*.

XI. Quod est de ratione rei sine eo res ne quidem concipi potest. *De ratione rei.*

Patet è sola *terminorum declaratione*. Ita *personalitas* non est de ratione *essentiæ*, quia *hæc* omnino potest concipi sine *illius* mentione. *Personalitas non est de ratione essentiæ.*

XII. Non quidquid realiter est ipsa essentia, statim est de essentia. *Essentiam esse, & esse de essentia.*

Aliud enim est *realiter* vel *essentialiter* iden-

identitas, aliud est ipsius rei vel essentiæ *propria formalitas*. Ita *Unitas* est *realiter ipsa Entitas*, non tamen est de *Entis essentia* vel *formali ratione*. Contra *Photinian.* qui volunt *personam esse* de *essentia in divinis* eò quod à parte *rei persona* sit ipsa *Essentia*. Atqui potest *essentia* divina spectari *absolutè* citra τρόπον ὑπάρξεως. Ille ergò non constituit *ipsam essentiam*.

Essentialiter & originaliter.

XIII. Non omne quod alicui competit essentialiter, ei quoq; competit independenter & originaliter.

Illo enim notatur modus habendi *intrinsecus*. *Hoc* denegatur ei *dependentia* ab ullo *extrinseco*. Potest autem aliquid habere aliud *essentialiter* seu *intrinsecè*; licet idem acceperit *aliunde* & *extrinsecè*: si scilic. ipsa *Essentia* vel *Natura* rei, è qua idem fluit *ab alio* sit & *dependeat* Ita *Verbo Dei* competit *virtus convertendi, regenerandi* &c. *essentialiter* id est, *intrinsecè, inseparabiliter, necessariò* ac *perpetuò propter* θεοπνευσίαν, sine qua *verbum Dei non* est *Dei verbum*: quanquàm eandem potentiam habeat verbum Dei ab ipso Deo *participativè*, & *communicativè*,

Unde

Unde Dn. *Mylius in A. C. art. 13. p. 198.* dicit esse *in verbo* Dei *insitam vim, non naturaliter* sed *ratione principij supernaturalis.* &c.

XIV. Quidquid est ab alio, non statim negatur per essentiam esse id quod est. *Esse ab alio & esse per essentiam.*

Fluit è *præcedenti.* Addo saltim exemplum: Filius Dei habet *essentiam* à *Patre per æternam generationem,* verè tamen est ac dicitur αὐτόθεος & per *essentiam Deus,* vel uti *Dn. D. Gerhard.* loquitur: *Christus verè & se ipso Deus est non autem à se ipso Deus est* in *Exegesi loci 4. §. 67.* *Esse enim à se ipso* excludit omnem *communicationem,* vel *processionem* ab *alio.* *Esse* vero *seipso* opponitur *accidentali & inæquali participationi,* qualis à mysterio isto sanctissimo exulat longissimè.

XV. Quidquid rei verè competit, id tribuendum ei vel Essentialiter, vel extraessentialiter. *Essentialiter & extrà essentialiter.*

Immotum ex immediatâ oppositione. Nam essentialiter tribuitur rei, quod est de essentia rei: Extraessentialiter verò quod licet verè rei competat, eamq; denominare possit, non tamen est de essentia, sed extraessentiam ejusdem. Ideoq; id verum est in abstractione Entis.

Atq;

Fundament. prædic. Synonym. & Paronym.

Atq; hoc est fundamentum universæ doctrinæ Logicæ de prædicatione Synonymica & Paronymica. Siquidem univocum sit juxta Bielem, quod de aliquibus prædicatur essentialiter, non importans aliquid extra rationem subjecti de quo prædicatur. Paronymica vero prædicatio dicitur illa, in quâ tale quid piam de subjecto prædicatur, à quo subjectum vel propter conjunctionem, vel aliam quandam habitudinem denominatur, nec tamen est de essentia subjecti, sed importat aliquid extra rationem subjecti.

Abutuntur Calvin.

Abuzuntur eo Calviniani pessimè. Ita Beza in resp. margin. ad Colloq. Mompelg. obi 6. ad antith. 5. Nihil de humanitate Christi dici potest, nisi vel ipsa sit essentialiter, vel accidentaliter & subjectivè ipsi insit. Ita alij inferunt: si panis Eucharisticus est corpus Christi propriè, dici hoc de eo vel essentialiter, vel accidentaliter; adeoque hoc ipso jugulum petunt orthodoxiæ, de communicatione idiomatum in personâ Christi, & de prædicationibus sacramentalibus, in artic. de Cœna. Contrà: Non omne quod denominat rem, eidemq; competit extrà essentialiter, statim est accidens rei ipsi inhærens subjectivè. Potest enim denominationis fundamentum esse vel unio substantiarum, vel alia habitudo. Sic corpus dicitur animatum ob unionem animæ & corporis; Anima est extra essentiam corporis, ei tamen non inest subjectivè. Deus denominatur à creatione creator, propter habitudinem ad creaturam, vel uti ad effectum: non vero quod creatio Deo insit accidentaliter.

Non omne quod denominat dicitur accidens rei.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0148
DFG

CAPUT III.

Cognata Entis Synonymica.

Disput. III. Publica Respond. Nicolao Rideman-no Chilo-niensi Hol-lato.

FEre *affinia* Entis *ratione Etymi Succedunt ea, quæ* ratione significati *cognationem aiunt cum Ente. Dicuntur Entis* Synonyma, *quæ convertuntur cum Ente* simpliciter. Duplex *enim est* reciprocatio: Alia *in ratione* Essentiæ: alia *in ratione* Suppositi. Priori *modo convertuntur* synonyma, *quæ eandem dicunt Essentiam, adeoq;* simpliciter *converti dicuntur.* Posteriori *modo convertuntur* Attributa, *quæ in tot reperiuntur* Suppositis, *in quot res ipsa, cum quâ converti aiuntur. Cæterum* Cognata *Entis* Synonymica *vel* æquipollent *Enti* omnimodo: *vel habentur saltem pro* Entis Synonymis certo modo; *quanquam differant ab Ente respectu quodam ex impositione vocis consurgente.* Priora *sunt* Res & Aliquid; Posteriora Existentia, Forma, Natura, Ratio, Quidditas, Terminus. *Quæ ordine videbimus.*

Duplex reciprocatio.

I. Res & Aliquid æquipollent Enti simpliciter.

Res & Aliquid sunt Synonyma Entis.

Idque ex *usu* Philosophorum plus quàm cottidiano, qui pro fundamento habet vocum *originationem. Utrumq;* enim inter *Transcendentia* numeratur *communi-*

muniter. Ideoq; vel *Ens denominat*, vel *idem* quod Ens *significat*. At quod non *denominet* constat, quia nihil *tò Res* & *Aliquid* implicat, quod non implicatur in Ente. Et quod Ens dicatur *Res* vel *Aliquid abstractè, non Concretè*, vel *Paronymicè* saltem, notissimum est. *Avicenna* quidem vult *Rem* distingui ab *Ente*, quod *Res* præcisè *Essentiam*, *Ens* verò unà cum *Existentiâ eandem* dicat. Sed & *Res* notare solet id, quod *existit*, & *Ens præcisè* accipi potest pro eo, quod saltim esse potest, nondum autem existit. *Timplerus Ens facit genus rei*: Et *Aliquid genus Entis*. Ineptissimè, ut demonstrant *Dn. Jac. Martin.* in *Partit. Met.* & *Dn. Scharf.* in *Theor. Transc.* Eo proinde dimisso ipsa *Synonyma* excutere lubet. 1. Circa *Rem* occurrit *Etymologia*. Dicitur autem *Res à ratus, ratà, ratum*, ut notet *Entitatem firmam & realem*: vel à *reor, reris*, ut importetur saltem respectus ad intellectum, notetur̃q; quod *reri* possumus. Isto modo dicitur tantum de *Entibus Realibus*; hoc modo etiam de *entibus Rationis*. Unde distinctio inter *Rem realem* & rem *Rationis*. Vel inter *Rem* quæ est *formaliter ante operationem intellectus*, & quæ est saltim

An res distinguatur ab Ente?

An Ens sit genus rei?

Etymologia Res.

tim *fundamentaliter*, seu cujus *ratio* non est *ante mentis operationem in re*, nisi quo ad *fundamentum*. 2. *Homonymia*: Sumitur *Res variis* modis, æquè ut ipsum *Ens*, prout vel *generalissimè* omne quod sub conceptum cadit, vel *Propriè*, quod habet Reale Esse, vel *strictè* substantiam, vel *strictissimè* Ens infinitum denotat. Et aliàs opponitur *Res* 1. *Narrationi* apud *Historicos*, qui *veritatem rei* à veritate *narrationis* distinguunt 2. *Personis*, & *factis* apud *Rhetores*, qui *laudem* & *vituperium* dicunt esse, vel *rerum*, vel *personarum*, vel *factorum*. 3. Voci *significativæ* apud *Logicos*, quibus omne *thema dicitur* esse *Res*, vel *vox* 4. *Apparenti* & *intentionali* apud *Physicos*, qui dicunt *Colorem nubium intentionalem* esse, non *Realem*: Itemq; *Speciei*, ut cum in sensorijs esse dicuntur non *Res* ipsæ, sed *Species rerum*. 5. *Spei in Sacris*, ubi notat *Præsens* bonum, sicut *spes* respicit bonum *futurum*: Sic dicimur salvati non *in re*, sed in *spe*. 6. *Simulachro, typo*, vel *umbræ* apud *Theologos*, ut cum dicunt *Christum immolatum in V. T. ratione* typi, *in N. quo ad* Rem. 7. Apud *Metaphysicos* opponitur vel *Enti Rationis*, sive ei, quod est per mentis fictionem: *Homonymia Res.*

Res opponitur modo.

vel *Modo*, idq; vel quum *Modus* designat *statum* & *conditionem Entis*, ut communissimè distinguimus inter *Rem* & *Modum Rei*: vel quum per *Modum* intelligitur aliquid *afficiens*, & quasi ultimò *determinans* statum & rationem existendi ejus, non tamen addens propriam Entitatem novam, sed solùm modificans præexistentem, ut *Unio quantitatis actualis* cum *substantiâ*. *Suarez Disp. Met. 7. s. 1. n. 17.* qualis distinctio est inter *naturam* & *suppositum* 3. *Conjugatum* sive *abstractum Rei*: *Realitas*; Quod juxta *Scotistas* quidem primos vocis inventores distinguitur à *Re* & *reali*: E mente vero *Scholasticorum* aliorum plerumque opponitur *modo realitatis*. A *Re* distinguitur tanquam aliquid *minus re*, ut notet *incompletum* quid, vel *partem*, vel *affectionem* rei. Hinc dicuntur, *in re unâ* plures esse *realitates*, quas aliter *formalitates* vocant, ut *in homine Realitates sunt esse substantia, viventis, animalis, rationalitatis*; Entis *realitates* sunt *Unum, Verum, Bonum &c.* Distingui etiam solet *realitas* in *formalem, subjectivam*, & *objectivam*. *Formalis* dicitur *gradus* quicunq; rei *essentialis*, indè etiam *formalitas* dicta. *Subjectiva* Realitas est omne

Realitas.

Distinguitur.

In unâ re plures realitates.

Realitas.

Formalis.

omne quod contrahi potest per actum quemcunq; : Ita *Materia* suam habet *realitatem*, quia per *formam* actuari potest : item *genus*, quia per *Differentiam* contrahi potest. *Objectiva* est, quæ intellectui quit objici : Dicitur *esse objectivum cognitum*, quale habet Ens *intentionale*. *Modo realitatis* contra distinguitur interdum ipsam *Realitas*, ut cum *Scholastici* distinguunt in *articulo* de *Trinitate* inter *totam realitatem*, & *omnem modum realitatis*, dicentes *totam realitatem Patris communicatam Filio*, non *tamen secundum omnem modum realitatis* : Communicata quippe duntaxat secundum *modum absolutum*, non *respectivum*, cum *relationes* mutuò sint *incommunicabiles*. De altero Entis Synonymo *Aliquid* observa itidem 1. *Originationem*. Dicitur autem *aliquid* vel quasi habens *aliam quidditatem*, vel aliud *quid*. *Priori* denominatione denotat *absolutè* id, quod Essentiam habet, & opponitur non Enti. *Posteriori* verò *relationem* habet ad aliud, & significat vel *affectionem* Entis *disjunctam*, quâ denominatur Ens diversum an alio, vel *respectum consequentem Unius*, è quo fluit diversitas, adeoq; ipsam divisionem ab

Subjectiva.

Objectiva.

Realitas contradistinguitur modo realitatis.

ALIQUID.

Originatio.

Est Synonym. Entis. alio. Sed hæc *posterior* derivatio heic non attenditur. Ita enim non foret *synonymon Entis*, sed potius spectaret ad *affectiones* Entis. In *priori* verò æquipollet Enti. Nam Ens dicitur ab *Essentiâ*, *Aliquid à quidditate*: *Essentia* verò & *Quidditas* sunt *Synonyma*. Adde *usum* Philosophorum, nec non significationem *Græci τί* cum Ente retrocurrentem. 2. *Nominis cognationem*. *Affinia* ei sunt *aliud*, & *alietas*, nec non *aliquis* & *aliquid* pro diversâ *Etymologiâ*. Cæterum *τὸ aliud* & *alietas* vel significat *generaliter* omne illud quod quomodocunq; ab alio diversum est, sive *secundum rem*, sive secundum *rationem*, sive *essentialiter* sive *accidentaliter*. Ita *quicquid non est simpliciter idem aliud* esse dicitur, modò *alius* atq; *alius* importetur *conceptus*, ut cum dico, *Unum* esse *aliud*, *quàm Ens* &c. Atq; ita *alietas* est vel *oppositionis*, vel *disparationis*: vel *determinabilis* & *determinativi*: vel *inclusionis* & *indeterminationis*, de quibus videatur *Castan*: & addatur *alietas sustentantis* & *afficientis* &c. vel *Specialiter* ut infert divisionem ab alio *realem*, quæ fit secundum *attributa essentialia*. Hoc modo dicitur *Differentia proprissima* facere

Nominis cognatio.

Aliud & alietas quot modis dicatur.

facere ἀλλὸ *aliud*, *communis* verò & *propria* ἀλλοῖον *alteratum*. Ἀλλὸ infert diversitatem *Essentialem*, ἀλλοῖον saltem *accidentalem*. Quemadmodum è contrâ τῆτο infert *identitatem essentialem*, τοιῆτο *accidentalem*, ita *Patres* dicunt *Corpus gloriosum fore quidem cum hoc mortali corpore* τῆτο sed non τοιῆτο. Vel *strictissimè*, ut importet divisionem *substantiæ unius* ab *aliâ*, quomodo *accidentia* non tàm dicuntur *aliud quid*, quam esse *alicujus*. Solet etiam distingui *aliud & alius*: *Aliud* dicit *essentiam*, *alius suppositum & personam*, ita in *Deo Triuno* dicitur esse ἀλλὸς καὶ ἀλλὸς *alius* atq; *alius*, non vero ἀλλὸ καὶ ἀλλὸ *aliud* atq; *aliud*. Contrà in *Christo Biuno* dicitur esse ἀλλὸ καὶ ἀλλὸ, non verò ἀλλὸς καὶ ἀλλὸς.

ἀλλὸ & ἀλλοῖον.

τῆτο & τοιῆτο.

Aliud & alius.

Aliquis, & *aliquid* itidem differunt, *Aliquis* enim est idem quod *alius quis*, & importat *alietatem Suppositi* vel *personæ*; *Aliquid* autem dicitur quasi *aliud quid*, & infert *alietatem quidditatis* vel *essentiæ*, de quo vid. *Armand. de Bello Visu tr. 1. c. 23*. Huc refer terminos sequentes 1. *Ad aliquid* πρός τι, quod differt à τῶ *aliquid*, sive τί, quia *hoc* importat essentiam *absolutam*, *illud respectivam*, &

Altquis & Aliquid.

Ad aliquid.

æquipollet *Relationi*, cujus esse est ⁊ esse 2. Esse *aliquid*. Est autem aliquid vel verè à *parte rei*, ut *animal est homo*: vel *fictè* ratione mentis combinantis etiam citra fundamentum in re, ut *mons*

Esse aliquid.

est *aureus* &c. 3. *Esse apud aliquem*, quod refertur vel ad *personam*, & significat *familiaritatem*, ut sit idem quod cum *aliquo esse*: vel *potestatem*, ut cum dicitur *apud Deum non* esse *impossibile omne Verbum*: vel *regressum ad se à negotijs*, cum quis *apud se esse dicitur*, quando à *negotijs vacat*, & quiete fuitur: vel *refertur ad locum* tum à *quo*, tum *adquem*: vel *conjunctim* & *Personam & locum* notat, ut *cænare apud principem*. 4. Esse *alicujus* quod aliquando usurpatur *absolute* & notat *dominium*, vel *simplicem possessionem*, vel *causalitatem & autorem*, vel *complacentiam*, vel *familiaritatem*, aliquando cum *adjectione*, de quibus vid. *Dn. Kesler. Met. Photin. s.3. pr.1.*

Esse apud aliquem.

Esse alicujus.

Entis Synonyma certo quodam modo.

II. Ens cum respectu quodam ad actum essendi dicitur Existentia, itemq; forma: Cum respectu ad operationem Natura: cum respectu ad cognitionem Ratio, Quidditas, Terminus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0156
DFG

Singula videamus. 1. *Existentia*, quam hic sumimus (non *strictè* pro *subsistentiâ*, *neq; abusivè* pro *statu* & *conditione rei*, sed) *propriè* prout dicit *actualem Essentiam* non est *Entis principium*, vel modus *determinans Ens*, sed *æquipollet Enti*, ita tamen ut quiddam inferat, quod non connotatur voce *Essentiæ*, *actualitatem* scilicet, quâ res extra causas sistitur, intellige vel *positivè*, *ut* è Causis emersérit, vel *negativè*, *ut* in causis ne esse quidem potuerit; ideò *Synonymon* entis dicitur cum respectu ad *actum essendi*. Patet: Quia *convertitur* cum Ente *reciprocatione* eâ, quæ dicitur *ratione Essentiæ*. Nihil enim dici potest de ente, prout quidem illud Objectum Metaphysicæ constituitur, quod non possit dici de essentiâ, & vice versâ: Constitui namq; debet *objectum Metaphysicæ* Ens *actuale*, cum essentia *abstractè & præcisè* concepta, ut est *in potentiâ*, distinguatur ab *essentiâ actuali*, tanquam non *Ens ab Ente* juxta *Dn. Jacob. Mart. part. Met. l. 2 s. 3. n. 15.* At vero *existentia* & *actualis essentia* ratione ejusdem ἀπλῶς idem sunt. Nihil enim prorsus est sive id *Entitatis determinatæ*, sive

Existentia est Synon. Entis.

Essentia abstracta est non Ens.

sive *modi saltem* rationem habeat, quod significet *existentia* præter *actualem essentiam*. Ulteriùs, *Existentia est Transcendens, quod* extendit sese tàm ad *accidentia*, quàm ad *substantias*; erit itaq; dicendum vel quod sit *Synonymon Entis*, vel *affectio Entis:* At posterius dici nequit; neq; enim denominat Ens *extraessentialiter*: neque numeratur vel inter *Unitas*, vel *Disjunctas* affectiones. Remanet ergò, quod *Existentia Entis* Synonymon sit. Adde, quod *Dominus Scheibl. l. 1. Met. c. 15. par. 27.* agnoscat *Existentiam efficere, ut res aliqua verè sit res, & extrahatur è nihilo.* Et *Dominus Scharffius pro axiomate habeat* illud *Alexandri Ab Ales*; *Essentia nunq; adsequitur naturam Entis, donec adsequatur esse Existentiæ Disp. 2, Theor. Trans. Ax. 13.* Cæterum *Existentia* juxta *Castanæum* ut *Essentia* est vel *Realis* quam Ens habet à partè rei extrà causas existens: *vel Objectiva* quæ rei, prout ab intellectu cognoscitur, tribuitur. Alia mitto.

Existentia extrahit rē è nihilo.

Forma.

II. *Forma*, quia illud est, per quam res est id, quod est, Enti *æquipollet*, at eum *connotatione actus*. Intellige *formam totius* sive *Metaphysicam*, quæ omni enti, quà actu est, tribuitur, ideoq; vel *substantialis*,

tialis, vel *accidentalis*: non verò *formam partis* sive *Physicam, quippe* quæ saltem est principium *Constitutivum Corporis naturalis.* Inde *Formalitas, formalis ratio, de formali, formaliter. Formalitas*, quæ *vel* est omnis *ratio* sive notio, quâ concipitur aliquid, vel *gradus rei essentiales* denotat, quo sensu etiam solet distingui à *formâ*, ut *pars à toto*; ita *humanitas est forma hominis, animalitas & rationalitas sunt formalitates hominis.* Distinguitur etiam *formalitas à Realitate*, dum *hæc* notat *essentiam rei, ista* verò simul implicat *ultimum essendi actum*, ita in *generatione mixti dicitur fieri corruptio elementorum*; quo ad *formalitates, non Realitates. Formalis ratio* notat vel *præcisam quidditatem rei* sine conditionibus *materialibus.* V. G. Cum dico: *Aliud esse, quod rei quà tali simpliciter competit* sub formali ratione, aliud *quod rei competit* materialiter qua *talis vel talis, ut Relationi* sub formali ratione præcisè competit τὸ πρός τι *ferri* sive *esse Ad.* Quod verò *Relationes* nonnullæ etiam sint *accidentia*, quibus tribuendum quoq; τὸ *Esse in*, id non est ratione *formalis relationis*, sed huic *relationi* scilicet *accidentali* proprium.

Formalitas à realitate distinguitur.

Formalis ratio.

um. Vel *ultimam actualitatem rei*, quæ determinat τῷ *materiale* sive *communem rationem* contrahi & determinari aptam; ita *Genus materiæ* rationem habet, *Differentia Specifica* dicitur *formalis ratio*. De *Formali* esse dicitur quod rei in *abstractione* tribuitur, vel in *adæquato conceptu* rei præcisis *accidentibus* respectibus *extrinsecis*, & conditionibus *specialibus* includitur: ita de *Substantiæ formali* est *subsistentia*, præscindendo à *subsistentiâ* in *se terminatâ* & *aliunde dependente*: Substare autem accidentibus est conditio *Specialis substâti finitæ &c. Termino Formaliter* variè accipitur, prout opponitur 1. τῷ *accidentaliter*, ut *homo formaliter* sive *quidditativè* est *animal rationale*, vel 2. τῷ *virtualiter* seu *effectivè* sic *Sol* non est *formaliter* calidus sed *efficienter*. vel 3. τῷ *eminenter*: *ita Deus omnes perfectiones rerum Creatarum in* se continet non formaliter, sed Eminenter. vel 4. τῷ *Identicè*. quomodo solet distingui inter *sensum formalem* & *identicum*. vel 5. deniq; τῷ *Materialiter* idq; variè, 1. ratione *partium diversarum* tum *physicarum*: ita *homini* quædam competunt *materialiter* ratione *Corporis*, quædam *formaliter* ratione *animæ*.

De formali.

Formaliter.

Ita

ita *Analogicè Syllogismus dicitur bonus materialiter & formaliter.* Et sic porro quodvis *effectum.* Tum *Metaphysicarum*: ita potest aliquid repræsentari vel *materialiter*, quâ conceptum *Communem* sive *genericum*: vel *formaliter*, quâ *differentiam & conceptum proprium.* 2. Ratione *diversæ considerationis ejusdem* in *abstractione*, & in *Contractione*: Quod enim rei competit *præcisè*, id *formaliter* eidem tribuitur: quod *contractè*, id *materialiter.*

Natura significatâ

III. *Natura*, cum sit internum operationum principium, *6. Met c. 12.* dicitur quodvis Ens, prout respectum habet ad *proprietates & operationes:* quanquam *alias ambiguè* dicatur, ut videre licet *ex 5. Met. c. 4.* Sumitur enim 1. *Generalissimè* pro omni eo, quod descriptione quâdam explicari potest, ut cum *differo de naturâ privationis, naturâ Entis per accidens* naturâ *intentionum Secundarum* &c. 2. *Specialius* pro *Essentiâ Substantiali*, ita *Accidentia* nō sunt *naturæ*, sed quippiam *naturarum* & *naturalia.* 3. pro *causâ* quâvis sive *natura naturante*, quæ est *Deus:* sive *naturâ naturatâ*, quæ est vel *Universalis*, vel *particularis*, ut *Cœlum*, aliæq; res *Physicæ naturæ* dicuntur. Inde igitur *Speciali-*

Natura naturans & naturata.

cialiter autorem naturæ indigitat, vel etiam seriem Causarum naturalium, ut cum aliquid dicimus fieri Secundum naturam id est, Seriem Causarum naturalium, & naturæ cursum 4. Pro Essentiâ Compositâ è materiâ & formâ, vel etiam pro ipsis compositi principijs, materiâ & formâ: ita materia in Physicis dicitur principium passivum, forma factivum. Chymicis dicitur natura Spiritus, materia corpus, forma anima, ita ut Spiritus sit medium hæc colligans, de quo in Physicis. 5. Pro ultimâ Differentiâ rei: Ita humanitas est natura hominis. 6. Pro accidentibus proprijs seu proprietatibus, vel etiam inclinatione, ingenio & indole alicujus rei singulari, tàm in bonam quam in malam partem, ut in illo Horatij: Naturam expellas furcâ; ita natura hominis post lapsum est peccare quo spectat specialis acceptio pro temperamento: Ita Medicus minister naturæ dicitur. 9. Pro eo, quod à nativitate primâ inest; Ita ad Eph. 2.3. dicimur filij iræ: à natura ita morbi dicuntur naturales, qui nobiscum nascuntur. Principia dicuntur nobis insita natura, quia à nativitate nobis insunt, si non formaliter, saltem Virtualiter. Deniq; natura specialiter opponitur personæ, ut notat

Natura personæ opponitur.

tat *essentiam absolutè* contradistinctam *personalitati*, seu *modo contrahenti Essentiã*, ita in Christo *duæ* sunt *naturæ*, Una *persona* &c

IV. *Ratio*, cum dicat *ipsam essentiam* in respectu ad *cognitionem* nostram, æque late patet, ut *ipsum Ens*. Solet enim notare *rationem*, quã *definitione* exprimitur, quæ est τῆς οὐσίας λόγος. *Alioquin* hæc vox πολύσημος est, denotans 1. *Intransitivè* ipsum *intellectum*, vel etiam *potentiam rationalem*. 2. *Operationem mentis* vel *potissimam argumentationem*, vel *probationem*, seu *ratiocinationem* : aut etiam διάνοιαν μεθοδικὴν, vel *modum methodumq; tractandi*, qui cum rectâ ratione suscipitur: vel deniq; *omnem in universum*, ut *Causa sumatur* pro *effecto*. 3. *Fictionem mentis citra fundamentum in re*, ut cum dicitur *Ens rationis*, seu id, quod fictum est à *ratione*. 4. *Depravatum rationis usum*, ut in isto πολυθρυλλήτῳ : quid *ratio in Sacris nisi* deliratio rebus ? vel 5. pro *modo*, & *conditione alicujus rei* : vel etiam *diversa* ejusdem *consideratione*, ita usitatissimè dicimus, *alia* est ratio *hujus*, *alia illius* &c. Cognata ejus nõ obscura sunt à *ratione*, in *ratione de ratione*, cum *ratione*, *Ratio æquipollet Ente.* *Rationis*

A ratione, one, *ratione.* *A ratione* esse dicitur, quod dependet *à mente* nostrâ, sive *fingente* saltem, sive *concipiente*, de quo circa *Ens rationis*. In *ratione* denotat id quod in mente existit *Subjectivè*. *De ratione,* quod in *conceptu* & *essentiâ rei* clauditur, cui opponitur id, quod est *extra rationem*, de quo ante. *Cum ratione*, quod *prælucente ratione*, vel νοερῶς suscipitur, vel peragitur &c. *Ratione*, *id* est, vel *respectu in genere*, vel *judicio mentis*, vel *fictione intellectus* &c.

De ratione.

Cum ratione.

Ratione.

Quidditas. V. *Quidditas est* Ens, in quantum intellectui objicitur, & *per definitionem* exprimitur: seu quâ respondetur ad quæstionem *Quid est*. Dicitur sæpissimè τὸ τί ἦν εἶναι, quod *quid erat esse rei*, adeòq; exprimit vel *naturam* & *Essentiam rei*, ita *forma est Quidditas rei*: quanquam soleant distinguere *nonnulli* inter *essentiâ* & *Quidditatem*, ut *ista sit totum esse rei*, *hæc* autem *ultima realitas*, secundum quam aliquid constituitur in *propriâ specie*: vel *definitionem rei*, explicantem ejusdem *naturam*, ut *animal rationale* est *quidditas hominis*. *Quidditativum* quot modis dicatur è *Castaneo* cognoscas.

Ter-

VI. *Terminus* sumitur *æquipollenter* ad Ens, importato saltem *respectu ad cognitionem nostram*, quæ incipit ab *accidentibus*, & terminatur in *Essentiâ*. Adde, quod *res* quævis *terminet intellectum* nostrum in se *indeterminatum*, eum sit in *potentiâ* ad omnia. Sumitur autem *aliàs* 1. Pro *quovis*, quod cognosci potest *quâcunq; ratione*. 2. Pro *notione secundâ*, idq; *diversimodè*, ut è *Logicis* notum. 3. Pro *voce technicâ*, inde termini *artis*. 4. Pro *extremis*, ut *terminus à quo* & ad *quem*, & quæ *aliæ* sunt *significationes*.

Ποεήσματα.

I. Unius rei una est natura: & vicevers*â*, plures naturæ plures constituunt res. *Una res una natura.*

Terminos accipiendo *strictè* & *eodem modo*. *Res enim* & *natura* sunt *synonyma* ratione *Entis*. Ergò & *inter se*. De *abusu* horum Theorematum *Photiniano* videatur *Dn. Keslerus part. gen. Met. Photin sect. 1. princ 1. & 2.*

II. Plures realitates non inferunt plures res. *Plures realitates non sunt plures res.*

Intellige *Realitates inadæquatas*, non

I verè

verò *ultimatas*. Nam unius rei unica tantum est *realitas* seu *forma*. At juxta *modum abstrahendi* plures dantur *inadæquati conceptus in unâ re*, cum non importent statim *modi concipiendi diversi essentiæ diversitatem*: Ita eadem *essentia divina concipi* potest sub *realitate Entis, substantiæ, spiritus, independentis. Ultimus* conceptus tantum *adæquatur* ipsi essentiæ: *reliqui* verò *latiores* non important aliam essentiam, sed inadæquatè sistunt eandem.

Alius nomen personæ.

III. Alius est nomen personæ.

Constat ex *usu loquendi*: Infert n. *diversitatem*, eamq; non *essentialem*, ut *aliud*, sed *personalem*, qua unum suppositum distat ab altero: Hinc: quæ habent se ut alius & alius, diversam habent subsistentiam: ita cum *Johan. 14, 16.* alius promittatur *paracletus, hypostatica alietas* rectè exinde colligitur.

Apud aliquem esse.

IV. Alius est is, qui apud aliquem est: & alius is, apud quem ille est.

Patet è *priori*. *tò alius* enim est *nomen personæ*. Cum itaq; unus dicitur apud alium

alium esse, certè non potest eadem innui persona, si propriè loquamur. Hinc constat, cum λόγος *Deus dicatur* fuisse *apud Deum*. *Joh.1,1.* quod alia sit τῦ λόγυ *persona*, & *alia Dei*, apud quem *fuit* λόγος. Cæterum exinde non nisi *sophisticè* infert *Socinus* λόγον *non esse* æquè *Deum*, quàm *patrem*, penes quem dicitur fuisse λόγος; *Personalis* infertur *distinctio*, non *essentiæ inæqualitas*, quam esse simplicissimè eandem vel eo innuitur, quod & ὁ λόγος dicatur θεὸς ibidem.

V. Omne, quod est, eo ipso, quod est non potest non existere. *Existentia rei est necessaria.*

Existentia enim est id, quo primò & *formaliter* constituitur essentia in latitudine Entis *positivi* & *realis atq; actualis*. Et *Essentia* in actu constituta est ipsa *Existentia*, unde negatâ *Existentiâ* impossibile est, ut fervetur ipsa *Essentia*: ut insigniter erret *Keckermannus Essentiã creaturarum fingens ab æterno ante Existentiam*. At qualis erit ista *essentia*? *Creata*, an *increata*? Si hoc, non est *creatura*, sed *creatrix essentia*. Si istud, existet utiq; ab *æterno*, cum creatio terminetur ad existentiam. Ideoq; *Creaturæ non sapuerunt essentiam ante existentiã.*

habebimus *creaturas existentes antequam existerent*, *creatas antequam crearentur*. Qui obvertunt, tribui *creaturis essentias reales*, etiāsi non *existant*, ut distinguuntur à rebus *fictitijs* & *impossibilibus*, nimiùm abutuntur terminis. Fictitia est, & impossibilis *essentia* realis absq; *existentiâ*, quum τὸ esse *reale* non competat rei quæ est per *nudam non repugnantiam*, & *essentia creaturæ in potentia* non *dicatur*, nisi per *denominationem extrinsecam à potentiâ divinâ*, quæ nihil realitatis infert in creabili.

Omne Ens habet propriam existentiam.

VI. Omne Ens habet propriam existentiam.

Habet enim *Essentiam propriam in actu* constitutam, quæ est ipsa *existentia*. Distinguendum enim inter *existentiam* & *Subsistentiam*. *Existentia* est ejus, quod est extra causas, & indifferenter se habet ad modum *existendi* innitendo alteri ut *sustentanti*, vel ad modum *existendi* sine aliquo *sustentante*. *Subsistentia* verò est *modus determinatus* limitans *existentiam* ad τὸ *existere per se* & *sine aliquo sustentante*: ita *natura humana in Christo actualem habet essentiam*, *seu existentiam propriam*, sed cum innitatur divinæ naturæ, à quâ

Natura humana Christi propriā habet existentiam.

à quâ sustentatur, *destituitur propriâ Subsistentiâ*. *Modus* autem iste, quo pendet ab alio *sustentante*, non destruit propriam ejus *existentiam*, *uti nec existentia ipsa filij Dei* intrinsecè constituit τὸ *existere humanæ naturæ*. Unde distinguendum est inter *Existentiam completam & terminatam in suo genere*, & *completam ultimò in genere Substantiæ*, ita ut *naturæ individuæ* non repugnet existentia terminata in genere *naturæ*, quæ tamen in ratione *Substantiæ* non sit omninò completa, donec assequatur *Subsistentiam*, de quo in *parte speciali*. Hinc infertur *existentiam* non tantum *esse totius*, sed & *partium* ideoque non semper esse *Entitatem simplicem*, vel semper *compositam*, sed talem, qualem exigit *essentia*, & ut hæc est *totalis*, nec *partialis*, ita illam dividi posse, ut *membra* partialem habent essentiam, ideò & *existentiam*. Et non modo *subjectum* propriam obtinere *existentiam*, sed & *accidentia*, quæ insunt subjecto. Pariter *modos* quoq; *rei*, uti proprium *esse*, obtinent diversum ab esse, quod *natura* habet, quam modificant, ita & *propriam* obtinere *existentiam*, ut *subsistentiæ* ratione *naturæ substantialis*. Infert quoq; *Timplerus*

Partes habent existentia.

Accidentia habent existentiam.

Et Modi.

non tantum Entia *singularia*, sed etiam *universalia* suam habere *existentiam*. Verumenimverò præsupponit falsam *hypothesin*, *essentiam* scilicet *universalium* esse *distinctam ab essentiâ particularium*, de quâ suo loco.

Universalia non habent existentiam.

Unum Ens una existentia.

VII. Unius Entis una tantum est existentia.

Constat ex identitate *essentiæ* & *existentiæ*. At intelligendum est *proportionaliter*, prout scilicet unum est *Ens*, sive *simplex*, sive *compositum*: Ita quoq; unam esse ejus *existentiam*. Ab *hoc* verò non licet arguere ad *unitatem subsistentiæ*, quia hæc ulterior modus est Entis existentis, qui alius atq; alius esse potest eâdem manente essentiâ.

Existentia ultima actual.

VIII. Existentia est ultima rei actualitas.

Scilicet *Entis* quâ *Entis*, non verò quâ speciali modo affectum est. *Ultima* dicitur ratione *Essentiæ*, quam in actu locat: *Thomistis prima* ratione *proprietatum* & *operationum*, in quas influit.

Existentia habet se ut essentia.

IX. Existentia non est perfectior essentiâ, neq; hæc istâ.

Sunt

Sunt enim ἁπλῶς idem. Unde corrigenda lingua eorum, qui dicunt *plus requiri ad existentiam, quam ad essentiam. Quæ enim ad essentiam actualem requiruntur, eadem nec alia ad ejusdem rei existentiam pertinent.* Producit Timplerus *proprietates hominis* ad *existentiam* eius requisitas, at ineptè. Non enim *constituunt* hominem, sed constitutum *sequuntur:* non faciunt, ut *existat*, sed ubi existit, ab essentiâ ejusdem actuali *promanant.*

X. Existentia omnibus rebus est intrinseca, & essentialis. *Existentia rebus est intrinseca.*

Imò, quia idem plane cum essentiâ, non potest non rebus, quâ sunt, competere *essentialiter*, adeò, ut ne Creaturis quidem *Existentia* sit *Extraessentialis*: Eo enim, quia Creaturæ sunt, esse actuale obtinent, ideoq; non possunt destitui *existentiâ*, quæ ipsis in quantum Creaturæ sunt, *essentialis* est. *Essentialis*, inquam, non quod *independenter*, & *per essentiam*, vel *originaliter*, ut ἀυτεξυτοῦς ipsis competit, sed quod *intimè, intrinsecè* sine ullo *adventitio* respectu in ipsâ essentiâ includatur, vel potius sit ipsa Essentia. Accidit quidem *Existentia Creaturæ, ut* & *ob-* *Essentia est Creaturis essentialis.*

jectivè, sed non ut *Creatura* est, vel in quantum est *Verè & positivè*, unde συγκεκριτικῶς in ordine ad *Deum*, à quo esse habent *Creaturæ*, ipsis tribuitur & *Essentia*, & *Existentia* saltem *accidentialiter*, id est, *dependenter*, & per *participationem*.

Existentia communicata communicatur & essentia.

XI. Existentiâ communicatâ non potest non essentia simul communicari.

Impossibile enim est, ut *existentia* sit *sine essentiâ*, cum ne quidem concipi possit aliquid esse ipsa existentia sine actuali essentiâ, proinde communicatâ *Existentiâ* nihil aliud, quam *ipsa Essentia* communicatur, adeoque & *subsistentiâ communicatâ* fieri non potest, quin ipsa *essentia* communicetur, utpote quam ipsa *subsistentia* subinfert. Inde constat *rectissimè concludi à communicatione subsistentiæ τῦ λόγυ factâ humanitati Christi ad ipsius naturæ divinæ sub charactere hypostatico τῦ λόγυ communicationem.*

Omne quod est, per formam est.

XII. Quicquid est, per formam est, quod est.

Scilicet per *formam Metaphysicam*, quæ est *ipsa rei quidditas*: Unumquodq; enim per suam *essentiam* habet actum essen-

essendi, ideoq; & per *formam*, utpote, quæ est ipsa essentia cum connotatione actualitatis.

XIII. Quod est de materiali rei, id importari non debet in formale ejusdem.

Materiale non inferendum est in formale.

Nam quod est *speciei*, quâ *species*, id minimè includitur in *genere*; ita *materiale* se habet, ut conditio *specialis*: *Formale*, ut *ratio abstracta* & *generalis*; ideoq; *istius* quod est, non debet inferri *in hujus* repræsentationem. Inde est, quod dicatur *de termino non esse judicium ferendum, prout in hac, vel illâ specie reperitur*, sed *juxta id, quod in modo abstractionis infert*. Multa enim termino conveniunt sæpè ratione *certi subjecti*, quæ in *abstractione* & *proprio conceptu* eidem tribui non debent. Quocirca docetur accuratè in *habitu intelligentiæ*: *de materiale rerum, conditiones* & *respectus reales discernendos* esse *a formali*, seu *ratione abstractâ* & *generali*. Ut aliud esse rei *abstractam quidditatem*, aliud *specialem in certo subjecto conditionem* & *qualitatem*, neq; vel *istam* ex *hac* æstimandam, vel *hanc in istam* inferendam esse. In quod impingunt *Photiniani*,

Quædam conveniunt termino in certo subjecto: quædam in abstractione.

dum, quæ sunt *accidentia generationis physicæ*, vel etiam pertinent ad *naturam generationis naturalis*, ἀπαιδεύτως inferunt in *definitionem generationis abstractam*, & *per consequens* requirunt in *hyperphysicâ*, & *omnem naturam transcendente filij Dei generatione.*

Formale non repugnat materiali.

XIV. Conceptus formalis est materialem actuare & restringere, non convellere, eidemve repugnare.

Dico *formalem* conceptum (alio sensu) id est, *proprium* & *adæquatum* vel *specificum*, non adversari *materiali* seu *generico* & *communi*, sed eundem limitare, restringere, & cum eo *intrinsecè* rem ipsam constituere. Patet: quia *proprium* non derogat *communi*, *species* non tollit *genus*, ideoq; & *adæquatus conceptus* non repugnat *conceptui inadæquato*. Ita peccant, qui eum *Trelcatio baptismum finiunt Sacramentum* N. T. *constans relatione signi & signati. Formale* enim *constare nudâ* κατ' ἐξ repugnat simpliciter *naturæ Sacramentali Novi fœderis*. Plura non advecto.

XV. Na-

XV. Natura ut proprietas, non est natura, ut quidditas. *Naturæ proprietas non est ipsa quidditas.*

Aliud enim est *quidditas rei*, aliud profluens è quidditate *proprietas*. Solet autem utrumq; venire nomine *naturæ*, quam *homonymiam* non observans in errorem lapsus videtur *Flacius*.

XVI. Alia res, alia ratio. *Alia res, alia ratio.*

Unaquæq; enim *res* propriam habet *rationem*, cum λόγος seu *ratio* sit ipsa *rei definitio & essentia*, undè ne *relationes* quidem *differentes* ut *res* & *res*, aliter possunt quam habere *diversam rationem*.

XVII. Quidditas est ipsa rei Essentia. *Quidditas est ipsa rei essentia.*

Τὸ τί ἦν εἶναι dicitur rei *quidditas*, quæ ipsum *quid est*, seu *essentiam* exprimit; Solent tamen distinguere inter *cognitionem quidditatis, & quidditativam*, indigitantes *istam*, quâ res cognoscitur *confusè inadæquatè*, & *per conceptus* vel *negativos* saltem, vel *minùs distinctos*, adeò, ut *aliquid* saltem *quidditatis* innotescat. Hanc vocantes, quâ res *distincte* in *conceptu proprio* juxta *ultimam differentiam* & *adæquatè* cognoscitur, ut cum dicitur *cognitionem* *Cognitio quidditatis & quidditativa.*

tionem naturalem Dei esse *quidem aliquam* seu *quidditatis*, non tamen *quidditativam* & *adæquatam*.

Omne Ens potest cognosci.

XVII. Omne quod est, intellectum terminare potest.

Duplex datur *rei* ad *intellectum ratio*: *altera essentialis* ad *intellectum divinum*, quem non terminat res ipsa, sed à quo terminatur: *Altera est accidentalis ad intellectum humanum*, quem in se *indeterminatum* res quævis *terminare potest*. Ut enim *esse* habet *cognoscibile*, ita à mente nostrâ quin *apprehendi* possit, non est dubium. *Hoc* verò dum fit, *intellectus terminari* dicitur.

CAPUT IV.

Nominales Entis distinctiones.

Entis nomen descriptivè *innotuit; jam* distinctivè *cognoscendum est. Offerunt autem hic* se distinctiones Entis nominales, *& numero* plurimæ, *& pondere* graviſſimæ, *de quibus breviter tum* in genere, *tum in* Specie hoc Capite *agendum*.

Distinctiones Entis nomina quid sint?

I. Distinctiones Entis sunt respectus quidam speciales Entis latissimè accepti, ab autoribus usurpati,

pati, partim diversitati Entis ratione affectionum quarundam respondentes, partim immediatè Enti competentes, quâ innuunt æquivocationem Entis.

An sint distinctiones?

Dantur omninò *distinctiones nominales*, cum *æquivocè* participent nomen Entis etiam ea, quæ verè non sunt *Entia*: *possunt* verò quin & *debent* alicubi exponi, cum *per proportionem* saltem intelligi queant *Entia rationis peraccidens &c.* quanquã *directè* non habeant sedẽ in *disciplinâ* quâdam: quantum tamen *indirectè* cognosci possunt, pertinent in *actu signato* ad *Metaphysicam*, ut in *Exercito* ad *alias disciplinas*: idq; ideò, quod *ista maximè Universalis* sit, &, cum *ens* contenpletur non omninò negligere debeat, quæ *per proportionalitatem Entia* sunt, vel potius *similæ Entium*, idq; eò magis, quò clarius innotescit *Entis natura* ex *oppositis*. Quin ne *objectum* quidem rectè constitui potest ob *magnam entium Varietatem*, nisi evolutis prius *hisce distinctionibus*. Debet verò de ijsdem agi *hoc in loco antequam* scilicet *Ens ipsum constituatur & constitutum definiatur*, idq; saltem per *reductionem*,

An exponi debeant?

An in Metaph.

Num hoc in loco,

Quomodo cognosci possint?

ctionem, cum per se *Scibiles* non sint: respuunt enim omninò tractationem directam, cum accedant ad *naturam non Entium*, ideoq; neq; *hic*, neq; *alibi directè* tractari possunt. Cũ nõ sint propriè *divisiones generis in species*, vel *rei in modos sive afficientes*, sive *contrahentes*: [*species* enim debet participare rationem *generis*, *ut & modus*: his verò repugnat *Entis realis natura*, & non nisi *nomine* conveniunt] Sed potius sunt *distinctiones nominis æquivoci in sua æquivocata*; ideo dicitur in *definitione*; quod sint *respectus speciales* Entis *latissimè sumti*, prout notat omne id, quod *intelligibile* est *aliquo modo*: Attamen tales, qui non fingantur, frustra, sed vel ab *Aristotele*, vel alijs bonæ notæ *autoribus* usurpati sint, & reduci possint *partim* ad *ipsum Ens*, ut cum dicitur aliud esse *actu*, aliud *potentiâ*: *partim* ad *affectiones Entis*, ut cum *Unitatis* ratione dicitur aliud *Ens per se*, aliud *per accidens* &c. *Usus* itaq; rarum est non modo ut *latissimæ distinctiones* innotescant, sed ut *objectum* nostrum ritè constituatur remotis *æquivocis*, adductis *proprijs ejus rationibus*, ut *conceptus Entis* eò exactius formetur, ut deniq; *distinctiones* ratione *affectionum*

Differunt à dibisionibus Entis & affectionibus.

Exponitur definitio.

Usus distinctionũ.

nomi-

nominales accuratè discernantur ab ipsis *affectionibus*, quod vel maximè necessarium.

II. Prima distinctio Entis est in Positivum, & negativum. Istud essentiam habet positivam, hoc essentiam negat & tollit: Estq; vel pure negativum, vel privativum, quæ ita differunt, ut prius dicat negationem rei omnimodam, posterius verò carentiam saltem rei, vel essentiæ positivæ, in subjecto, rem negatam recipere apto. 1. *Nomin. distinctio in Positivum & Negativum.*

Fundamentum distinctionis est in *Met. c. 1*, ubi *negationes & privationes* dicuntur *Entia*, scilicet non *realitate essentiæ* sed *prædicationis & Convenientiæ*, cum in prædicationes adduci possint, quanq; in *communi* quodam *conceptu verè & realiter non* conveniant, adeoq; saltem *æquivocè* Entis nomine veniant. *Positivum* enim solum verum Ens est, quod dicitur *alijs* habere *Essentialiter* sibi *debitam perfectam Essentiam*: *alijs* notare *formam* vel *habitudinem perficientem suum subjectum*, 4. *Fundamentum distinctionis.* *Quid positivum sit?*

ctum. At neq; *formaliter* ipsam *essendi perfectionem* importat, neq; *adæquate* ut *forma perficiens* definiri potest, quin potius infert saltem *veram Entitatem* in *rerum naturâ* positam & constitutam, qualem habent omnia, quæ in actu ponuntur, tum *substantiæ*, tum *accidentia*. Unde constat *positivum strictè* sumendo *Entitatem* quandam *veram ponere*, non verò nisi ἀκύρως tribui ijs, quæ *Entitatem removent & tollunt*. Quanq; alias distinguere soleant inter *positivum rigorosè & strictè* acceptum, prout jam *definitum*, & *impropriè ac latius* sumtum, qua etiam extendit sese ad ea, quæ *defectum & privationem Entitatis* dicunt *formaliter*, ut cum *Theologi peccatum originis positivum appellare* non dubitant. *Negativum* cognosci nequit nisi *indirectè* cognitione ἀφαιρετικῇ quia nullum *actum formalem* in se habet, & proinde *propriam Speciem*, per quam *directè intellectui* repræsentatur, spargere nequit. Cognoscitur igitur per *habitudinem* ad *positivum*, illud removendo. Potest autem sumi vel *concretivè*, vel *abstractivè*: *Hoc* modo dicit *negationem præcisè*: *Isto* implicat *aliquid positivi* in *Subjecto materiali* significatione: ita

Positivum dicitur ambigue.

Peccatum originis positivum.

Negativum quomodo cognoscatur?

Quot modis sumatur.

cæci

Cæci nomine non solum exprimitur visus carentia, sed *connotatur* simul *animal, in quo talis carentia reperitur.* Cæterùm *negationem* distinguunt *Scholastici*, ita ut *alia neget* tantum *essentiæ* actum *Specialem*, & relinquat *generalem, alia* tollat *actum* non solum *specialem*, sed & *generalem. Illa* dicitur *infinitans* & de *formali* notat *negationem termini, cui* apponitur: *De materiali* connotat omnia cætera præter illum *terminum*, cui apponitur, ut *non homo infinitanter sumtum præter hominem*, quem *negat, extenditur ad omne id, quod est, aut non est*, quo de in *Logicis*: Vid. *prima mentis operat. Clariss. Wegeri. sect. 1. c. 10. Hæc* est vel *pure negans*, vel *privans. Utraq;* considerari potest *vel quatenus* aliquam essentiam removet, *vel* qua sunt in Subjecto per modum alicujus formæ positivæ. *Hoc* modo verè sunt *non Entia. Isto* verò modo præter omnem *intellectus fictionem rebus* competere possunt, suamq; Veritatem habent, licet non sine *operatione mentis componentis*, aut *dividentis*, tamen sine *omni fictione*, indeq; *reales* dici possunt, non essentiam ponendo, sed eandem *Veræ* (intellige *Veritatem Logicam & prædicationis*) removendo: ut *Bartimæus* verè Cæ-

Negationis distinctio.

Negatio infinitive.

Negatio negans & privans.

cus est, homo verè est non equus. Negatio fundari potest in *intrinsecâ naturâ subjecti*, ut *hinnibilitatis* negatio in *hominis* differentiâ *intrinsecâ*: *Privatio* autem non in *solâ naturâ intrinsecâ*, sed in *aliquâ formâ*, vel *conditione additâ* fundamentum habet, ut *Cæcitas Bartimæi* non in *naturâ* ejus, sed in *aliâ conditione visum* ejus *excludente* fundatur. Unde non obscurum est *utriusq; discrimen*, quod scilicet differant *distinctione includentis & inclusi*, ita ut *negatio* dicat *carentiam præcisè* sine *aptitudine subjecti*: *privatio* verò simul *aptitudinem subjecti*, *habitum seu potentiam* recipiendi subinferat. Quæ est *differentia latè* sumendo terminum *essentialis*, non verò saltem *materialis*: licet enim *subjectum* cũ suâ *aptitudine privationi* sit *extrinsecum*, *ordo tamen* ad tale *subjectum* aptum non est extrinsecus, sed maximè *intrinsecus* & *essentialis*. Pura itaq; *negatio est negatio rei de subjecto inepto ad eam suscipiendam*. Solet etiam dici *nihil negativum*, & *non Ens*. Quod *ambiguè* dicitur: *ἰδίως & propriè non Ens* dicunt, aliud *complexum*, de quo *Logicus*, quale est *propositio falsa*: vel *incõplexum*, de quo *Metaphysicus*, quod *absolutè* est *non Ens*, & nullum planè Entis

Quomodo differat negatio & privatio.

Non Ens ambiguè dicitur.

tis modum habet, ut *purgatorium, chymæra*, non *Ens*. Cui tamen non simpliciter æquipollere τὸ *nihil* vult Dn. *Stahlius*. Καταχρηστικῶς & *improprie* accipitur *non Ens*, *vel* 1. pro *caduco*, & eo, quod non est *æternum*, quomodo *omnes creaturæ dicuntur non Entia*. Vel 2. pro eo, quod habet esse *imperfectum*, ut *materia non Ens* dicitur. Vel 3. pro eo, quod non *subsistit per se*, quo sensu *accidentia quodammodo* non *Entia dicuntur*. *Privatio* sumitur *variè*: *Activè* est ablatio alicujus, ut *cum quis dicitur alterum privare bonis*: *Passivè*, vel *improprie* pro carentiâ formæ in subjecto quovis, etiam non capaci: sive, quod formam non accipere potest, nisi secundum *genus remotißimum*, ut *lapis dicitur cæcus*, quia *videre non repugnat substantiæ*. Vel *secundum genus proximum*, ut cum *talpa cæca dicitur*, quia *animali debet competere visus*: vel *secundum rationem specificam* quidem, at non *secundum tempus definitum*, ut vulgò *Catulus ante* nonum *diem putatur cæcus*: vel *Proprie* pro absentiâ rei in subjecto capaci ad recipiendum rem istam tempore à naturâ definito, adeoq; pro carentiâ formæ, quæ vel jam fuit, vel esse debuit in certo subjecto.

Privationis æquivocatio.

jecto, ut *cæcitas privatio visus.* Unde definitur à *Damasc. c. 58. Dial.* στέρησις ἐν τῇ ἕξεως ἀποβολή. Vocat *privationem Logicam*, quæ à *Physicâ* (prout vulgò censetur absentia formæ substantialis in materiâ cum aptitudine ad eam recipiendum) distinguitur, quod *hæc* præsupponat formam, eamq; sequatur. *Illa* excludat formam, *sive* quæ ante inextitit, *sive* quæ inesse debuit. Intellige autem *formam* sive rem *negatam naturalem*, non *accidentalem*, sive quæ naturaliter subjecto debetur, non quæ extrinsecùs ei convenit, adhærendo ipsi, aut idem circumstando, quales *privationes* sunt *pauperem esse, nudum, cœlibem &c.* Hæ enim *impropriæ* tantùm privationes sunt, cum omnis *privatio* sit rei *à naturâ insitæ 6. Top. c. 3.* Quare cum *forma* saltim extrinseca *accidentalis* ad integritatem rei non spectans, sed *merè adventitia* sive ut *ornamẽtum*, sive ut *munimentũ* de re aufertur, *impropria* est *privatio.* Ea verò est *propriè* privatio, quæ carentiam dicit formæ inferentis essentialem perfectionem, undè non denegatur saltim ea nudè, sed & infertur *violentia.* Sublato enim bono pertinente ad naturalem perfectionem subjecti,

Propria privatio.

jecti, necessum est ipsum subjectum *defectum* quendam pati, si non *totalem interitum*. Cum verò *una privatio sit fortior alterâ*, distinguunt inter *privationem totalem & partialem*. *Privatio totalis* sive *perfecta & potentiæ* (non *primæ*, quæ an separari possit à subjecto dubitant, sed *secundæ*, quam *organorum dispositione* definiunt) quæ tollit & *actum*, & *potentiam*: *partialis*, quæ solum *actum* tollit, relinquit autem *potentiam*. *Alij privationem totalem* dicunt tollere *totam rei essentiam*, *partialem* saltim *juxta aliquem gradum*. Ab *istâ* regressum ad Entitatem fieri posse negant: quanquam ab *hac* non rarò datur, ut *regressus datur à morbis nonnullis ad sanitatem*, à morte *ad vitam naturaliter* non *datur*.

Privatio totalis partialis.

III. Secunda distinctio Entis est in Ens Reale & Ens Rationis. Ens Reale est, quod extrà fictionem intellectus verè esse obtinet. Ens Rationis, quod non habet verè esse, nisi per mentis fictionem.

II. Distinct. Ens reale & rationis.

Fundamentum distinctionis est, quod *utrumq; suo modo* veritatem habeat. *vel in*

Reale quot modis dicatur.

naturâ, vel in mente nostrâ. Tò *Reale* ambigue dicitur: Solet enim opponi vocali, quomodo *reale* dicitur *thema*, quod non est *vox significativa*: vel *modali*, quo sensu *reale* dicitur, quod non est *modus rei*: vel *Essentiali*, in quantum tò *Reale* respectivè dicit omne id, quod *esse verè* habet, sive essentiam per modum *partis* constituat, sive per modum *accidentis* consequatur, sive alio quodam modo rei *uniatur*, ut *eruditio* in homine *reale quidem est, non essentiale*: vel *intentionali*, idq; *triplici* modo. Vel quâ reale notat *generaliter* omne, quod esse habet quâcunq; ratione extra *mentis fictionem*, sive esse istud verè *ponatur* in rerum naturâ, sive saltim verè *removeatur* à rebus, sive deniq; non *repugnet* saltim esse ejusmodi poni: quo pacto complectitur etiam *privationes* & *negationes*, quippè quæ rebus competunt, etiam mente nostrâ non fingente, ut & entia in potentiâ, ut quæ aliquando verè esse possunt. Vel quâ *specialiter* talem essentiam importat, quæ posita est in rerum naturâ, adeoq; verè est ante omnem mentis fictionem. *Conjugatum Realiter* est *terminus Realiter*, qui peculiarem meretur explicationem. Solet autem tò *Realiter*

Realiter.

ter aliàs contradistingui ei, quod est essentialiter, de quo suprà. 2. Τῷ effectivè & virtualiter: ita *Sol dicitur nobis præsens non realiter, sed tantum secundum operationem virtualiter.* 3. Τῷ verbaliter, sive, quod *secundum dici* saltim est; vel etiam, *quod non tam* in re, *quam in verbis* saltim *consistit.* Ita *communicatio idiomatum fieri dicitur realiter*, non *verbaliter.* 4. Τῷ Objectivè. *Objectivè*, quod itidem non *uno modo* dicitur: *Objectivè* enim est, vel quod est *in ideâ ante actum essendi in mente divinâ creatrice*, vel *humanâ effectrice* per *similitudinem & effigiationem*: ita *fuisse dicimur ante creationem non realiter*, sed *objectivè & idealiter*: ita *domus est in mente artificis objectivè non realiter.* Vel *quod* est in *typo sive figurâ per repræsentationem & præfigurationem*: ita *Christus ut homo præsens fuit in V. T. saltim sub typis & umbris*, Vel quod *est in nostris* sive *sensibus, sive animis per præsentationem & intentionaliter*, sive extrà *hanc præsentationem jam* sit in *re, sive saltim in Spe. priori* modo dicuntur in *mente nostrâ* (vel etiam in *sensibus*) *esse notiones vel symbola rerum Objective, non realiter. Posteriori* sensu dicitur *Vita æterna in nobis esse ratione* προγεύσματος & *præsentatio-*

nis &c, Hic τὸ realiter opponitur ei, quod est per rationem sive concipientem præsupposito fundamento in re, sive fingentem citrà fundamentum. Entis realis descriptio hujus est loci, in quantum saltem innotescit ex opposito Ente rationis. Nondum enim descendimus ad πραγματολογίαν Entis, ubi Entis (quâ objectum Metaphysicæ est) formalis ratio inquirenda. Dico proinde Ens reale est, quod non habet esse tantùm à mente nostrâ. Esse scilicet verum & in naturâ positum vel quod persistat verè citrà fictionem. Citrà fictionem, inquam, non operationem mentis: Est enim Ens reale non modo quod extrà intellectum, ut Deus angeli, corpora naturali & accidentia, sed & id, quod non habet esse nisi intrà intellectum, quamvis ab eo non simpliciter fingatur, ut conceptus primi sive noëmata, habitus scientifici; adeoq; ipsa mentis operatio est realis, quia producitur reali emanatione à causâ reali: estq; in mente realiter & subjectivè. Unde aliqui distinguunt inter Entia realia externa & interna. Observari heic debet, quod distincta sint, Esse in mente, Esse à mente, esse & à mente & in mente. In mente sunt, quæ menti objiciuntur, ita ut etiam extrà intellectum

Descriptio Entis realis.

Esse in mente.

lectum esse *Verum* habeant: A *mente* sunt, *vel quæ* nullum esse reale obtinent, & unicè à mentis operatione dependent *vel quæ* juxta mentis directionem ad extra producta reale esse obtinent. A *mente* & in *mente* simul sunt, quæ intellectum habent & pro *causâ efficiente*, & pro *subjecto recipiente*. Vulgò quædam dicuntur esse *in intellectu Subjectivè*, quæ sunt in eo tum *realiter*, quâ verum & reale esse habent in ipso intellectu: tùm *intentionaliter*, quâ objiciuntur intellectui, ut *notiones primæ* vel *conceptus* rerum *seu species intelligibiles, habitus, potentiæ & actus intelligendi*. *Quædam* dicuntur in *intellectu esse Objectivè consequenter*, quod non tàm sint in mente, quam consequantur rerum cognitionem, ideoq; in solidum à ratione dependent, nisi quod præsupponant rationem quandam in re, à quâ sibi mens nostra sumit occasionem ejusmodi conceptus fingendi. Proindè purè *intentionale esse* habent, & extrà mentis intentionem nihil sunt, ut *notiones secundæ*. *Quædam* deniq; dicuntur in *mente* esse *Objectivè*, eo quod extrà mentem quidē Esse reale obtineant, sed & objiciantur intellectui eadem, uti sunt, cognoscenti, ut *omnia*,

Esse à mente.

Esse à mente & in mente.

Esse in mente Subjectivè.

Objectivè Consequenter.

Objectivè.

quæcunq; sunt extrà intellectum realiter, in quantum intellectui objiciuntur intentionaliter. Hinc constare potest, quid sit Ens rationis: scilicet Ens rationis transitivè sumtum tripliciter dicitur. 1. Subjectivè, quod in ratione est ceu subjecto inhæsionis ut potentiæ, habitus in animâ rationali. 2. Effectivè quod à ratione fit quod & in intellectu verè & realiter existit, sive elicitivè quomodo à ratione sunt speculationes, & cognitiones Practicæ, sive directive, id quod in intellectu tantum est virtualiter & causaliter, quomodo à ratione sunt omnia opera artificiosa, quæ juxtâ ideam in ratione conceptam efformantur. Ita universa natura habet à Ratione, vel à Mente (divinâ) esse suū. 3. Objectivè: circa quod ceu objectū versatur ipsa ratio. Objici autem potest intellectui vel quod præter esse Objectivum etiam reale habet, sive subsistentiæ sive inhærentiæ aut intra mentē aut extra mentem, sive deniq; convenientiæ, ita ut rei verè cōveniat, licet non sit forma realis, ut privationes, cum intellectui objiciuntur, vel quod extra illud esse objectivum non est verè & realiter, sive ut subsistat, sive ut inhæreat, sive ut saltim rei verè conveniat: Isti tò esse objectivum accidentale est, huic essentiale:

Ens rationis.

Subjectivè.

Effectivè.

Objectivè.

Illud

Illud verè est extra intellectus fictionem, *hoc esse quodammodo saltem habet* per intellectus fictionem. *Illud* est *conceptum* saltim *à ratione*: *hoc* simpliciter *fictum à ratione*. *Illud* purè *objectivè* dicunt *esse in ratione*: *hoc objectivè consequenter*. Quanquam rectius dicatur, quod *Ens rationis fictum* vel sit *in ratione objectivè absolutè*, ut *figmenta, quæ nullum* habent *fundamentum in re*, ut *mons aureus, purgatorium* vel sit in *intellectu objectivè consequenter*, ut *relationes rationis, intentiones secundæ* &c. Ita *homini* quatenus *objicitur menti consequenter tribuitur species, subjectum, terminus major, minor* &c. Hoc in loco sumitur *Ens rationis* prout opponitur *Enti reali*, adeoq; *Ens rationis* non est illud, quod *est in mente subjectivè*: hoc enim *essentiam* habet aptam inhærere, *Causas* agnoscit *reales* suisq; præditum est *affectionibus*; neq; id, *quod est* à *mente effectivè*; esse enim *effectum est affectio Entis realis*: neq; id, quod *objectivè consequenter est in intellectu*, cum *figmenta poëtica*, aliaq; *Entia rationis sint*, quamvis non *consequantur rem*, uti est *objectivè in intellectu* sub *habitudine quâdam rationis* (potest enim intellectus combinare diversissima

Quomodo hîc sumatur Ens rationis.

Quid sit Ens rationis?

sima sine ullo fundamento in re) sed *formaliter Ens rationis* est id, quod non habet verè esse nisi per mentis fictionem, *vel* quod non nisi objectivum esse in intellectu habet, *Id est, quod repræsentatur quidem rationi, sed extra eam repræsentationem in naturâ non datur,* adeoq; *quod habet esse* tantum *in conceptu rem nullibi existentem repræsentante. Alij* ita: Ens *rationis est, quod cum in se Entitatem non habeat â ratione tamen ut Ens cogitatur.* De *causis Entis rationis* per *proportionem* multa disputant *Scholastici*, quæ nos heic non repetimus: videatur *erudite* de hisce differens *clariss. Dn. M. Wolderus fautor & amicus honor: disp. met. 4. th. 23. cap.* Cæterum (ut *divisionem* verbulo attingam) Ens *rationis aliud* fundamentum in rebus habere *dicitur, aliud* habere *negatur*: *Illud* ab intellectu *fictum* est, non quod in nullo planè fundetur saltim *quodam modo & juxta partes*, sed quod *secundum se totum* non habeat, quod ut fundamentum supponat, vel cui per proportionem respondeat. Ita *cum hinc inde è naturâ assumuntur partes, & contra naturæ cursum in mente disponuntur, ejusq; operâ uniuntur*, ut in *Cerbero, chimærâ, hircocervo &c.*

Divisio Entis rationis.

Illud

Illud ab intellectu tantum *complementum* habet, revera tamen aliquod *fundamentum* supponit, sive *ratione modi intelligendi imperfecti*: sive *ratione rei, cui tribuitur* per *non repugnantiam*: Estq; vel *positivum*, vel *negativum*. *Positivum* dicitur *relatio rationis*. *Negativum* vel est *pura negatio*, vel *privatio*, ut in *præced. Theor.* Scilicet non quà *verè* negant & privant, sed in quantum concipiuntur per *modum alicujus positivi*: ut cum *leoni tribuo esse non hominem, aeri esse tenebrosum, Bartimæo esse cæcum*, ut *aliquid positivum*, quod non nisi per *rationis operam* fieri potest. *Relationem rationis* describit *Suaretz.* *quam intellectus fingit per modum formæ ordinatæ seu referentis unum ad aliud*, quod *in re ipsa ordinatum aut relatum non est* de cujus *conditionibus & divisionibus agit disp. 4. Sect. 6.* ubi videri poterit ut & *Scheibl. c. ult. part. 1. Met.* Potiores *relationes rationis sunt intentiones secundæ*, quæ *Caietano* dicuntur *illæ intellectus attentiones*, quà *in rebus sibi oblatis intuetur illa, quæ conveniunt illis ex intellectus adinventione*; ita vocare solent *terminos technicos in Grāmaticis Logicis, Rhetoricis*, de quibus nonnulla diximus *Cap. 1. Can. 8. part. 2. Gnostol.*

Relatio rationis quid?

Intentiones secundæ.

4. Ter-

III. Distinct. Ens actu & potentiâ.

IV. Tertia distinctio Entis est in Ens actu & potentia Actu est quod per se subsistit seu actum essendi obtinet in se se & verè persistit in rerum naturâ.

Potentiâ est, quod actu essendi caret, eundem tamen virtute causæ producentis ut accipiat, non repugnat. Dicitur & possibile, cui opponitur impossibile.

Fundam. distinct. Ens nominalit. & partici. pial.

Distinctionis *fundamentum* est *duplex* illa Entis *acceptio*, quâ sumitur vel *nominaliter*, in quantum *præcisè* dicit Essentiam non importato actu essendi, vel *participialiter*, quâ *essentiam existentem* notat. Ita enim *Ens non significat conceptum aliquem communem Enti nominaliter & participialiter sumto, sed immediatè duplicem habet significationem, quæ vel æquivoca* est *vel maximè ad æquivocationem accedit, secundum quandam translationem fundatam in aliquâ proportionalitate*, ait rectissimè *Suaretz disp. 2. Sect. 2. n. 8* Unde ulterius disputat *Ens ut in vi nominis significatur, propriè dividi posse in Ens actu, & Ens potentiâ.* Et Ens in *actu idem esse, quod Ens participialiter sumtum.* Largimur lubentes, quod

quod Ens ita *generaliter* sumi possit, ut sub se complectatur tam Ens *in potentiâ* quam *Ens in actu*: Undè resultat ista *nominis distinctio*: Et laudamus id, quod habet Dn, Jac. Mart. Exerc. Met. l. 1. Exerc. 3. theor. 6. quemadmodum lib. 1. Met. Arist. *Ens dispescit in unum & multa, non quidem ut sit necessum idem* Ens *& multitudinis, & unitatis esse capax, sed quia hæ sunt differentiæ totius Entis, eodem modo h. l. cum Arist. actum & potentiam, quas Averroes 2. de an: t. 6. dicit differentias valde oppositas, non cuivis in specie, sed universo* Enti *tribuimus, nempè cujus species analogicæ quædam sint potentiâ, quædam actu.* Hoc inquam acceptamus eo sensu, quod, sicuti *divisio Entis in unum & multa* est *æquivoca distinctio (multa* enim non sunt Ens, nisi *nominetenus) ita distinctio Entis in Ens actu & potentiâ sit* merè *nominalis* & *æquivoca:* Minimè verò ut *vulgus Metaphysicorum* statuit inter *affectiones Entis disjunctas* numerari possit. Omnis enim *affectio Entis includit materialiter ipsum Ens*, adeò, ut id, quod in se non est Ens vel essentiam respuit, minimè possit censeri Entis affectio. *Impossibile est, ut affectio repugnet subjecto suo*, vel *idem omninò neget.* Cum itaq; ⁊ *impotentiâ* esse

Ens generaliter sumtum est actu vel potentia.

sit

sit *carentia veri & positivi esse*, nullo jure statuitur ejus *affectio*. At quod *Ens in potentiâ* non sit verè Ens deinceps evidenter probabitur: jam paucis & *actuale*, & *potentionale* declaro. Distincta sunt esse *actum* vel *potentiam*, & esse *actu vel potentiâ*. *Illo denominatur* Ens *disjunctivè*, qua vel *actuat*, vel *actuari potest*. *Hoc* proponitur *Entis diversus status*, qua vel *potestate* est ut possit existere, vel *actu est*, ut de facto existat. *Tripliciter* verò intelligitur *esse actu*, & *potestate*. 1. *De diversis Entibus*, quorum *alterum* verè est & existit, *alterum* verò existere potest. 2. *De Entis ejusdem diversis statibus*, in quantum id intelligitur vel *existere* vel *esse in potentiâ*, antequam existat. Vel 3. *de ejusdem Entis diversis respectibus*, quâ *idem* consideratur sub *actuali existentiâ* vel etiam sub *possibilitate*, quæ simul cum ipsâ *existentiâ* consistit; *dum enim aliquid est, esse potest*: *hoc* sensu *improprie* sumitur, & concipitur *in actuali ipsa potentia ad actum*. *Isto sensu* Ens *in potentiâ* negat *existentiam*, sed ut ponat aliquando eandem, *Illo* deniq; dicit simpliciter *non repugnantiam ad existentiam*: & *hic sensus hujus loci est*, siquidem Ens *potestate* nobis dicatur id, *quod*, licet

Distincta sunt: Esse actum vel potentiam; & esse actu vel potentiâ.

Esse actu & potentiæ dicitur triplititer.

Quod sit Ens potentiâ?

licet actu essendi destituatur, esse tamen queat citrà contradictionem, & ita in potentiâ sunt omnia, quæ fieri possunt, sive sint in potentiâ proximâ, sive remotâ, sive jam causas habeant taliter dispositas, ut ab ijsdem produci possint, sive saltem quò producantur, nullam implicent *contradictionem*. Hinc *impossibile* dicitur, quod simpliciter fieri non potest: eò, quod si fieret, importaretur quædam contradictio. *Actuale* est *ambiguum*: Res enim potest intelligi esse *actu*. 1. *Objectivè*, quod intellectui objcitur, ut fieri possit, vel non repugnanter, quod nullam involvat ad essendum contradictionem, & hoc *valdè*, *improprie*, esse actu dicitur. 2. *Quidditativè* seu ut de eo verificentur prædicata essentialia citra actualem existentiam, Ita semper actu sunt, quæ æternæ veritatis ratione prædicationis dicuntur. 3. *Positivè*, de ijs, quæ in actu existentiæ constituuntur, sive perpetuâ essendi ratione, quæ in incorruptibilibus locum habet, sive quâdam individuorum successione vel continuata vel discontinuata, quæ tamen tempore suo non deficiant. *Isto* modo *homo*, *leo equus semper est*. Hoc modo *rosa*, scilicet

Quod sit impossibile?

Esse actu ambiguum est.

Quod sit Ens actus?

tempore definito est; non enim deficit in vere regulariter. Nos per *Ens actu* intelligimus id, quod existit vel in naturâ positum est extrà causas constitutum, sive ut è causis emerserit, quas intra ante extitit *virtualiter*, ut creaturæ postquam à Deo in esse actuali constitutæ, sive ut *simpliciter* repudiet causas, & nunquam non existentiam suam obtineat, ut Ens *summè actuale Deus*, cui repugnat in potentia esse.

IV. Dist. in complexum & incomplexum.

IV. Quarta distinctio est in Ens complexum & incomplexũ. Complexum est, quod repræsentat conceptus plures, incomplexum unicum repræsentat conceptum.

Quædam dicuntur κατὰ συμπλοκήν, quædam ἄνευ συμπλοκῆς. *Illa* dividuntur iterum. Complexum enim est vel *aggregationis*, dicunt *Physicum*, quod concretè existit, vel *enunciationis*, dicunt *Logicum*, quod duobus constat conceptibus. Quanquam complexum in Logicis duobus sumatur, modis 1. *Generaliter* pro quâvis combinatione plurium rerum aut conceptuum sive ea fiat per modum

Complexũ.

dum Enunciationis, sive non, qualis complexio etiam in primâ mentis operatione datur, ut in *orationibus imperfectis, definitionibus &c.* 2. *Specialiter* pro complexione, quæ in secundâ & tertiâ mentis operatione reperitur. *Hæc* dicitur complexio *voce & re simul. Ista* verò complexio etiam potest esse quo ad *vocem tantùm*, ut *corpus animatum* sentiens, i. e. *animal. Complexum aggregationis* est per *accidens*, quod dicitur illud, quod non est unum unione essentiali: An accuratè satis? erit circa *doctrinam unius* dispiciendum. *Hic* notandum *Ens* per *accidens* dici 1. in *ratione causæ*, ut *effectus casualis & fortuitus.* 2. Ratione *inhæsionis* & inexistentiæ, vel adhærentiæ, quod contingenter inest tanquam extraneum, vel adhæret per accidens, ut *homo per accidens est Philosophus, aqua per accidens est in vase &c.* Verbo: quod τυχόντως rei tribuitur vel propter quandam συνδύασιν, vel propter aliam quandam habitudinem. *Prius* ita dicitur accidentalitate τῆς αἰτίας vel *causalitatis. Posterius* accidentalitate τῆς κατηγορίας seu *prædicationis.* Hic Ens per accidens dicitur ratione συνθέσεως seu *aggregationis*, quod *definitur*, quod in

Ens per accidens.

suâ essentiâ habet aliquid extraneum, & ad certam Caregoriam referri nequit. Estq; tale vel per *concretionem*, ut accidentis cum subjecto, vel per *aggregationem* sive *ordinatam*, sive *inordinatam*, ut Philosophia, Respub. acervus tritici, vel lapidum: opponitur ei *per se esse*, quod ita dicitur vel ratione *agentis*, quod juxta ejus intentionem & virtutem fit, vel in *ratione Entis*, sive quod *solitarium* est, & sine alio fit, sive quod *ultimam* habet *actualitatem*, sive quod *vi suæ naturæ* non habet esse essentialiter ab alio participatum, sive quod *rem unam* dicit, cui contradistinguitur id, quod non est unum, nisi per accidens. *Incomplexum* inde constat, quod scilicet sit id, quod unum repræsentat conceptum, idq; *vel ἁπλῶς* tale, quod omnem excludit compositionem, ut *transcendentia* sunt; *vel κατὰ τι* quod in suo genere compositionem certam excludendo, scilicet cum extraneo quodam, vel etiam complexionem respuendo suam obtinet simplicitatem, & in certâ Categoriâ locari potest, ut omnes *conceptus prædicamentales*.

Ens per se.

Incomplexum.

Ποεί-

Πορίσματα.

I. Qvicqvid Ens dicitur, id habitudinem quandam ad Ens verum obtinere debet. *Fundam. denomin. Entis.*

Necessum enim est, ut *fundamentum* denominationis æquivocæ saltem non omninò nullum sit. Ita quæ Entis nomine veniunt ad Ens verè dictum *proportionalitatem & comparationem* quandam ad minimum habere debent. V. c. *privationes & negationes* ratione veræ attributionis Entia dicuntur: *Entia rationis* sunt quædam Entium realium quasi simiæ: Ea, quæ *in potentiâ* sunt, vera Entia aliquando evadere possunt. Deniq; *Entia per accidens* reduci queunt suo modo ad Ens per se.

II. Æqvivoca Entis denominatio non est realis Entis participatio. *Æquivoca denotatio.*

Homonyma enim saltem participant *nominis* communitate, non verò *rei* quidditate, undè constat non posse dari quandam abstractam & communem rationem Entis, respectu eorum, quæ nomine Entis veniunt, & cum ijsdem verum esse

atq; reale tribuitur, id non nisi per æquivocationem & ἀκυρολογίαν fieri intelligendum est: Eò, quod *diminutivè* saltem sint Entia, propriè verò loquendo sunt non Entia.

Prima contradictio.

III. Ens & non Ens important primam contradictionem.

Esse enim & *non esse* est manifestissima contradictio: in cujus vi suum habent vigorem omnes contradictiones. Unde patet: quod *inter Ens & non Ens nullum* detur *medium*. Contradictio enim infert immediationem.

Ens & non Ens infin. distant.

IV. Inter Ens & Non-Ens est infinita distantia.

Non *positivè* ob infinitatem alterius extremi sed *negativè*, ob immediatam oppositionem, & negationem omnis convenientiæ. In nullo enim conveniunt Ens & non Ens. Mera est insciti a ad *conceptum* quendam *communem* revocare Ens & non Ens: Vel *operationi Logicæ* utrumq; substernere, quorum alterum *Timplerus*, alterum è *Ramæis* nonnulli tentarunt: Utriq; in prima impingentes principia.

5. Non

V. Non Entis nulla sunt accidentia. *Non Entis nulla accidentia.*

1. Ejus quod verè & *planè* non Ens est, & *sub istâ ratione*, Distinguendum enim inter non *Ens simpliciter*, & non Ens *secundum quid*. Ad *hoc* refer Entia *futura, præscita, privantia &c.* quæ uti *secundum* quid sunt, ita secundum quid habent accidentia. Ita *Resurrectio mortuorum, fides præscita, mors &c.* sua habent attributa, eò quod secundum quid sint. Unde Sophisticæ *Calvinian.* quâ concludunt: *fidem non esse causam electionis, quia ab æterno non fuerit*; occurrendum; distinguendo inter fidei *actum*, & *intuitum*. Vel inter esse *actuale*, & *cognitum*. Nam etiam ejus, quod in esse cognito saltim est, tunc quoq; cum nondum actu est aliquod esse potest attributum ratione scilicet *cognitionis*, aut prævisionis. Ut *quod ab æterno homines dilecti fuerint*, licet esse ab æterno non habuerint &c.

2. Non Entis nulla sunt accidentia *intrinsecè denominantia*, ut si *purgatorium* non est, *neq; calidum est, neq; frigidum*. Possunt tamen ei tribui *accidentia denominantia extrinsecè*, ab actu scilicet intelle-

intellectus, phantasiæ, aut *appetitus*. Hæ facultates possunt exercere actus suos etiam circà res non existentes. Cognosci potest ab intellectu & per imaginationem, & amari ab appetitu etiam id, quod non existit. Alia ratio est *sensuum exteriorum*: qui requirunt objecta actu existentia, & præsentia, *Alij* distinguunt inter *accidentia realia & intentionalia*. Ita *finis* cum nondum est movet *intentionaliter*. Et inter accidentia *vera* vel *ficta*. Ita cum ab accidentibus describitur *Chymæra*, *Regia Solis*, *purgatorium*. Ubi *talia sunt attributa, quale subjectum*, id est, merè fictitia.

Non Entis nulla scientia.

VI. Non Entis nulla est scientia.

1. *De non Ente per complexionem sive de propositione falsâ, ut & de non Ente simpliciter, scilicet cognitio* 2. *Positiva, affirmans, & per se directa. Dari tamen potest falsæ propositionis, & non Entis cognitio privativa, destruens, Vel per accidens & indirecta. Ita in Physicis destruitur Vacuum & infinitum, in Theologicis absolutum electionis decretum &c. Et indirectè saltim Ens negativum cognoscitur, negatione Essentiæ positivæ.*

7. Quod

VII. Quod non est, perire non potest. *Quod non est perire non potest.*

Scilicet ut *desinat esse*: Implicat enim non Ens desinere esse: perire tamen potest id, quod potentiâ est, ut *non adsequatur esse*, vel *simpliciter*, vel *secundum quid*, tale vel tale esse, ita *excisâ arbore fructus omnis* etiam qui actu non est, *perire* dicitur. Similiter *reus criminis læsæ Majestatis*, &se, & totam posteritatem, ut ut nondum, sit in rerum naturâ, perdere judicatur. Quin & aliorum delictorum majorum participes fieri posteros *Scriptura* dicit, quamvis actu non sint. Et verè asserunt *Theologi totum* genus *humanum in Adamo ceu stirpe periisse*, licet nondum fuerit. Perijt non quod actu *habuit*, amittendo, sed quod *habere potuit* & *debuit*, deperdendo. Perijt non *actuali interitu*, sed certissimo *interitus reatu*. Perijt non *essentialiter*, ut amplius non sit, vel ut nunquam esse ceperit Adami posteritas, sed *accidentaliter*, ut primigeniâ sanctitate & justitiâ, quæ ipsi destinabatur & debebatur, jam cum actu est, naturaliter dotata non sit. Unde in fumum abit *Socini* ratiuncula, *genus humanũ in Adamo haudquaquam periisse*, quia tum verè non fuit.

Privatio præsupponit habitum.

VIII. Privatio præsupponit habitum.

Affine est præcedenti: & verificatur de *privatione subsequente* vel *Logicâ* non *antecedente* vel *Physicâ*. Præsupponit autem habitum vel de *facto*, ut in subjecto fuerit, vel *de jure*, ut inesse debuerit. Dicitur enim privari formâ vel Entitate, etiam id quod aptum saltem est habere eam formam, & non habet: sic hominem vocamus *Cæcum* etiam, qui visum nunquam habuit, sed inde usq; à nativitate cœcus fuit. Ita *peccatū originis* in nobis est privatio justitiæ originalis in esse debitæ, quanquam nemo nostrum à lapsu eâdem præditus fuerit. E quo lucem accipit illud; *cui denegatur habitus* (scilicet ratione convenientiæ non semper ratione *realis inhærentiæ*) *illi nec privatio convenire potest.*

A privatione ad habitum negatur regressus.

IX. A privatione ad habitum non datur regressus.

ὅτι τῆς φθορᾶς καὶ τῆς γενέσεως ἀδύνατον εἰς ἄλληλα μεταβολὴν γενέσθαι. l. cat. c. 10. § 20. Verum est de *habitu eodem numero*, ad quem non datur regressus *ordine naturali*, quamvis dari possit *virtute primi agentis* & mo-

& modo *supernaturali*, ut *resurrectio mortuorum* docet. Nulla enim est contradictio corpus, quod periit, idem numero redire. Termini isti non tollunt sese mutuò, *interire & de novo redire*, idq; salvâ *identitate numericâ*. Cum neq; per obitum corpora simpliciter annihilentur, neq; per reditum nova creentur. Sane naturæ decretum est, *quod semel interijt idem numero nunquam redit* quia rationi videtur *κὰ ἀφανὲς*. Verum *Deus etiam impossibilia naturæ facere potest*, quod vel *Plato* agnovit teste *Augustino l. 2. de civit. Dei c. 26*. Quod *habitum eundem specie* attinet, certum est quod & *naturæ ordine* reduci possit, ideoque datur ad eum regressus *naturaliter à privatione partiali*, quæ *actum* tollit, *potentiam* relinquit, ut *à somno ad vigiliam, à nocte ad diem*; quamvis non detur naturâ regressus à *privatione totali*, quæ & *potentiam* tollit: sublatâ enim pollentiâ ad actum reditus non datur, nisi virtute ejus, qui restituere potest *potentiam*, & consequenter largiri actum. Ejusmodi igitur regressus non est *immediatus*, sed *mediatus*, non *physicus*, sed *hyperphysicus*, ut à *cæcitate ad visum &c.*

Non est contradictio, corpus idem numero redire.

10. Pri-

Privatio est malefica.

X. Privatio est malefica. Sive conjuncta cum corruptione subjecti.

Intellige de *privatione propriè* dictâ, quæ est perfectionis naturâ debitæ & intrinsecæ; quâ sublatâ vel deficiente fieri non potest, quin aliqua subjecto inferatur violentia. *Vera* enim privatio vel *præter*, vel *contra* naturam rei est, cum dicat carentiam ejus, quod per naturam inest. Quæ verò privationes nihil immutant in re, sed adventitij saltem & extrinseci alicujus absentiam dicunt, *impropriè* sunt privationes. E quo patet *peccatum originis*, si tantùm est *doni supernaturalis & extrinseci* defectus, justitiæ puta originalis, quam *Scholastici* isto titulo insigniunt; esse privationem improprijssimè dictam: aut si propriè dicta privatio sit, uti omninò est, necessariò importare læsionem facultatum & virium naturalium intrinsecam, non sine violentiâ. Quo sensu Orthodoxi dicunt, quod non sit nuda στέρησις *boni*, sed & θέσις *mali*. Intellige non *formaliter*, in quantum est carentia perfectionis, sed *materialiter*, in quantum cum naturalis per-

perfectionis carentiâ conjuncta est insignis *subjecti animæ rationalis*, quâ omnes facultates corruptio & depravatio.

XI. Privationis nulla est efficacia.

Privationis nulla efficacia.

Πᾶσα στέρησις ἀργὸν ἐστὶ καὶ ἄπρακτον, *omnis privatio est aliquid otiosum & ineffi-cax*, effatum est Plutarchi l. de *primo frigido*: quod ita intellige, à *privatione* quâ *tali* non *manat effectus positivus*, cum effectus non possit excedere virtutem causæ; potest tamen privationi adscribi actus sub *aliâ ratione*, puta, vel *consecutivè*, ut *unius corruptio dicitur alterius generatio*: *vel occasionaliter*, *ut interitus Reipub. occasionem* præbet medelis. 2. Distingue inter privationem *simplicem* & *habitualem*: *Illa* nudam caventiam dicit, *hæc* subinfert habitum corruptum, ut *peccatum Originis*, quod per *concupiscentiam habitualem* describitur, efficax est in membris nostris ad pariendos malos fructus. 3. Defectus sequi potest *privationem*, si non *effectus*, ut *morbus* consequitur *jejunium*. 4. Imò & *effectus causalitate morali*, si non *naturali*, ut mors *Christi causa meritoria salutis*

salutis dicitur, quanquam non sit mera privatio, sed totam obedientiam Christi complectatur & eminenti modo ad salutem nostram destinatione divina concurrat, quo de *Theologi*.

XII. Omne ens reale est in naturâ.

Eo enim ab ente rationis distinguitur; inde colligitur, quod in natura non est, id ens reale dici non posse. Ita rosa in hyeme non est in natura, adeoq; reale quid non est; In natura verò esse dicitur omne, quod extrà nihilum constituitur, & persistit in hac universitate. Concludeinde purgatorium non esse reale quid, sed rationis otiosæ figmentum, quia uspiam esse in rerum universitate unde probabitur?

Esse objectivum non est esse reale.

XII. Quod habet esse objectivum, id esse reale non habet.

Intellige de eo, quod esse diminutum habet & *possibile*, seu in idea, ut & de eo, quod esse verum *significat*, & ut umbra præfigurat; ita absurdi sunt, qui vel *corpus Christi realiter præsens*, comminiscuntur *in V.T.* quod sub esse objectivo

ctivo tum fuit (si enim realiter, necessum est, ut adfuerit alijs verè, antequam ipsum verè fuit, vel ut fuerit verè, antequam actum essendi habuerit, & è causis emerserit) vel in *genere* ea, quæ *fidei præsentia sunt intentionaliter*, fingunt *præsentia realiter*, & quæ per repræsentationem ac significationem præstò esse dicuntur *æquivocè*, eadem verè & *realiter* adesse non verentur adserere: quæ ego quidem tum vera credam, quum *umbram corpus, intentionalia realia, ficta vera esse* demonstraverint.

XIV. Enti in potentiâ non repugnat tribuere prædicata realia. *Enti in potentiâ prædicata realia.*

Hæc enim *veritatem* saltem *attributionis* poscunt, non verò *essendi actualitatem* inferunt. Hinc *essentialia* attributa competunt enti præscindendo ab *actu & potentiâ*; imò & quæ certo sunt consecutura rem, quando *actuale esse* nanciscetur, vendicari ipsi solent etiam sub esse *possibili* considerato; ita *agnus dicitur occisus ab origine mundi* ob *certitudinem*, quanquam idem quoq; intelligendum sit de *efficaciæ vigore &c*:

15. En-

Entis per accidens nulla est scientia.

XV. Entis per accidens nulla est scientia.

Id est: quæ τυχόντως *fiunt* ratione *causæ*, sub scientiam non cadunt. Ut *casualia* & *fortuita* hæc vel illa in *exercitio*. Scire enim est rem per causam cognoscere. At quæ τυχόντως *prædicantur* ratione *subjecti*, non excluduntur à scientiis. ut *attributa accidentalia*. præsertim ea quæ *per accidens* quidem vel παρωνύμως de subjecto dicuntur, at necessario. qualia nonnullis censentur *propria*: deniq; quæ existũt per *accidens*, ratione συνθέσεως, dehis scientia datur cum *signatè*, idq; *indirectè* saltim, ut h. l. tùm *exercitè*, *partim* in quantum revocantur ad Ens per se: *partim* quâ sub istâ concretione considerantur, ubi evadunt *objecta sublaternatarum scientiarum*; Ita *Musica numerum sonorum*, Optica *lineam visivam*, *Statica corpus ponderosum sibi vendicat*. Cæteroquin cum sese *offerunt in disciplinis Entia per accidens*, *ut concreta*, *& per aggregationem*, *ea sunt resolvenda in conceptus*, *e quibus constant*, *atque ita cognoscenda*.

Subsectio II.

Objecti designatio.

Disp. IV. Publica. Respond. Gosvvino Mollero, Susatensi VVestph.

Restat ut definiamus, quâ ratione *hic sumatur ENS, cujus* Descriptio & Attributa *deinceps investiganda. Neq; enim abstractam Entis rationem sistere, neq; Affectionum considerationem expedire licebit accuratè, nisi dimissis aquivocis & constituta adæquatâ significatione, quâ de aget sequens*

CAPUT V.

Adæquata Entis constitutio.

Per ἀφαιρεσιν procedimus at θεσιν, at paucissimis.

I. Ens, ut Objectum Metaphysicæ, nequit in eâ generalitate accipi, qua ad privationes, negationes, Entia rationis, in potentiâ & complexa sese extendit.

ἀφαιρεσις Removens generalissimè acceptionem

Patet 1. ex *objecti naturâ*: quæ est communis conceptus realiter & verè participatus ab his quæ sub sese complectitur. Atqui non licet à prædictis communem

Probatur in genere, 1. Ex objecti natura.

munem quendam *conceptum* abstrahere: Quum non accedant ad Entitatem, sed ab ea potius recedant: Non *verè* Entia sint, sed vere entitatem *negent*: vel *fingant*, vel nondum habeant, sed habere saltem *possint &c.* Non possunt sub unam formalem rationem redigi cum *Ente positivo, reali, actuali, incomplexo*, cum ista latissima significatio menti nostræ nil certi sistat: sed potius hinc inde eam distrahat. *II. Ex affectionum Transcendentium considerátione*; ipsæ enim tales sunt ut neutiquam patiantur reduci ad ejusmodi objectum. At vero *objectum sequitur indolem affectionum*: *& attributa non contradicunt objecto, sed idem afficiunt.* Videsis autem, num Entia *negativa perfecta* sint? vel *privationes bonæ?* num *Entia rationis ficta* sint *vera?* *num ea quæ* in potentia *sunt causæ*, vel *causati nomine* venire queant? num deniq; *Entia complexa unitatem* obtineant? *III. E. modis quasi contrahentibus*: Nam objectum exhauriri debet ab ijs, quæ objectum contrahunt. At vero *Substantia & Accidens* non exhauriunt eam latitudinem Entis quâ generalissimè patet, uti dictum. *Privationes* enim ad quam classem referentur *& negationes:*

2. *Ex affection. transcend.*

3. *E modis contrahentibus.*

tiones: *Subjectum inhæsionis* non habent, licet *attributionis subjectum* ijs non denegetur. Quorsum *Entia rationis* spectabunt? Sanè non sunt ea nisi *intra intellectum*, non tamen *subjectivè* sunt in intellectu. Nullum ergo *subjectum* proprie habent. Quid vero de *Ente in potentia*? num *substantia erit*? atq; ita per se *subsistet*; persistet ergo in natura, quod ἀνυφαπκον: an dicendum quod *inexistat*: Verumenimverò inexistentia subinfert existentiam, quæ de Ente in potentia dici nequit. Remanet proinde, quod neq; possit., neq; debeat objectum Metaphysicæ sub ista generalitate accipi. Quod constat ulterius *in specie* considerando *singula*, quæ Entis nomine veniunt in ista latitudine. Dispaleſcit enim quod non nisi solo nomine Entia dicantur. Rationem vero essentiæ haud participent. *Negativum* enim essentiam tollit & negat, & in infinitum distat ab Ente, estq; planè non Ens. *Privatio* vero *formaliter* dicit carentiam essentiæ, ideoq; essentiæ importat defectum, quanquam ratione *subjecti & materialiter* connotet aptitudinem recipiendi: quæ tamen non facit ut privatio, verè sit Ens. Rationis figmen-

Probatur in specie.

Negativum

Privatio.

Entia rationis.

figmenta & intentiones secundæ essentiam verè non habent, sed habere saltem concipiuntur. Ideo enim sunt *rationis* Entia.

Ens in potentia. Idem statuendum de *Ente in potentia*, Nam id *in se* realitatem nullam habet, quam vero dicitur habere in *causis suis*, ea non constituit Ens in potentia *intrinsecè*, Causæ enim sunt Externæ. At omne quod est *intrinsece, & essentialiter* esse *suum habet* Et unumquodq; propriam habet essentiam, per quam est id, quod est. Quodnam vero est illud *esse proprium*, quod *Ens in potentia* habet? Remove causæ virtutem, Ens in potentia quid in sese erit? Præterea: *Realitas* quam habet *Agens*, ut producat id quod ab ipso fieri potest: est virtus atq; facultas ipsius *agentis*, non vero est realitas ejus quod fieri potest. Ideoque non absolvit *Ens per se*; nedum constituit Ens *potentionale*. A facultate agendi denominatur id quod agere potest, non quod possibile est. V.C, *Facultas gignendi* est propria ejus, quod actu est: qua denominatur posse gignere, estq; in eo *Accidens* [*naturali exemplo* rem declaro] τὸ posse gigni vel per generationem produci est ejus, quod in potentia esse dicitur nihilq; realitatis ponit.

An di-

An dicendum quod τὸ generabile habeat entitatem suam per realitatem & virtutem generationis. Id *quod* non est *actu* constituetur intrinsecè per *id quod actu est! Accidens* in actu erit *realitas substantiæ* in potentia? Ulterius possibilitas per *denominationem tantum extrinsecam* ab agente & *non repugnantiâ* ex parte rei possibilis eidem competit, ideoq; veram Entitatem in ea non ponunt, quod communiter contra *realitatem potentiæ objectivæ* sive *Scotisticæ* sive *fictitiæ* urgent *Metaphysici.* Si itaq; potentia ea non est realis, qui poterit, id quod potentiâ est reale esse? Uti enim *ab actu* vel *actualitate dicitur quid esse actu, ita à potentia dicitur esse in potentiâ.* Nam τὸ *esse in potentia* est denominatio ejus quod nondum existit, sed potentiam habet objectivam seu non repugnantiæ ad existendum. Quanquam alias non displiceat distinctio *Hurtadi,* qua *aliud esse dicit* rem *habere potentiam ad existendum, aliud esse in potentia ad id.* Intelligit enim *prius* de re existente quæ exercet potentiam: quippe quæ non destruitur sed perficitur per actum: *posterius* vero sumit cum aptitudine ad existendum & carentia existendi. Cæterum *potentiam*

Possibile dicitur per denominat. intrinsec.

Dist. habere potentiæ ad existendum & esse in potentia.

tentiam objectivam habere ad existendum idem est, quod esse in potentia. *Illa ergò* quum sit non Ens, & *hoc* non Ens erit. A *non Ente* enim *nequit denominari id quod vere est Ens.* Verè proinde *Dn. Scharff. disput. 9. Th. 30. th. transc. Ens in potentia est quod nondum verè est* sed *esse potest. Et thesi 11. Actus est affectio Entis quâ denominatur esse actu* quod sc. *sit extra nihilum & revera existat extra causas:* Unde quivis colligere potest quod actu non est, id non esse extra nihilum adeoq; potentiam eam non esse affectionem Entis, & hoc est, quod *Dn. Gutkius* dicat *th. 36. contempl. Metaph 11. potentiam* (quæ *Actui Entitativo* opponitur) *esse nudam potentiam objectivam, quæ dicitur nudus terminus actionis in virtute agentis, licet illi tribuatur quod in se ipso nihil est.* Et ulterius: *Omne* Ens *est actus Entitativus & positum extra nihil.* Unde recte colligit *Potentiam Scoti imaginariam non esse Entis affectionem. De Ente vero in potentia* dicit, dubitari *adhuc posse, an ullum detur* Ens, quod *saltem sit potentia?* imo vero quod non amplius sit dubitandum; Ens in potentia vere esse non Ens, vel ea quæ dicta sunt persuadent. Unicum addo: *Esse in potentia* dicitur

Ens in potētia quotuplex.

tum

tùm ratione *creationis*, tùm *generationis*, tùm *emanationis*, tùm *effectionis*. Ratione *creationis* quod è nihilo produci potest ut *creaturæ* antequam essent. Quas ante creationem nihil fuisse constat. Nam alias non essent creatæ, sed ex uno esse transmutatæ in aliud esse, vel *ex esse essentiæ reali traductæ ad esse existentiæ reale*. Creatio enim est Entis è nihilo productio: vel ejus *quod non est vocatio, ut sit*. Quod vero jam ante realitatem habet, antequam creatur, id non est nihilum. Ratione *generationis* possibile dicitur quod generari potest: Id vero ante generationē esse non habet, quamvis causæ sint dispositæ ad generandum. Effectus enim non sequitur ad causas licet maxime dispositas nisi in actu sint positæ. Actu vero generationis posito non amplius est nuda ista potentia. Ratione *emanationis* dici queunt possibilia *Accidentia* & proprietates vel actus immanentes, quos esse antequam emanent, & accipiant esse æque absurde dicitur ac quippiam *prius vere esse* (de ijs quæ fieri possint) *antequam fiant*. Ratione *effectionis* possibilia dicuntur omnia factibilia. Quæ si verè sint antequam producantur,

Ratione creationis.

Creaturæ nihil sunt ante creationem.

Ratione generationis.

Ratione emanationis.

Ratione effectionis.

& esse *reale* obtinaent *in causis suis* (vel virtute, atq; habitu ποιητικῶ) non est quod artifices vel manum operi admoveant aut quicquam laborent. Sed de his satis. Deniq; τὸ complexum & per *accidens* non tam *Ens* dicit, *quàm Entia*, uti, ergo non participat *unitatem* nisi *æquivocè* saltem, ita nec *Entitatem*.

Ὅρος adæquata acceptio.

II. Ens, quod hîc considerandum, est Ens positivum, reale, actuale, incomplexum.

Hoc è *præcedenti* relinquitur *theoremate*. Remotis enim ijs quæ *verè* non *sunt Entia*, linquuntur ea quæ verè *sunt Entia*. *Ista* ergo dimittenda erunt: quum saltem *indirectè* considerata fuerint ob *adæquatam* objecti constitutionem. *Hæc* vero remanent. Atq; ita *conceptus communis* erit, abstrahendus ab his saltem, quæ esse *positivum reale actuale &c.* habent, & per consequens etiam eorum *attributa* tantum indaganda veniunt, quæ sc. ijs omnibus transcendentaliter conveniant; Et confirmatur: quod nullus detur realis conceptus *communior* abstractus ab his quæ verè sunt in quantum sunt, quæ adæquari possunt nostræ disciplinæ. Atq;

ita

ita constat, *Ens quantum Ens*, quousque sese extendat & quam ample pateat.

Προβλήματα.

I. Quod non per se est Ens id non est intelligibile per se. *Quod non per se est, id neq; intelligitur per se.*

ὡς γὰρ ἕκαστον ἔχει τὸ εἶναι οὕτω καὶ τῆς γνώσεως 2. Met. c. 11. Quicquid ergò non *per se* se κατ' αὐτο Ens est, sed tantum per habitudinem ad Ens, seu κατ' ἄλλο, *id* per se quoq; non debet cognosci, quia non potest. Unde patet quare de *negationibus, Entibus rationis, complexis, potentialibus in Metaph. directe* & per *se non* agatur.

II. Quæ æquivoce saltem esse dicuntur, ea non nisi æquivocè ab affectionibus transcendentibus denominantur. *Æquivocè Esse æquivocè participat affection.*

Quale enim *Subjectum, talia attributa.* Ita *negationibus* & *privationibus* nequit tribui *bonitas* vel *perfectio*, nisi per meram *æquivocationem.* Hinc *actus vitiosi*, quia *formaliter* sunt ἀνομία *bonitate transcendentali* non gaudent, neq; *causam efficientem* agnoscunt, *sed deficientem, neque finis* rationem habent, sed à *fine* exor-

bitant &c. Ita *Notionibus secundis causæ* assignantur per *proportionalitatem*, ut & *figmentis rationis affectiones* tribui solent. *Entia in potentia* qua talia ut non habent *Entitatem* ita nec participant *ea quæ Enti per se insunt*. Proinde *absurdè per fidem potentionalem salvari infantes asserunt Reformatorum* nonnulli, ne opus habeant ipsis actualem fidem, quam ratio nullatenus percipit, tribuere. Scilicet *fides in potentia* quæ tamen verè non Ens, erit *organum apprehendens salutem*: Id quod *actu non est*, actu apprehendet: eritq; *causa justificationis actualis*: vel si id nolunt: apprehendet saltem *potentiâ* adeoq; *infantes salvabuntur tantum potentia* Similiter quæcunq; *affectiones* fuerint attributæ *Entibus complexis* & *per accidens*: *æquivoce* saltem ipsis tributæ censeantur sc. qua talibus: nam prout revocantur ad unitatem, Entitatem habere intelliguntur, adeoq; & eâ quæ Entitatē consequuntur, ut *Ecclesia est unum per aggregationem unione mystica spirituali*, sub quâ consideratur, & *sancta, catholica &c.* dicitur: Et sic in alijs.

De fide in potentia non fide.

3 Modi

III. Modi Entis expressiores non attinent ea, quæ æquivocè dicuntur Entia.

Ens æquivocè dictũ non habet modos.

Causa est in promptu: quia isti repræsentant Ens, quâ est *objectum Metaphysicæ* non quâ generalissimè sumitur, ut etiam complectatur ea quæ vere non sunt. Ita *privationes* non dicuntur proprie inhærere (cum *inexistentia* ejus saltem sit, quod *positivum* esse obtinet) nedum per se subsistere; Unde absonũ planè *peccatum Originis substantiam* indigitare, cum ne quidem *Accidentis* (in *rigore positivi* sc. & *veri*, quod ab *affectionibus transcendentibus bonitate, perfectione*, &c. denominetur) *formalem rationem* participet, sed potius è censu *privationum* sit. Similiter cum *carnem Christi realiter præsentem* & *actu reali exhibitam dicunt Patribus in V. T dipnosophistæ*: mera est ὁμωνυμία & *indigna* divinis mysterijs *sophisticatio* Quæ enim *subsistentia realis*? quæ realis *exhibitio* ejus quod nondum *realiter* est? Quia *caro Christi in V. T. actu reali nondum fuit. Quicquid autem actu reali nondum est, id nec actu reali exhiberi, nec actu reali præsens esse potest: nisi quis non Entis*

Caro Christi in V. T. non fuit præsens.

tis realia Accidentia (NB. realia non intentionalia, quæ duo in hac quæstione Calviniani confundunt, quod notari velim) & sic accidens sine subjecto absurde ac per implicationem contradictionis statuere velit; verba sunt magni Theologi & Philosophi Dn. D. Gravveri in absurdis cap. 3. §. 36. atq; ita de cæteris Entibus rationis per Accidens, possibilibus: quæ cum non sint vere Entia accuratè loquendo neq; substantiæ sunt, neq; Accidentia, & proinde ipsis subsistentia & in existentia tantum per proportionem tribuitur. Sic potentia Objectiva neq; per se subsistit quod imperfectissimo modo esse dicatur: neq; inhæret propriè: ita enim foret potentia subjectiva &c.

Potentia nomen imperfectionis.

IV. Potentia est nomen imperfectionis.

De potentiâ objectivâ intellige quæ negat actum existendi, ut enim existentia est perfectio, ita ejus carentia est imperfectio. E quo consequitur potentiam objectivam DEO non esse tribuendam ullo modo, cum DEO simpliciter, repugnet hæc imperfectio actus essendi carentia. Deus enim possibilis est non Deus. Colliges exinde ulterius quum potentia generandi patri tribui-

Potentia objectiva Deo repugnat.

tribuitur & τὸ *posse gigni Filio in divinis* non esse concipiendam *potentiam* istam *imaginariam objectivam* quæ actum excludit, quasi *sub esse possibili fuerit* DEI *Filius & Pater* obtinuerit prius *potentiam* antequam eam *in actum* deduxerit: Longissimè alienæ sint hæ imperfectiones ab *actu purissimo*: sed *potentiam* debere concipi *summè actualem*, idq; per ἀναλογίαν modo *eminentissimo* & huic mysterio convenienti, quod accuratè tenendum ne vel *scholasticorum speculationibus* indulgendo, vel *Photinianorum sophisticationibus* quicquam concedendo, à simplicitate fidei abducamur & ad errorum *avia* abripiamur, sed ea ὡς ἐν παρόδῳ.

Quomodo Deo possit tribui potentia.

ARTICULUS SECUNDUS
Entis Contemplatio

A Præcognitione *seu diligenti* Nominis explicatione & adæquata *Entis* constitutione provehimur *in* rei Definitionem seu ipsam *Entis* contemplationem. Eo enim *omnia collimarunt, quæcunq; hactenus dicta.*

Ex iis autem poterit Entis Θεωρία πραγματώδης lineolis brevioribus ubi prolixis *Scholasticorum* disputationibus de *conceptu formali, Objectivo. Statu Entis fundamentali, Ideali, Universali, Univocatione;*

tione, Analogia, Æquivocatione &c. dimissis, intra cancellos στοιχειώσεως nos continuerimus; ἃ δεῖ πᾶν λαμβάνειν καθόλου, ἀλλὰ τὸ χρήσιμον. Imò verò prædictæ concertationes, pleræq; non tam concernunt τὸ ὂν ἢ ὄν, quam τὸ γνωστὸν ἢ γνωστόν. Cum *omne scibile* esse *objectivum* habeat, *conceptu formali* repræsentetur, & *Univocum* vel *Analogũ* denominetur &c. Ideoq; huc spectant saltim *exercitè* quæ de *Conceptu atq; statu Entis* inquiritur.

Chrysostomus.

Quæcunq; ergo hic considerari debent ad descriptionem Entis *revocari possunt Quo etiam refero* conceptum Entis qualiter sese intellectui *sistat videl.* absolutè & *in* præcisione *prout est abstractus ab omnibus; nondum vero* relate & *sub* expressiori ratione, *prout jam reperitur in* immediatè inferioribus. *Hic enim respectus, quem ad* inferiora *obtinet, melius explicabitur in* Parte Speciali, Hèic in abstractâ ratione *persistemus.*

CAPUT VI.

Descriptio Entis

Definiri *Ens non potest, quia contradictionem implicat,* Universalissimum *esse.* & *vel aliquid* supra se *Generalius vel* juxta se *æquale agnoscere.* Describi *tamen debet, idq; tum per* relationem *ad mentem* nostram, *prout abstracte consideratur, tum pro* ratione existendi, in *quantum in natura ponitur.*

1. Ens

I. Ens est generalissimum illud quod ceu notissimum omnium primò cognoscitur. *Descriptio Entis relativa.*

Quum Ens spectamus in *relatione* ad omnia quæcunq; sunt in quantum menti obijciuntur *duo* distincta sese offerunt in *advertentia mentis nostræ*, quibus *conceptus iste* Entis & *constituitur* & ab alijs *distinguitur*; *Materiale* quod ipsum Ens quidem *constituit* in ipsa mentis relatione sed ita ut adhuc *latius* sit qua conceptum nostrum. Estq; τὸ generalissimum. Nam vere dicitur de Ente quod sit *conceptus generalissimus* cum omnia quæcunq; extra nihil constituta sunt, Entia sint. At v. non reciprocatur cum Ente, quia & affectiones Entis *genera-* *lissimæ* sunt. Nam æq; *latè* patent cum Ente: additur ergò *formale*, quod in ista mentis advertentia Ens non modo *constituit* sed & ab affectionibus generalissimis *distinguit*; adeoq; cum Ente *convertitur*; τὸ *primum cognitum esse*. Nam Ens primò cognitum est, quà *cognitionem Intellectualem eamq; actualem* & *primigeniam* vel *originalem* non distinctam illam & accuratam sed *confusam*, & *exotericam*. *Duo concipiuntur in Ente.* *Materiale.* *Ens est conceptus generalissimus.* *Quomodo Ens sit primò cognitum.*

Quod

Quod intelligendum de *Ente* in quantum *in singularibus* radicatur *Singularizatum* vocant. *Hoc est*, Res singularis quæcunq; oblata ad cognoscendum, quum antehac nunquam cognita, ante omnia actu sistit sese menti nostræ, sub *Entis notione* saltim *confuse*: ut primo cognoscam Ens esse, quod objicitur. Hæc enim Intellectus nostri *indoles* est ut in cognitione rerum ordiatur à communissimis, & ita consequenter ad adæquatam rerum notionem descendat. Est Intellectus noster agens *naturale*, quod dum à potentia procedit in actum ab *imperfectiori tendit ad perfectius*; At *imperfectissimus* omnium est *Conceptus Entis* is itaq; primum actuat & terminat mentem nostram cæteri vero qui expressius rem dicunt, ejusq, esse sistunt perfectius, posteriori loco demum cognoscunrur, Idq; adeo manifestum est, ut vel *infantes* redarguere possint cõtradicentes. Hi enim cum nihil aliud de objecto oblato cognoscunt, illud certè, non ignorant, quod sit *Ens* vel *Res* aut *aliquid* ideoq; communissimum huncce conceptum omnibus tribuere solent quamvis rem hanc vel istã qua conceptus *propiores* & *specialiores*

nun-

nunquam cognoscant. Nullum ergo dubium quin Ens sit primo cognitum; & per hoc restringitur quasi *communitas materialis* scil. τὸ *generalissimi* ad solum *Entis conceptum*, & ab *affectionibus* distinguitur. Nam *affectiones* non cognoscuntur, *primò* ab intellectu, sed demum *consequuntur* primum & summum conceptum. Hinc exurgit *convertibilitas* ratione *essentiæ*, quod nulli præter conceptum Entis τὸ *primum cognitum tribui* possit. E quo constat, quæ sit *conceptus* hujus *ratio*. Distinctè de hoc loquamur. *Conceptus* ut è *Gnostologiâ* constat, alius *formalis* est, *Objectivus* alius. *Formalis* conceptus Entis, est species intelligibilis sistens intellectui immediatè & adæquatè Objectum istud communissimum in actuali ejusdem perceptione; vel est species quâ Ens idealiter præsens menti sistitur. Quem dicimus esse *re unum* non saltem *nomine*, essèq; ab inferioribus *præcisum*, *non ratione tantum*, sed *realiter*. *Unus re* est, quia singularis est & individuus, uti quævis species repræsentativa, cujus *signum* quoq; est vox Entis, uti sunt τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. *1. de interp. c. 1.* Vox enim En-

Explicatur conceptus Entis.

Conceptus Entis formalis est unus re.

tis una est & simplex; eaq; audita sanè mens nostra non distrahitur hinc inde, vel plures naturas sibi fistit. *v. c. vel Hominis, vel Angeli, vel Dei* &c; sed potius his omnibus *commune esse* concipit. *Abstractus* ergo est ab *inferioribus*: *Substantiæ* sc. *& accidentis* conceptibus; idq; realiter; cum alia specie indigeat mens nostra ad concipiendum *substantiam* vel *accidens*: alia ad *communem* utriq; *rationem*. Requiritur enim *ad conceptum formalem* conformitas cum *objecto* repræsentato, quæ nulla esset, si *conceptus formalis Entis* quâ *Entis* idem esset cum formali *conceptu substantiæ* vel *Accidentis*. Simulacrum unius non est simulacrum alterius. *Objectivus Entis conceptus* est natura Entis omnibus communis, secundum quam unumquodq; Ens dicitur, quâ per formalem conceptum repræsentatur. Hunc itidem dico *unum* atq; *abstractum* sed unitate *rationis* non *rei*; *Abstractione præcisionis*, non *exclusionis*. *Unus* inquam est: præterquam enim quod *conceptus formalis* unus esse non posset, nisi ejus unitas fundata foret in objecto proportionato de se quoq; uno: constat ejus unitas ex eo, quod non modo *radix* uni-

Est abstractus ab inferioribus. Realiter.

Quid conceptus Entis objecti. vus.

Quod unus sit.

unitatis detur. *convenientia* & *similitudo*, quam habet Ens quodlibet cum quolibet: quia in communi ratione *Essentiæ* conveniunt omnia, sed & *signum* ejusdem sit nostra *intelligendi ratio*; dum enim *Ens* concipimus, non implicantur in isto conceptu *plura* vel non concipiuntur quæ sub Ente sunt sive *copulativè*, sive *disjunctivè* sive absq; ulla *conjunctione*, ut ipsa intellectio nostra edocet. Ita enim *Ens* concipiendo id tam abstraho à *Substantiâ & Accidente*, quam *abstraho hominem à Petro & Paulo*: Quia tam clarè concipio *Ens* non penetrando *Substantiam* & *Accidens*, quam clarè concipio *hominem* non penetrando *Petrum & Paulum*, *unde* Mendoza probat *Entis conceptum* tam *esse unum*, *& tam non importare conceptum Substantiæ & Accidentis*, quam *unus est conceptus hominis*, & non *importat conceptum Petri & Pauli*. At vero quia conceptus iste nihilominus *communis* est inferioribus κατὰ μέθεξιν vel secundum *essentialem participationem*; idcirco nequit esse *unus à parte rei*, citra omnem mentis operam; *Unitas* enim *universalis* non est realis, sed ab intellectu præsuppositio fundamento rerum convenien-

Quomodo unus sit?

tiâ sortitur unitatem: seu per *denominationem à mentis* conceptu, quæ in Ente prout in naturâ ponitur actu non reperitur.

Quod abstractus sit & quomodo?

Abstractus est, *sed præcisivè*, quæ abstractio fit cognoscendo conceptum communissimum non apprehensis distinctis ac determinatis essendi rationibus. Quia enim conceptus Entis à parte rei in omnibus cujuscunq; Entitatis aut gradus essendi summè intimè includitur, ideo ab omni *concretione liber est & simplicissime unus* atq; *abstractus*, sed quum à nullo possit separari illa omnibus communis τῷ esse ratio, constat quod hic locum non habeat *abstractio exclusiva*; adeoq; non ratione Entis fingenda est *separatio* sed ratione *mentis* concipienda *abstractio*. *Entis conceptus* nullum inferius *excludit realiter* quia in omnibus imbibitur *intimè*; at neq; ullum eorum *includit formaliter*, quia ab omnibus præscinditur & sub esse isto *præciso* consideratur illimitate.

Descriptio Entis absoluta.

II. Ens est quod intrinsecè habet esse positivum in natura persistens citra mentis fictionem.

Hæc

Hæc est *aliqualis* Entis *descriptio*, non in quantum sub *relatione* mentis *nostræ* conceptus ejus abstractissimus ab omnibus abstractus repræsentatur, ceu in *præcedenti theoremate*; sed in quantum Ens inferioribus omnibus *communicatur*. Adeoq; id quod pariter omnia quæcunq; verè sunt *communi notione* sistit. Nam quamvis idem videatur per idem declarari, tamen oportet nos eo contentos esse, cum aliter non liceat in hisce abstractissimis. Necessitate itaq; extorquetur ejusmodi descriptio quam sufficit *adæquatam* esse. Nullum enim Ens est quo de non possit dici id, quod hac descriptione exprimitur, modo observetur; *ut habens Essentiam* ab *Essentia* quæ habetur non distingui *realiter*, quin potius *simpliciter* hæc *eadem* esse: quemadmodum etiam *DEUS* dicitur *habens immortalitatem*, *omnipotentiam* citra ullam vel *compositionem* vel *distinctionem*. Imò vero *essentia est ipsum Ens*: ut *supra* dictum, & dicitur tantum Ens habere essentiam pro modo cognitionis nostræ. *Dn. Gutkius* existimat hoc pacto non describi *Ens objectum* Metaph. sed *suppositum* seu Ens *Individuificatum*. At vero uti

Aliqualis.

adæquata.

An sit abstracta descriptio?

uti certum est posse cuilibet *Enti in individuo* dictam descriptionem applicari, ita non potest negari, quin omnia quæcunq; *Entis rationem* habent, in *ista formalitate* conveniant. Imo quia de *omnibus* dici potest, idcirco rectè habetur pro *adæquata* Entis *descriptione*. Et quid de *unitate* dicendum vel de *cæteris affectionibus*? An non tribui possunt *singularibus*? sed num ideo exulant è *numero affectionum*? haud putarim. Idem ergo de *Subjecto* earum judicium. Observandum itaq; accuratè, quod & *hæc* & *antecedens descriptio* optimè consistere possit modo servetur *utriusq;* discrimen: quod *prior* Entis *conceptum* cæteris omnibus *contradistinctum formaliter explicet*, adeoq; non debeat, ut nonnulli volunt, *inferioribus* applicari; *posterior* vero *communem* essendi *rationem* quam participant omnia, sistat, ac proinde de omnibus dici queat. Ita nos censemus accuratissimorum Philosophorum sententias optimè posse simul consistere. *Alij* cum *Thomâ* describunt *Ens, quod habet Essentiam aptam ad realiter existendum*: vel cum *Mendoza, cui non repugnat existere*, quod ita explicant: *aptitudinem hanc*, vel *non repugnan-*

Aliud est Entis conceptus, quâ talis aliud communis omnibus essendi ratio.

Descriptiones Entis juxta alios Thomæ, Mendozæ.

gnantiam haud negare esse rei, sed dicere saltem præcisionem ab actuali esse. Verum quod Ens sub istâ præcisione describendum non sit, neq; conceptum quendam communem sistere possit evidentissimè docuerunt antecedentia. Qui Ens definiunt quod principijs essendi affectum est, non videntur intelligere quid principium summum sit? Sanè si hoc Ens sit, & principijs essendi affectum, non erit summum atq; ita non poterit evitari processus in infinitum. Solent etiam à posteriori naturam Entis indagare, & κατηγορίαι essentiæ assignare, quæ sunt vel contradictionis absentia: vel definitio vel operatio. Illâ arguitur res esse posse, istâ exprimitur ipsum esse rei. Hac signatur essentia. Quæ enim non involvunt repugnantiam ea esse possunt; quæ definitione vel descriptione exprimuntur ea verè esse obtinent. Quæ per operationes sese exerunt, ea non possunt non existere; Verum non sunt isthæc reciproca. Omne quod est, esse potest, at non omne quod esse potest, ilico est. Idcirco ἀπόφασις τῆς ἀνυπάρξεως non est argumentum τοῦ ὄντος; ita nondum probatur Angelos dari, quũ ostẽditur quod nõ repugnet esse ejusmodi spiritus completos, à corpore independentes;

Reijciuntur.

A posteriori quomodo indagent Ens?

alio opus est *argumento*, quo *evincatur eorum existentia*. Quicquid *describi* potest, id omnino esse *positivum* habet, quia ἔλεγχος ἔστι τῆς ὄντως λόγος καὶ γνώσεως. At non *vicè versâ*, *Omne quod est describi potest*. Nullum enim dubium est, quin plurima in occulto lateant, & â cognitione nostrâ abscondita sint. Deniq; omne *quod operatur*, *esse obtinet verum & reale*. Effectus enim arguit causam, verum non *omne quod est operatur*. Dicitur *vulgo*: Ens *est principium radicale omnium operationum*. At vero ipsa quoq; *operatio est Ens*, erit ergo & ipsa *operationum principium* & sic porro in infinitum.

Προλήμματα.

Ens est omnium primum.

I. Ens est omnium primum.

Primitate φύσεως, quia *generalissimum*, ideoq; conceptus ejus est *simplicissimus*, quod ipse in alios se priores resolvi nequeat, in *ipsum* autē resolvantur ultimo reliqui omnes; *primitate* γνώσεως, quia *primo cognitum*. Dum vero *primò cognitum* dico, patet, quod dentur quoq; *secundò cognita*, & p. c. γνωστὸν *absolute ac simpliciter* ita dictum uti *primam* & *secundam*

dam substantiam qui dicit, esse Substantiæ abstractum relinquit. Ita rectè infertur communis & præcisa τῆ γνωςῆ ratio exinde quod dentur tum primo cognitum, tum ea quæ secundo cognoscuntur.

II. Ens qua conceptus summus non participatur ab inferioribus.

Entis conceptus non competit inferioribus.

Sc: in relatione mentis nostræ; solum enim Ens est conceptus iste communissimus omnium notissimus. Quod de nullo alio dicitur, Contradistinguitur ergo Ens in ratione scibilis cœteris omnibus quæcunq; sunt scibilia: Ideoq; non communicat esse suum inferioribus, nisi velis haud citra contradictionem dicere Substantiam vel accidens esse primo cognitum.

III. Essentia est omnibus summè intima.

Essentia omnibus intima.

Sine enim essentia haudquaquam Entia sunt. Essentia est prima & generalissima forma. Proinde non debet Essentia repugnare Enti. Constat Timplerianæ sententiæ absurditas, quæ Enti absoluto Essentiam tribuit quoq; respectivam.

Quale esse tale operari.

IV. Essentia quævis habet determinatam sibi operationem.

Intellige *reduplicativè*. Scilicet, quæcunq; operationem habet. Nam *operatio sequitur indolem essentiæ*, & uti res est ita quoq; operatur. Unde reciprocè colligitur ab operatione ipsa rei Essentia; tum *absolute* quod sit, & esse habeat quicquid operatur. Nisi enim esset, operari haud posset: tum *determinatè* ut tale sit esse, quale operari. Ita rectiſ. simè arguo *veram & independentem Christi Deitatem ab operibus verè & merè diviniſ*, quæ ipsi in scripturis tribuuntur. &c.

Essentiæ sunt æternæ.

V. Essentiæ rerum sunt æternæ.

1. Intell. de *essentiali connexione* & identitate ejus quod est de essentia; *hoc sensu*. Quicquid de essentia rei est, id necesse est perpetuo rei conveniat; ideoq; æternæ veritatis esse dicitur, ratione sc. *conveni-entiæ*, non attributionis & *realis inexi-stentiæ* Essentiæ rebus conveniunt necessario, & non possunt non ijsdem tribui. Ita *esse humanum homini* derogari nequit etiam prout in mente divina consideratur. *Mendoza* ita loquitur *Essentias rebus*

bus convenire necessario; quia DEUS volens producere hominem V. G. non potest illi tribuere essentiam lapidis, quia non faceret hominem, sed lapidem. Hinc ergò constat. *Quicquid est de rei essentia id esse inseparabile à re.* Quinimò sine eo res ne concipi potest: Ita *si fides est in infantibus, ijs denegari non potest notitia:* quippe quæ est *de ratione fidei*: quanquam non satis explicari possit, quomodo ipsis notitia mysteriorum competat; sufficit, quod peculiari modo ejusmodi notitia possit etjam in infantibus à SS. excitari.

2. De essentiâ rerum considerata & sub *esse actuali & sub esse possibili & intentionali.* *Ideæ in DEO.*

Ita enim *ideæ rerum* fuerunt in DEO ab æterno, ad quarum *exemplar* formatæ sunt res ipsæ quæ hoc nomine dicuntur æternæ veritatis. Quod si *Plato* sensisset, immeritò refutaretur à scholâ Peripateticâ. Nihil enim certius, quam juxtà *archetypum* in mente divinâ producta omnia, quæcunq; producta sunt.

Tantum de θεωρίᾳ Entis:
sequitur

PAR.

PARTIS GENERALIS TRACTATUS POSTERIOR

Vel

Attributorum Entis doctrina.

A Simplici Entis θεωρίᾳ recta progredimur ad affectionum doctrinam *quam exhibebimus tum* in genere, *tum* in specie. *Naturam affectionum perscrutando & singulas ordine considerando.*

ARTICULUS PRIMUS

Doctrina affectionum transcendentalium γενικὴ

CAPUT I.

Natura & divisio attributorum Entis.

Tria expendenda veniunt circa affectiones Entis in genere 1. Existentia *an sint?* 2. Essentia *quid sint?* 3. Divisio *quotuplices sint.*

Existentia affectionũ.

I. Dantur omnino affectiones quæ è natura Entis emanant, & de Ente generaliter probari possunt.

Circa affectionum *existentiam* non tam dubium est, *num dentur?* quam contro-

troversum, quæ sit earum origo? *quomodo e natura Entis resultent? & quomodo de Ente probentur?* Constat enim tantum non apud omnes, quod dentur prædicata cõmunissima, quæ de quovis Ente dici queant, ita tamen ut essentiam ipsam non exprimant, ideoq; non simpliciter Ens ipsum sint, sed Ens afficiant: *Ita dicitur Ens unum, verum, bonum &c.* Non tantum datur conceptus Entis *omnium primus*, sed & alij conceptus generalissimi *secundarij*: sive tales qui conceptum illum primum præsupponant, eamq; sequantur. Quos dicimus *affectiones & modos Entis*. Ad affectiones requirit *Soncinas* duo; *Primum* ut conceptus subjecti prior sit conceptu affectionis. *Secundum* ut affectio per se sequatur rationem sive conceptum subjecti. *Alij* dicunt *tria* requiri. *1. Distinctionem*, ut affectio formaliter sit idem cum eo cujus est affectio. *2. Denominationem*; ut rem denominet, seu aliquid re posterius & consequens rei. *3. Reciprocationem*; ut *ratione suppositi* retrocurrat cum subjecto. At hæc omnia quadrant in conceptus juxtà cum Ente generalissimos. Hi enim cum Ente retrocurrunt; ob generalitatem ut *omne Ens*

Dicuntur 1. Affectiones.

Quæ requirantur ad affectiones?

est

est unum, verum, vice versa; *Omne verum, unum est Ens.* Hi denominant Ens, quia ab *unitate, veritate &c.* Ens quodvis denominatur. Hi *formaliter* diversi sunt ab Ente, quamvis *objective* idem sint cum Ente. Licet enim intimè imbibant Essentiam; attamen Ens in conceptu suo non includit ipsas affectiones. 2. *Modi Entis* dicuntur; ubi observandum: quod vox *modi* non accipiatur, ut alias in Metaphysicis, pro *respectu nominali & æquivoco* vel *pro certo rei statu & conditione*: vel *pro determinatiori essendi ratione*: vel *pro modo subsistendi*: vel *personalitate*: vel *pro modo speciatim dicto*, de quo *Suaretz 7. disp. Metaph. s. 1. n. 17.* sed potius *pro modo afficiente Ens*, illudq; intimè includente, quod è *descriptione* patebit.

2. Modi.

Definitur affectio Entis.

II. Affectiones Entis sunt conceptus generaliſſimi, Ens transcendentaliter denominantes.

Finiuntur *conceptus generalißimi*: quo ipso exprimitur id, quod *materialis* vicem tenet in hac descriptione. Conveniunt enim in eo cum *subjecto* suo, Ente: quippe quod non minus quam Ens generalissima sint ejus attributa ob adæquationem

Materiale.

nem subjecti & affectionum. At cum additur *quod denominent Ens*; eo ipso ceu *formali* specificatur *affectionum natura.* *Formale.*

Circa quam explicandam observetur:

1. *Subjectum*: quod denominant. Hoc dico *Ens vel Essentiam*, intellige non tàm juxtà *mentis præcisionem*, quam juxtà *statum fundamentalem Ens positivum reale, actuale.* Unitas certè non denominat Ens juxtà statum quem in mente habet universalitatis: Ita *perfectio, veritas, bonitas*, nō *ita* tribuuntur isti conceptui summo qua est primo cognitus & ut formaliter sub ista abstractione non est nisi in mente, *atq;* rebus ipsis, qva in natura considerantur & esse verum obtinent. Pariter esse *causam vel causatum, Simplex vel compositum* &c. non est vindicandum Enti secundum omnes status & summam generalitatem, atq; abstractionem ultimatam, uti est summè indifferens & illimitatus Entis conceptus: ita enim neq; *causæ* neq; *causati* rationem habet & præcisus est ab omni affectione omniumq; simplicissimus, sed tribui debent hæ denominationes *Enti in rerum natura constituto*, prout extra intellectum habet esse objectivum fundamentale atq; sub disjunctione *Subjectum affectionis.* *Quomodo Ens sit subjectum?*

ctione istâ attributa participat. ita *DEUS est causa, creaturæ effecta sunt: Iste simplex; hæ compositæ* &c. Paucis; hoc est quod dico: affectiones verificantur de Ente, idemq; denominare intelliguntur *in suppositione personali, non simplici*: dicuntur de *Ente restricto non abstracto*: competunt Enti exercitè non signatè: vel tribuuntur eidem, non tam prout primo cognitum est, quam sicuti est in singularibus radicatum. Quod accurate notandum.

Modis non tribuuntur affectiones Entis.

Vlterius Ens denominant affectiones *non Entis modos* qui ipsum Ens ad certam existendi rationem restringunt. *Modi* enim *non tam Entia sunt, quam rationes Entis* vel *formaliter* vel etiam *realiter* ab Ente quod modificant, distincti ut *subsistentia à re subsistente, Personalitas à natura*, &c. Quare cum modi in sua formalitate præcisè non includant Ens, neq; de ijs prædicari debent ea quæ Enti per se insunt: *Ita personæ abstractæ non tribuitur esse dependens vel independens, sed essentiæ & naturæ, subsistentia non denominatur causa vel causatum &c. sed substantia.* Intellige πρώτως primario & καθ' αὐτὸ per se atq; *reduplicative in quantum modi* & sub ista formalitate considerantur, hactenus enim

enim distincti sunt ab Ente. Quod itidem studiose observandum 11. *Respectus ad Ens, quod denominant transcendentaliter*: quibusverbis *duo* implicatur. 1. affectionũ cum Ente *convertibilitas & adæquatio.* Adæquantur Enti, id est, tam late patent quam ipsum Ens adeo ut nullum sit reperire Ens positivum, reale & actuale, cui non possint tribui hæ ipsæ affectiones unaquæq; in suo ordine. *Loquor de Ente positivo reali, actuali*: Nam *privationibus, Entibus rationis, in potentia* affectiones non debentur ut *supra* dictum, & ita convertuntur cum Ente, non quidem *conceptibiliter (quod est,* cum nihil rei aut rationis claudatur in uno conceptu quod non claudatur in altero, quomodo *Synonyma, definitio* item & *definitum* convertuntur) attamen *denominative*, quum omne Ens denominetur istis affectionibus; & vice versa; omne quod affectionibus istis gaudet essentiam habeat. Ut *omne Ens est unum, & omne Unum est Ens* &c. Et inde dicuntur transcendentaliter Ens denominare: quod istæ æq; ac Ens omnes categorias transcedat, & de rebus omnibus dici queant. Id quod circa singulas *in specie* probabitur. 2. *Affectionum*

Respectus affect. ad Ens.

Adæquat. affection. cum Ente.

Distinctio affectionũ ab Ente.

ctionum ab Ente distinctio, ac propria formalitas. Dicitur *quod denominent Ens*, quo innuitur: *primò* quod *non sint simpliciter ipsum Ens.* Constat; affectiones enim per se sequuntur rationem subjecti non vero sunt ipsum subjectum. *Hoc* est de ratione omnis affectionis. At verò non est necessum ut distinguantur à subjecto *realiter*, sufficit si *formaliter*. *Aliud* enim sunt *affectiones in rigore scientifico*, quæ per morem *Accidentium* insunt subjecto, ita ut à subjecto distinguantur *realiter*: *Aliud* verò sunt *affectiones latius sumtæ* & eminentes ad quas satis est ut denomiẽnt subjectum, licet non cum reali à subjecto distinctione. *Scotistæ* quidem contendunt *Ens non includi quidditative in affectionibus, sed ab ijs distingui ex natura rei* ut ut concedant *quod Attributa* Entis *quid positivum sint.* Atqui manifesta hæc est *contradictio;* dari aliquid positivum, in quo Ens intrinsece & quidditativè non includatur. *Contra*; quicqvid seorsim & præciso omni eo, quod ab ipso secundum rem distingui dicitur est unum, perfectum, verum bonum, &c. ab eo unitas, perfectio, Veritas, bonitas &c. non differt secundum rem. At Ens seorsim &

Affectiones non sunt ipsum Ens.

Non distinguuntur realiter ab Ente.

Contra Scotistas.

præ-

præciso omni eo quod est ab ipso secundum rem distinctum est unum &c. E. Ita cum *Dn. Sthalio disp. 2. Met. t. 36.* Adde quod essentialiter includant ipsum Ens; adeoq; non possunt concipi sine Ente & proinde neq; differunt realiter ab Ente. Remanet ergo *discrimen rationis.* Non enim ἀωλῶς idem sunt *attributum & subjectum* sed *rationis conceptæ* discrimen intercedit; quia diversis conceptibus explicantur: neq; *simpliciter identice* de Ente dicuntur. Ita *non est in ratione Entis quod in unius formalitate* &c. nec *identica est prædicatio* cum *Ens* dicitur *Unum* &c. Præterea admittunt contradicentia prædicata *Ens*, & ejus *affectiones. Illud* primò cognitum; hæ non sunt primò cognitæ Concludo itaq;, attributa non esse simpliciter ipsum Ens scilicet *formaliter* Potest enim attributum quodvis sumi vel *concretive* & *materialiter*: quomodo implicat ipsam essentiam: vel *abstractive* & *formaliter* quomodo distinguitur ab Ente: *Isto* sensu attributum est ipsum Ens sc. à parte rei. *Hoc sensu* non est ipsum Ens: sed intercedit quoddam discrimen à parte conceptus. E quo collige, *attributa Entis formaliter non addere Enti aliquid quid reale.*

Ratione distinguuntur ab Ente.

Attributa non addere Enti aliquid reale.

quid reale, vel modum quendam positivum ab Ente realiter diversum, seu novam & peculiarem Entitatem. Hoc enim quod adderetur si positivum esset utiq; Ens foret, atq; ita suas iterum haberet affectiones, de quibus idem dici posset: atq; ita processus fieret in infinitum. Adde quod non posset Ens prædicari *de Ente simplicissimo*: Si Ens qua tale esset præditum affectionibus realiter à se distinctis. Vel certè dicendum quod & ipsum Ens simplex primum sit compositum compositione reali quod ἀνυφαιρετον. Quid ergo addunt Enti? Vel *negationem*, Vel *respectum quendam rationis*. Remoto enim positivo, aliud nihil remanet quod intelligi possit includi in affectione præter ipsam Entitatem. Ita *Unitas negationem dicit divisionis*; *Veritas respectum involvit ad intellectum, & sic de cæteris, ut suo loco* docebitur. *Secundo* quùm dictum sit quod Affectiones denominent Ens, intelligi datur *quod nõ participent Entis ratione* συνωνύμως *ut ea quæ Ente sunt essentialiter inferiora: sed quod afficiant ipsum Ens extra essentialiter*, adeoq; παρωνύμως de Ente dicantur. Aliud enim est *Affectio Entis*; aliud ejus *divisio*, ut *supra* monitum. *Affectiones*

Sed negationem vel relationẽ.

Affectiones differunt à divisionibus Entis.

nes imbibunt & includunt Entitatem non *formali participatione*: sed *reali* saltem *denominatione*. *Divisiones* vero non denominant Ens, sed ejus rationem participant κατὰ μέθεξιν & *formaliter* ipsum Ens includunt. Hinc est quod de membris divisionis Ens prædicetur *abstractè* & *Synonymicè* ut *substantia est Ens* &c. At verò de membris *disjunctæ affectionis*, vel etiam de *Unitis affectionibus paronymicè potius* & *in concreto* prædicationes fieri debeant, ut *Ens est Unum non unitas*, & *unitas est Entitatis affectio, non vero Ens*. Subjectum enim non est affectio & debet ad minimum hæc ab isto formaliter distingui. Quo circa in conceptu formali unum non est alterum. Quanquam enim *Unum* (idem judicium *de cæteris*) includat Entitatem, attamen quia eandem saltim *subjective* & *materialiter* importat non verò *formaliter* & *abstractè* dicit: ideò denominare ipsam dicitur. Hoc est quod dico: Formalis ratio Unius non tribuitur Enti *essentialiter*, *sed solum denominativè*: quatenus Ens dicitur in statu *indivisionis* esse. Non est de *Essentia* & *formali* conceptu Entis: vel non est *conceptibiliter* idem, quod ipsum Ens,

Affectiones respicuunt Ens paronymicè.

Non tamē ut accidentia.

quamvis idem sit *fundamentaliter*. Et in hoc maximo intervallo distant affectiones Entis *transcendentales* ab affectionibus alijs *scientificis*: quippe quæ non sunt idem *objectivè* & *fundamentaliter cum* eo quod denominant: Licet idem dici possint *subjectivè* & *materialiter*. Accidētia cum subjecto unum constituunt, at non *per se* sed per *accidens*; sunt enim etiam *fundamentaliter* ratione conceptus *objectivi*, & à *parte rei extra subjecti rationem* constituta; adeoq; realiter à subjecto differunt. Inde dicuntur definiri *ἐκ περιστάσεως* subjecti. Quod de *affectionibus transcendentibus ita* dici nequit. Unde constat ulterius; quod *affectiones prædicamentales* denominent subjectum in quantum ab *eodem tanquam effectus* à causa *emanant*: at non ita *transcendentales*. Sic *Unum* V. G. non denominat Ens tanquam *effectus suam causam*, *sed* ut ratio *quædam conceptibilis* desumpta à certo statu scilicet *indivisione*.

Affectionū divisio.

III. Affectiones Entis sunt duplices: Unitæ & disjunctæ. Illæ simpliciter, unitim reciprocantur cum Ente, idq; citra ullam disjun-

junctionem per seſe adæquatè denominant. Hæ convertuntur cum Ente sub disjunctione, idq; cum oppositionis illatione denominant transcendentaliter.

Varia sunt *attributa Entis generalißima.* At omnia revocari possunt ad *duo* hæcce *capita*: quod nonnulla *unitim* cum Ente reciprocentur; alia verò *disjunctim.* Distribuunt quidem *alij* primâ *divisione* affectiones Entis in *primarias* & *secundarias*: Et *istas* demum faciunt *simplices vel conjunctas.* Verum placet nobis *prior* distributio; eò quod in *utriusq;* generis & *Unitù* & *Disjunctis* reperire sit tùm *primi* tum *secundi ordinis.* Dari autem *affectiones* cum Ente *convertibiles*, non opus est prolixâ probatione. Constat enim: quod *Ens* dicatur *unum, verum, bonum* & e: idq; *reciprocè*: ut omne *Ens sit unum verum, bonum* &c. & vice *versâ*: Constat quod *Ens* dicatur *causa*; *at* non *adæquatè*, nisi sub *disjunctione*: quod *omne Ens* sit *causa vel causatum* &c. *Ratio* itaq; distinctionis attributorum Entis *generalium* in eo sita est, quod *alia* sine *oppositi illatione* Ens modificent *alia* non nisi sub *oppositionis*

Quanam sit summa affectionum divisio?

sitionis respectu adæquatè Ens afficiant. Quomodo verò *tùm ista* simpliciter cùm Ente convertantur, *tùm hæc* disjunctim Entis latitudinem exhauriant, adeoq; *singula* Enti adæquentur, *specialis* docebit διάσκεψις.

Ποεί σματα.

Attributa Entis realia sunt.

I. Attributa Entis vera sunt, realia, & positiva.

Non enim sunt *ficta*, vel *Entia rationis*: non *tollunt* vel *negant* essentiam: sed *verè* competunt Enti præter mentis operationem & à *parte rei* implicant ipsam essentiam. Ita *DEUS est unus, verus, bonus, causa, independens* &c. nemine etiam cogitante: Creaturæ *suam obtinent unitatē, veritatē, bonitat: effecta sunt, dependent* &c: citrâ omnem mentis operationem. Quæ verò 1. *realia non sunt, ea nec merentur dici Entis affectiones*: Proinde *Universalitas* non est attributum Entis transcendens, quum res non sint universales nisi per mentis operationem. *Omne enim quod est, eo ipso dum est, singulare est.* Universale verò exurgit per operationem mentis extra quam formaliter non est. Quæ 2. Non *ponunt Esse*, sed opponuntur τῷ

Esse,

Esse, *attributa Entis dici* nequeunt. *Nullum* enim *attributum Contradictorium est* suo *subjecto*. Absurda ergò est *Timpleriana* Entis affectio, *Impossibilitas*; Hæc enim omninò & totaliter Esse excludit; tùm *actuale*, tùm *potentionale*. Impossibile quod est, id neq; essentiam habet, neq; habere potest.

II. Affectiones Entis realiter non differunt ab Ente.

Affectiones non distinguuntur realiter ab Ente.

Rationes adductæ sunt *in præceptis*. V. G. per *veritatem* non denotatur alia essentia. quæ sit distincta ab eo, quod verum denominatur, sed eadem illa essentia *sub certo statu* denotatur, sc. qva est conformis intellectui. *Aliud* est *reale* quid esse, aliud *realiter ab* Ente *distinctum* esse; quod manifestum est ex *attributis divinis*, quæ *verissima* sunt, & *realissima*; minime tamen ab *essentia divina distinguuntur realiter*: *Intellectus divinus realis est, at non realiter distinctus ab essentia* DEI. Ita *attributa transcendentalia vera* sunt, & *realia*: quanquam non importent *realē* ab Ente *distinctionem*. E quo constat: quod *prædicata realia subjecto realiter convenientia non semper inferant realem cum subjecto compo-*

compositionem. Unitas in Ente non facit realem compositionem, quia etiam *Enti simplicissimo* competit : At si unum quâ *tale* realem distinctionem importaret ab Ente, tùm sanè in *omni Ente* eandem inferret. A *qua tale ad de omni* optimè colligitur. &c. Idem de *cæteris* esto judicium.

Affectiones involvunt Essentiam.

III. Affectiones implicant ipsam essentiam.

Sc. πραγματικῶς & *realiter*, non verò νοηματικῶς *conceptibiliter*. Claret inde; quomodo *attributa divina sint ipse* DEUS, juxtâ illud R. *Haccados in Gale-Razeia: Nihil inventur in Deo quod non sit ipse Deus* : quod verum est de *attributis divinis* non à *parte conceptus*. Essentia enim divina adæquate potest concipi (sub *formalitate spiritus infiniti*) licet *eodem mentis actu* non concipiantur singula Dei attributa *Justitia, Misericordia* &c. sed à *parte rei*, quod *Essentia divina identificet* sibi *omnia* ut *Scholastici* loquuntur quæ *sunt in divinis* ut *justitia Dei misericordia* Dei, sit ipsa Dei essentia, cum *respectu ad actus Justitiæ & misericordiæ* &c. *Essentia Dei* τῷ λόγῳ & τῇ ἐπινοίᾳ distinguitur ab *effectionibus* καὶ ἄλλον καὶ ἄλλον ὑπολύψεως τρόπον

Nihil in Deo quod non sit ipse Deus.

πρᾶγον(possunt enim *unius ejusdemq; rei* esse *diversæ notiones, quas barbari formalitates vocant ait Scal: Exerc. 307. s. 15.*) at non distinguitur abijsdem *realiter*, vel ut alias loquuntur *Philosophi; conceptus objectivus unus est: at conceptus formales distincti sunt.*

IV. Affectiones sequuntur indolem Entis.

Affectiones sequuntur indolem Entis.

Vel *attributa* ita dicuntur de Ente quemadmodum *ratio propria Entis*, cui tribuuntur, requirit. Quum itaq; alia longe sit ratio *Entis finiti*, alia *Infiniti*, & non nisi ἀναλόγως in *communi conceptu* conveniant: constat, quod κατ' ἀναλογίαν saltim sint applicanda attributa & non sit fingenda omnino eadem ratio & identitas. Quod cum de *Transcendentibus* tum de *specialioribus attributis* intelligi potest. *Transcendentia identificantur essentiæ.* Ideoq; intime includuntur in essentia tum *finiti*, tum *infiniti Entis*, at in *illo* considerandæ sunt, ut eadem sunt essentiæ finitæ: Ita *Creaturis perfectio, bonitas* adscribitur at *finita: causalitas* at *dependens* &c. *Deo vero* quæcunq; tribuuntur affectiones sub *infinitâ* & eminentissima

simâ ratione concipiendæ sunt: *Perfectio, Bonitas, Actualitas* &c. Attributa *specialia* similiter quoq; indolem subjecti sui sequuntur. Unde iterum *diversitas* exoritur *attributionis*. Ita non mirum est ea *quæ nobis duntaxat accidunt* Deo *esse essentialia*, cum de Deo & nobis non dicantur *univoce* v. g. *Justitia, Misericordia in* nobis accidentia sunt; in Deo ipse Deus. Pulcrè *Scaliger alicubi. In Deo potentia ab essentiâ non est diversa, sed sua solius est & ipsa sibi & hoc quod est & hoc omne quod sunt omnia.*

Affectiones sunt posteriores Essentia.

V. Affectiones sunt posteriores Essentia.

Verum est in *abstractione*, quod Entis conceptus prior sit conceptibus transcendentium affectionum & in *applicatione*; quod essentia cujusvis entis prior sit ipsis affectionibus non quâ *rem*, sed quâ *conceptum* in quantum *una & eadem res in alio atq; alio naturæ momento consideratur*. E quo promptum est colligere, quod *affectiones non ingrediantur essentiam* juxta præcisam & formalem rationem, adeoq; non prædicentur συνωνύμως de Ente. *Synonyma* namq; sunt non quæ rem dun-

Affectiones non prædicantur Synonymicè de Ente.

duntaxat unam, sed & secundum unam rationem significant. Jam licet *affectiones Entis* unam ac simplicem essentiam dicant, tamen cum illud fiat sub multis & diversis rationibus, quas diversimode noster apprehendit intellectus, eandem in nobis notitiam non efficiunt, eandem rationem non habent, atq; ita formaliter non includuntur in Ente. Hinc

VI. *Affectiones prædicantur de se mutuo & de Ente in sensu identico non autem formali.*

Quomodo prædicentur affectiones de ente & de sese.

Prius ob *essentialem identitatem*; *posterius* ob *formalem diversitatem*. Illustro idem *attributis Dei*. Hæc verè prædicantur & de Deo & de se identicè. Ut *realiter* eadem. Qvodlibet enim attributum divinum infinitum est, ut ipse Deus, ideoq; à parte rei includit reliqua omnia. Nam quicqvid infinitum est simpliciter, illud utiq; omnia includit. Ita *justitia* Dei realiter includit *Esse Dei*. *Esse Dei infinitum* est. *Infinitum complectitur omnia, includit* ergò *Justitia realiter omnia* Dei *attributa* una cum *divina essentia*. Hinc *prædicationes abstractivæ Deus est ipsa justitia, est* ipsa *Misericordia sc. sensu identico*:

Illust. atur ab attributis Dei.

seu

seu in quantum hæc inter se *essentialiter* eadem sunt, cum Jehova *justitia sit, & ipsa Misericordia.* At vero cum alio mentis actu concipiamus Dei *Essentiam*, alio *justitiam*, alio *Misericordiam* aliaq; attributa; hinc neq; *justitia de essentia divina* neq; *misericordia* de *justitia* prædicatur, *sensu formali.* Ita attributa Entis; *Unitas, Veritas, Bonitas &c.* prædicantur de *Ente* & de *sese* mutuo sensu identico, quâ unum sunt realiter cum Ente, & inter se non tamen *sensu formali, quia* alia *Entis*; alia *Unius*; *alia Veri, alia denq; Boni* est *conceptibilitas.* De *sese* mutuo prædicari dico affectiones: scilicet *in quantum non obstat earundem oppositio.* Ista itaq; *prædicationum convertentia* locum habet in *unitis affectionibus simpliciter*: In *disjunctis* vero non nisi sub *relativæ oppositionis exceptione. Membra* enim *disjunctarum affectionum* sunt sibi invicem opposita. Prædicari ergo in *casu recto de sese* nequeunt. *Causa non est causatum &c. Analoga* est ista Theologor: *limitatio omnia sunt in Deo unum* (non tantum *essentialiter* sed & *realiter*) nisi *ubi obviat relationis oppositio*; hoc enim licet *essentialis* maneat *identitas* ob *summam essentiæ* unitatem, *distinctio* tamen

Omnia in Deo unum sunt, limitatur.

men *realis* occurrit ob *relationum personalium* oppositionem. Inde negatur *personarum mutua de sese enunciatio.* Nō licet dicere *Pater est filius*, vel *Filius est Pater* &c. Relationes enim oppositæ sunt inter se incommunicabiles. At κατηγορία s. *prædicatio præsupponit* κοινωνίαν s. *communicationem.*

VII. Affectiones Enti, non Entis modis tribuendæ sunt.

Affectiones non tribuuntur Entis modis

Considerari queunt *modi* vel *abstracte* in *ultima formalitate*, vel *concretè in omni* quam implicant *Entitate.* Sive *tum purè & in se* quà modificant, tum *entitativè* & *in re* quam modificant. *Priori* sensu contradistinguuntur essentiæ: *posteriori* implicant ipsam essentiam. *Hoc modo* quin sibi vindicent *attributa Entis* dubium non est: cum *essentia non sit sine affectionibus*, quæ *inseparabiles ab essentia.* De *transcendentalibus* loquor; quæ realiter non differunt ab Ente. Nam alia ratio est *prædicamentalium* compositionem realem cum essentia facientium. *Altero* itaq; *sensu* veniunt *modi* impræsentiarum: quum dicitur, *quod non participent affectiones Entis.* Idq; verissimè dicitur. Si enim

Affectiones consider: pure vel Entitative.

enim *affectiones* istæ *modis* tribuantur; non poterit non *essentia* supponi: quum *affectiones prærequirant essentiam; ut attributa subjectum:* nec sine eâ esse possint. At verò quum *modus abstractè, purè & formaliter* sumitur, non infert essentiam sed eidem contradistinguitur, ut patet.

Photin: perperam in modis requirunt affectiones Entis.

Usus est 1. contra *Photinianos*, qui *Relationibus personalibus* quæ sunt πρόσωπα ὑπαρξεως in simplicissimâ essentia divina tribuenda censent *attributa Entis.* Ideòq; sophisticantur: *Tres personæ in Deitate aut sunt finitæ aut infinitæ & æternæ. At neutrum dici potest* E. *plane non sunt.* Verbo: sunt *tres modi subsistendi unius & ejusdem infiniti Entis.* Hi enim *tres unum sunt.* 2. Contra nonnullos *Calvinianos*, qui cum *Alsted.* non dubitant asserere *Filium DEI à Patre & Spiritum Sanctum à Patre & Filio dependere, originaliter* puta & *personaliter.* At ita *essentiam* habebunt *dependentem*, cum *dependentia denominet essentiam.* Videant ergo quomodo contradictionem effugere queant:

Calv. nonnulli Filiũ & S.S. dependere dicunt.

dum *Essentiam independentem*
simul *dependentem*
faciunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Affectionum Entis transcendentalium doctrina

ἰδιαν

Disputatio V. publica Respondente Johanne Flotwel Regiomont Borusso.

UNitas *affectiones præmittemus* disjunctis; tum *quod* simpliciores *sint, & harum veluti* stirpes; tum *quod sine ipsis haud ita* facile, *nec adeo* accurate *cognoscere liceat cæteras, quod docebit ipsa* pertractatio.

Affectiones unitæ priores.

CLASSIS PRIMA

Affectionum transcendentium Exhibens UNITAS.

Possumus verò, *imò debemus hasce* duobus *modis spectare.* 1. Universim *quâ* definiuntur *atq;* dividuntur. 2. Sigillatim, *quâ ordine* evolvuntur *& explicantur* singulæ.

SUBSECTIO PRIMA

Universim considerans affectionem Unitas.

CAPUT II.

Natura unitarum affectionum.

Explicatur quid sint *&* quot sint? *ac singulæ*

de Ente probantur, earundemq; reciprocatio cum Ente statuminatur.

Definitio affect: unitarum

I. Affectiones unitæ sunt attributa generalissima, quæ Ens modificant solum, sub reciproca denominatione.

Dicuntur simplices.

Dicuntur etiam *simplices*, eò quod simpliciter de Ente prædicentur, & cum Ente convertantur. & κατ' ἀντονομασίαν *transcendentia*, vel *transcendentes affectiones*: Licet â *nonnullis affectiones transcendentes* cum *transcendentibus* confundantur. Nam non *omne transcendens*, quod prædicamenta supergreditur, *statim est affectio*; cum requiratur insuper, *ut aliquid rationis superaddant Enti* ejus *affectiones*, adeoq; aliam *conceptibilitatẽ* pariant. Verè sunt *attributa generalißima*, quia nulli non Enti competunt, idq; *simpliciter* & *converßim*, quo distinguuntur ab *altera* affectionum *classe*. *Tria* ergo sunt earum προσκείμενα, quod scilicet *Ens modificent*, idq; *reciprocè*, ac deniq; *solum* modificent, *citra illationem oppositi*. 1. *Modificatio* distinguit eas ab alijs *prædicatis*, *synonymicis* puta. Aliud enim sunt *prædicata Synonymica* Entis, ut *Res. Aliquid*, *Existentia*, &c.

Transcendentia.

Explicatur definitio attribut: generalis: προσκείμενα affectionũ 1. Modificatio Entis.

Aliud *attributa paronymica*: *Unum*, *Verum*, *Bonum* &c. *Illa* simpliciter idem significant, quod Ens. *Hæc* aliam ab Ente formalitatem obtinent. *Istic* exprimitur Ens alijs saltim nominibus: *hic* denominatur Ens sub alio, atq; alio statu. E quo cõstat *Existentiam* nõ esse affectionẽ Entis unitam, ideò quod idem significet quod ipsum Ens. *Existentia non est modus verus Entis, ut ut à nobis nonnunquam ità concipiatur*, inquit *Dn. Jacob Martini in prælect. Meta. citante Dn. Scharffio. Disp. 6. Theo. transcend. c. 1. th 6.* Etenim *notat intrinsecam & formalem Entis rationem, non secus ac Res, vel Aliquid. Sic Entis formalis ratio est actualis essentia. At Existentia nullum alium conceptum menti imprimit, quam actualis essentia. E. non est Essentiæ modus. ut illam denominatione afficiat.* Quibus verbis apertissime docetur, *Existentiam* Entis esse *Synonymum*, simul & innuitur *Ens Objectum Metaphysicum* non esse nisi *actuale. 2. Reciprocatio* Entis *affectiones* distinguit ab alijs *modis*. Qui Ens denominare queunt, ita tamen ut non retrocurrant cum Ente. *Non* enim *omnis modus est affectio* Entis licet *omnis affectio sit modus quidam Entis. 3. Oppositionis negatio,*

Existentia non est affectio Entis.

Sed Synonymum.

2. Reciprocatio cum Ente.

3. Oppositionis negatio.

Vel Simplex modificatio.

Distinguuntur à disjunctis.

tio, sivè ut *affirmativè* exprimam, *simplex modificatio formaliter* constituit affectiones *unitas* easq; distinguit à *disjunctis*. *Unitæ* enim sunt, quæ solum modificant Ens, non addito respectu ad oppositum, ut *Unitas* Ens denominat unum, non importando respectū ad *multa*. At *disjunctæ* non solum modificant Ens, sed etiam sese respiciunt ut *opposita*, & inde in *sensu disjuncto non purè affirmativè* de Ente dicuntur: Ita dicere nequeo, *Ens quà Ens est causa* sed est *causa, vel causatum*.

Divisio affectionum unit:

II. Affectiones unitæ sunt vel primariæ, vel secundariæ: Istæ Entis statum magis definiunt intrinsecè. Hæ quodammodo extrinsecus, in quantum non tàm esse, quam fines essendi respiciuntur.

Affect. primariæ vel secundariæ cur ita dicantur?

Varietas affectionum unitarum facit, ut *certa genera* constituenda sint, ad quæ ordine revocentur. Dicimus verò alias *primarias*: alias *secundarias*. *Istæ* denominant Ens magis in *statu proprio*: vel exprimunt rei statum *magis intrinsecum*, quia connotant ejusmodi *negationem*, vel rela-

relationem, quæ intimiori complexu videtur rebus juncta, & ut ità loquar, familiaritatem arctiorem alere cum rei essentiâ, quam *aliarum*, quas *secundarias* dicimus, denominationes. Hæ ergo *quodammodo extrinsecum* Entis statum dicunt: quia non tam *esse rei definiunt*, quà *fines essendi* exprimunt, juxta quos in *esse manet*, vel *alicubi esse* intelligitur, quod planum reddent dicenda. Heic notetur *fundamentum divisionis*, cui innititur *numerus* affectionum unitarum, quod est *ipsa definitio*. *Quot* scilicet *dantur prædicata ab Ente positivo, reali, actuali non nisi formaliter diversa, idem adæquate & reciproce denominantia*: vel solum *modificantia*, tot *concedendæ sunt affectiones Entis unitæ*. At verò heic subsumi posse non tantum *affectiones vulgò* ab omnibus usu receptas, sed insuper *alias* quoq; jam jam recensendas ilicò probabitur.

Fundam. divisionis affection. unitarum.

III. Primariæ affectiones unitæ sunt vel simpliciter simplices, quæ solam connotant negationem, sive defectionis, ut Perfectio, sive divisionis; qualis est Unitas: Vel cum respectu quo-

primariæ dividuntur

dam rationabili simplices, quum inferant relationem vel ad intellectum quæ est Veritas, vel ad voluntatem, quæ Bonitas.

Ratio divisionis. Dividuntur affectiones pro *diversitate denominationis*, quâ Ens aliter atq; aliter afficiunt. Cum vero in istâ *denominatione* Enti nihil addatur *positivi* & *realis*, necessum est, ut quidpiam *negativi* vel *rationis* ei accedat, cujus respectu *formaliter distinguantur affectiones* à *subjecto*. Quod dum advertit mens, simul & commune omnibus Esse respicit, *utrumq;* in eo offendit tum quod *sub statu negationis* cujusdam, tum quod sub *respectu rationis* Ens omne possit considerari adeoq; hoc ipsum de Ente *in universali* enunciat. Unde *attributa generalissima*: Quorum hic est *ordo:* Quæ *simplicem* dicunt *negationem* enti summe intrinsecam, *priora* sunt cæteris, quæ *respectum rationis* involvunt. *Absoluta* scilicet *respectivis*. *Ordo affect. unitar. primar:*

Ista dicuntur *simpliciter simplicia*, quia nullam rationis relationem connotant, negatione simplici absolvuntur: & citra ullum respectum ὡς πρὸς essentiam denominant. *Hæc* cum *respectu quodam rationabili*

nabili superaddito *simplicia* vocantur, quia Relationem quandam important adeoq; relativè Ens denominant. *Singula* debent ex *essentia derivari* quà *attributa* & *cum essentia reciprocari*, ut *unita attributa*. Negatio itaq; rei *intrinseca* duplex est, vel ut *aliter* loquar, *duplici* substatu *negationis* sistitur rò *Esse rerum* in quantum scilicet negatur de Ente *divisio*: vel *defectus Entitativus*, ita ut tum *indivisum* sit *in se se* tum *nullo destituatur*, quod ad *Esse suum* requiritur. *Aliæ negationes* non occurrunt, quæ Enti sint *intrinsecæ*, idq; *denominare aptæ*. *Hæ verò* & *internæ* sunt, & *transcendentaliter* Ens afficiunt. *Internæ*, quia rei competunt citrà respectum exteriorem. Res sunt *indivisæ*, suntq; *perfectæ* de *se se*, per *se se* & in se se, non ab adventitio aliquo, non per externam quandam θεόθεσιν, non per merè *accidentalem denominationem*. Non enim fluit *indivisio* vel *perfectio* ab *Essentia*, ut *effectus* à *causa*, *sed* ut *ratio quædam conceptibilis*, Enti verè competens, quæ *intra* ejus *complexum simplicissimum* clauditur. *Transcendentes*, & *adæquatæ*, sunt quia *reciprocè* de Ente dicuntur. *Duo* autem requiruntur ad *reciprocationem*, ut scilicet & *de singulis*

Quid circa singulas universim observandum?

Absolutas duas tantùm esse probatur.

Quod unitas & perfectio sint affectiones probatur.

Quia Entì sunt intrinsecæ.

& adæquatæ.

Omne unũ & perfectũ est Ens,

gulis *Ens*, & de *Ente* quovis singulæ dicantur. *Utrumq;* hic constat. Nam *omne unum* & *Omne perfectum* est *Ens*. Esse *indivisum*, & absq; *defectu* non dicit *puram putam negationem* sed *materialiter* importat *ipsam essentiam*, verè *positivam*. Quin & ipsæ *negationes* à *parte rei* aliquid affirmant *formaliter*, uti de singulis dicetur. Et *vice versâ*. *Omne Ens est unum. Omne Ens* est *perfectum*.

Omne Ens est unum.

Nullum datur Ens quod contineatur sub objecto Metaphysico, quod non sit *indivisum*. si enim divisum *Entitative*, *jam divisæ* erunt *essentiæ* Quia Ens & essentia sunt synonyma. Ubi verò divisæ Essentiæ. ibi plura Entia. At plura Entia non sunt Ens. *Contradictio* est *Ens* esse *plura Entia qua talia*. Relinquitur ergo *omne Ens unum* esse. *Aliâ* viâ id probat *Thomas*. *Omne Ens necessari est aut simplex aut compositum*. *Simplex* est *individuum* & *actu* & *potentiâ*. *Compositum individuum potestate*, adeoq; *compositum quâ tale non est divisum*. Ergo *omne Ens* est *aliquo modo individuum* & per consequ. *unum*. Idem de *perfectione*. Omne *Ens essentialiter* est *perfectum*, communiter docent *Peripatetici*. Nec verò aliter possunt. *Perfectum* enim juxta

Omne Ens est perfectum.

Dn.

Dn. Jacob. Martin. id est, *cui nihil* deest *ad suam, quæ ei* debetur *integritatem.* Vel juxta *Combachium. Perfectum est illud, quod à bono non deficit.* Id verò *universaliter* verum est de omnibus quæcunq; sunt. Esse enim habent & ea, quæ ad Esse requiruntur; neq; deficiunt à bono, cum *Ens omne bonum* sit communi omnium voce. Rem è *principijs primis* repetamus; Omne *quod est, ea habet, quæ ad esse requiruntur.* Impossibile enim est idem simul esse, & non esse. Quicquid ergo est, perfectum est. *Omne* Ens *essentiam* habet. At vero *Essentia in indivisibili consistit*, nec περίδεσιν, nec ἀφαίρεσιν admittit. *Perfectum* ergo erit. Si quidem id *perfectum* sit, cui nihil addi, nihil demi possit. Denique, quicquid est, *creatum* vel *increatum* est. *Increatum* est Ens *summum*, cui si denegetur perfectio essentialis, manifesta implicabitur contradictio. *Creaturas* quod concernit, licet hæ non assurgant ad tantum perfectionis gradum, quæ est creatoris, suâ tamen congruente sibi perfectione destitui non possunt. *Non* enim *potuit primum principium quicquam efficere, quod sui esset aut simile pëitus, aut dissimile* ait subtilissimè *Scaliger Exercit: 5.* At ve-

Probatur è primis principijs.

rò *imperfectum* *simpliciter* & *essentialiter* statuere quoddam à primo principio productū, in summum istud principium manifestissime impingit. Erit enim ità productum aliquid à *principio primo penitus dissimile*, quod ἀδύνατον. Hæc de *affectionibus unitis*, quæ Enti *negationem addunt*. *Relationem* vero important *veritas* & *Bonitas*. *Duplex* enim *relatio* competit rebus ante nostram mentis operationem, ijsq; *essentialis* est (*à posteriori*) tum ad *intellectum*, tum ad *voluntatem*. *Alias* relationes Enti *intrinsecas & adæquatas* non est reperire. Istæ verò *utrumq; titulum* omnium calculo merentur. 1. *Internæ* sunt quia *respectus ad intellectum* & *voluntatem* non est *realiter* ab ipso Ente diversus. Cum Ens *desese* sit *conforme intellectui* & *voluntati* congruat. Uti heic possumus *Averrhoïs*, vel potius *Aristotelis*. 4. *Metaph. c. 3.* probatione cum *Dn. Arnisæo*. *Quæcunq; eâdem generatione & corruptione generantur, & corrũpuntur, nihil divisum* ab *invicem addunt*, sed *sunt idem*. *Ens* autem & *verum*, *bonum* eadem generatione generantur & corr: corrumpuntur. Nam cum *generatur homo generatur simul ut unus perfectus* ita *verus* & *Bonus homo*.

Relatiõe duæ sunt. Unitas & Bonitas.

quæsunt 1. *Internæ.*

Idem

Idem quoq; probatur ab *absurdo*. Nullum Ens foret *simplex*, si *relationes* à *veritate* & *bonitate additæ cum Subjecto* compositionem inferrent. Competunt enim hæ ipsæ *omni Enti* ideoq; etiam 2. *Adæquatæ* dicuntur. Nam uti *Verum* & *Bonum* à *parte rei ipsam essentiam* includit è *natura affectionum*, ita *omne quod est* à *veritate* & *bonitate denominari* potest. *Quicquid est*, vel *Deus* est vel à *Deo dependet*. *Deus* non potest non esse *Verus* atq; *Bonus*. Imò est ipsa *veritas* ac *bonitas*. Cum per ordinem ad *intellectum* & *voluntatem Dei* omnia alia *veri* & *boni* denominationem habeant. Quæ ergò à *Deo* dependent, non possunt esse *difformia* suo *archetypo*: Sed omnia conformia sunt *divinæ menti* & *voluntati*, à quâ veluti ἐκτετυπωμένα & expressa sunt. Omnia itaq; *Veritatem* & *Bonitatem essentialem* obtinent.

2. *Adæquata.*

Omne Ens est Verum & Bonum.

IV. Affectiones unitæ secundariæ sunt duæ: Duratio, quæ Entis permanentiam, & Vbietas, quæ adessentiam connotat.

Affectiones unitæ secundariæ dividuntur.

Sistunt hæ *affectiones* Ens sub *respectu* quodam velut *extrinseco*, quanquam verè sint *intrinsecæ* ipsi. Nam in *Esse* mane-

Videntur externæ.

manere, & alicubi esse, videtur extraneum respectum dicere ad *tempus* & *locum*, vel ut generalius dicam *ad nunc*, & *hic*: Verùenim verò *essentiales* sunt Enti. *Duratio* enim ab *Existentiâ non* differt *realiter*, cum *duratio Existentiæ nihil reale* superaddat. Si enim adderet *aliquid*, tum *in durante* quocunq; faceret *compositionem realem*: quod *absonum*; quia etiam *essentia divina simplicissima durare* dicitur Quia vero nec potest nominari *Entitas* aliqua ab *existentia distincta*, & *diversa realiter*, quam ipsi *enti actuali* superaddit *duratio*; permanendi actus. s. *continuatio essendi* à *parte rei* non differt ab ipsâ *actuali* essentiâ, unde ulterius constat: *Omne quod durat existere*, & *omne* quod *existit durare*. *Istud*, quod ipsa duratio dicat *existentiæ actum continuatum* ideoq; implicet *materialiter existentiam*. *Hoc*, quod nihil dici queat, omni quod plane destituatur duratione. Omne enim quod est, eo dum est, & aliquem essendi tractum habet, *hoc ipso* à duratione denominatur. Quippe quod *duratio* sit tum *momentanea* tum *diuturna*, & non minus Enti *successivò* competat, quam enti *permanenti* ut *infra* probabitur. Idem statuendum de

Sunt essentiales.

Probatur de duratione quod non differat realiter ab Ente.

Quod recte procetur cum Ente.

Omne Ens durat.

Vbie-

Ubietate; quæ dicit *quamvis ad-essendi ratione*m: τὸ *esse alicubi* non denominatem, sub *reali discrimine* ab *essentiâ rei*, sed radicatur *intrinsecè* in rei essentia. Contrarium qui statuit, necessum est asserat, non posse *Enti summe simplici* tribui *adessentiam* quod *absurdum*. Quin & *reliqua Entia*, quæ ab hoc attributo denominantur haud erunt *Entia per se*, sed per *accidens*, *quod* iterum *inconveniens*. Præterea *reciprocatur* quoq; τὸ *Esse alicubi* cum *Ente*, quia *id* quod *alicubi est*, verum *Ens* est: quod ἀναμφίδοξον; & vice versâ Omne *quod verè est*, si in rerum naturâ de facto existit, *alicubi est*. *Si enim* non *esset* alicubi, *nullibi foret*. Implicat vero *Ens esse & nullibi esse*. Idem *ulterius* constat *inductione omnium* quæ *sunt*. Ens *finitum* & *infinitum* exhaurit totam *latitudinem Entis*. At *infinitum* in *ubi* est *per ubiquitatem* vel *omnipræsentiam*: quia *nullibi* excl*usum*: *Finitum* verò quod est, *ubi* quoq; poscit, at *definitum*, ita ut *in certo ubi* includatur, adeoq; *omne ens verè* dicitur *esse alicubi*.

Ubietas non distinguitur realiter ab ente.

Reciprocatur cum Ente.

Omne Ens est alicubi.

Ποεἰσματα

Affect: unitæ simplicitur retrocurrunt cum Ente.

I. Affectiones unitæ simpliciter retrocurrunt cum Ente.

Non

Non ratione *essentiæ* : sed *suppositi*: ut omne *quod perfectum, unum, verũ, bonũ durare & alicubi esse* dicitur id omnino habeat *esse positivum reale, per se & in actu* constitutum. Et *conversim*; omne *quod esse* ejusmodi *habet, vere* dicatur *perfectum, Unum, Uerum, bonum, durare* & esse *alicubi*. Ut sigillatim jam jam explicabimus. In *quot* ergo *suppositis* reperiuntur hæ *affectiones*, in *totidem suppositis* prærequiritur *Essentia & reciproce*: Quotquot suam habent *essentiam*, totidem quoq; gaudent istis *affectionibus*.

Affect. unitar. numerus determinatus.

II. Affectionum unitarum numerus determinatus est.

Disjunctarum non est certus numerus.

In *disjunctis* attributis fortassis non licet ita definire numerum certum; Sunt enim perquam plurima, quæ sub *disjunctione* exhauriunt latitudinem Entis. At verò quæ simpliciter & *unitim* cum Ente reciprocantur, præter *enumerata* non occurrunt. Quod ex *præceptis* constat.

Alsted. plures addit unitas affectiones. Numerus an sit affectio Entis.

Addit *Alsted. in Encyclo. l. 5. c. 9. 10. 11. 12. Numerum, ordinem, pulcritudinem.* At *frustra* & præter *necessitatem*, *Numerum* definit *modum Entis quo Ens numerabile* esse *intelligitur*: Facitq; eum *duplicem*. *Absolutum*,

tatũ, quo *res in seſe* numerabilis, ac *respectivum* qui modificat rem numerabilem in *collatione* cum alijs. Ulterius asserit, *numerum respectivum fundari in absoluto* qui *sit unitas essentiæ*. Fumi verborum! Si *absolutus* numerus est ipsa *essentiæ unitas*, cur fingitur *distincta* Entis ab unitate affectio? Quid vero *numerus respectivus*? Si *actualis plurium collatio*? non est nisi *functio mentis*. Haud ergo *affectio Entis*. Si *numerabilitas plurium*? non potest non in fere *pluralitatem*. *Pluralitas* autem *tollit unitatem*. E. numerabilitas illa non radicatur in unitate. *Ordo Alstedio* est *modus Entis, quo Ens inconfusum esse intelligitur* is$_{3}$ iterum ipsi est cum *absolutus* tum *relatus*. *Refutat Timplerum*, qui *inordinationem* juxtà cum *ordine* affectionem Entis *disjunctam* fecit, sed *æquè absurdus* est. *Ubi ordo, ibi multitudo*. Regula est ipsius *Alstedij*: At *in Ente uno in seipso* spectato est ordo; scilicet *absolutus*, juxta eundem. E. in Ente uno in seipso spectato est multitudo: ἀντίφασις manifesta. *Ordo relatus* hic plane est heterogeneus! Quid enim *unitis & simplicibus* entis *affectionibus*, quà talibus, cum rerum mutua

An ordo sit affectio Entis?

συγκ

συγκρίσει vel *coordinatione*, aut *subordinatione*. *Pulcritudo* deniq; juxta *Alstedium* est *modus Entis, quo illud venustatis particeps esse intelligitur; Hanc* ait esse *quoddam consectarium, & veluti Colophonem cæterarum affectionum, & oriri ex convenientiâ Entis cum intellectu & voluntate.* Verum enim verò si maximè concedam, *pulcritudinem* non tantum accipi debere *stricte* pro *qualitate corporis è situ & temperie convenienti oriundâ* sed *& late pro convenientia* omni enti convenienti, non tamen ob id *peculiaris* erit Entis *affectio. Convenientia* ista nihil aliud est, quam ipsa *bonitas*, quam si libeat *pulcritudinem* vocitare, non repugnabo. Aut si mavis, sit *Colophon bonitatis*, & ita reducetur ad bonitatem. Hoc sensu admitto, quod *pulcre* dicitur *à Jamblich. Pulcritudo est circulus divinæ lucis ex bono manans, in bono residens, per bonum & ad bonum semper refluens* Miror autem quod *Alstedius* non introduxerit *plures affectiones unitas, appetibilitatem, admirabilitatem, amabilitatem* &c. Cum *omne Ens* statuat *appetibile, admirabile, amabile, & desiderabile.*

Pulcritudo num sit Entis affectio?

Pulcritudinis descriptio.

Omne Ens suam habet perfectionem.

III. Omne Ens suam habet Perfectionem. Intel-

Intellige de perfectione *transcendentali, essentiali* in *suo genere unicuiq; rei necessariâ*. Alias certum est non omne Ens obtinere quamvis *perfectionem specialem*, vel *simpliciter* & *absolute* perfectum esse. Ita *spiritus* obtinent perfectionem *propriam*; non *corporis*. *Substantiæ corporeæ* suam habent perfectionem non *spirituum*. *Accidentia* perfecta sunt suo modo, licet non eam assequantur perfectionem, quæ est *substantiarum*. *Quæcunq;* verò *perfectionem sibi debitam non habent*, ea *neq; sunt*. Cum *negato attributo inseparabili ipsum* quoq; *subjectum negetur*.

IV. Omne quod est, unum est. *Omne quod est unum est*

Sc. in *quantum verè est, & perse non peraccidens*. Quæ enim per accidens sunt, talem quoq; unitatem tantum habent. *Ita mundus non est unus*, nisi *ratione ordinis & per aggregationem*. *Tantum de uno quæq; habent, quantum de Ente 4. Metaph. c. 6.* Quod si contingat aliquid esse *certa ratione* multiplex, nihil omnius tamen semper etiam est unum quid *alio modo*. Sic *quæ multa sunt partibus, unum sunt toto &c.* Summatim. Nulla *datur multitudo quæ*

de uno *non participet* Nisi enim Entia plura unitate sustententur, ne erunt quidem.

Omne Ens Verum est.

V. Omne Ens Verum est & vice versa.

Constat ex *adæquatione Entis & veri* quæ infert *reciprocam prædicationem*, E *primo* quod omnis res vera sit, concludes *falsum non esse in rebus*. Impossibile enim idem simul esse & non esse. *Alterum*, quod veritas præsupponat essentiam, *speciatim* applicare licet ad *essentiam divinam*; hoc modo: Qui *est verus Deus*, *ille habet essentiam verè divinam*. Hinc redarguo *Photinianos*. *Catech. Rako. p. 64*, ait. *Christus etsi verus Deus sit non est tamen ille ex se unus Deus, qui per se, & perfectissimâ ratione Deus est*. Apertissima contradictio, *Verum Deum* (absint verborum præstigiæ) dicere, qui non sit *essentiâ, naturâ Deus*, vel qui non obtineat *essentiam & naturam divinam*. *Verum Deum* dicere, cui non competat *definitio veri Dei*. *Verum Deum*. qui non sit *unus*, qui *non sit perfectissimus*. *Veritas identificatur essentiæ*, *Essentia divina unitissime* ut ita loquar, *una est*, & *perfectissime perfecta*.

Falsum non est in rebus.

Verus Deus non est qui non est naturâ Deus.

Qui

Qui ergo *verus Deus est.* [NB. non tantum dicitur Deus nominetenus, sed verus Deus est] qui non sit *unus ille Deus*, Ens *omnium perfectissimum?*

VI. Quod non est bonum ne est quidem. *Quod non est bonum ne est quidem.*

Verum est de bonitate *transcendentali*: quam *Deus* habet *per essentiam*: Et *omnia*, quæ à Deo sunt, per *communicationem gratiam*. Sic & *Diaboli in quantum sunt, bonitatem essentialem habet*, & omne quod modo quovis est, vel *bonum est*, vel *in bono*. Ut *privationes, peccata &c.* licet *in se formaliter* bonitatem nō habeant: attamen in *bono* ceu *materiali* sunt. Ita *actus vitiosi* considerati ratione *motus* & *materialiter bonitate transcendentali* non destituuntur, quamvis ratione *defectus* & ἀτοξίας, adeoq; *formaliter boni* non sint v. c. in *furto materiale* est *contrectatio*, quæ per sese non est mala; at *formale illicitum* est, & ἀνομία in ista contrectatione *bona* minimè est, sed pugnat cum voluntate divinâ. *In quantum* itaq; *res deficit à bonitate, in tantum etiam ab* Entitate. Adeò ut *nulla Essentia positiva mala esse posit*, quod notandum contra *Flacianos, malum* *Omne quod aliquo modo est, vel bonum est, vel in bono.*

Nulla essentia positiva est mala.

substantiale asserentes, & Manichæos principium aliquod summum malum oppositum summo bono impiè comminiscentes.

Duratio est rebus essentialis.

VII. Duratio est rebus essentialis.

Est enim à *parte Rei* ipsa *Existentia*, *Immutabilis* itaq; est rerum duratio. Hinc *duratio divina nulli rei creatæ communicari potest*, quæ extrà Deum est.

Ubietas competit omni rei inseparabiliter.

VIII. Ubietas competit omni Enti inseparabiliter.

Omni Enti: adeoq; & *accidenti*. Saltem ἀναλόγως. Cum enim accidens sit in subjecto, quod certum, consequenter etjam *accidens alicubi esse* dicitur. *Scalig. Exerc. 359 s. 5. Ubi* dicit, *est circumstantia necessaria omnibus* Entibus *præter Deum*. At, quid vetat Deo ascribere *Ubi?* qui *ubiq; est*, adeoq; *nullibi* non est. *Inseparabiliter*, quia affectio à suo subjecto separari nequit. Idcirco etiam *immutabiliter cuivis Enti* competit *sua Ubietas*. Τὰ γὰρ ὄντα πάντες ὑπολαμβάνουσιν εἶναί που; Ea quæ sunt omnes existimant alicubi esse, ait *Aristot. 4. Phys. c. 1.*

SUBSE-

SUBSECTIO II.

Considerans Affectiones Unitas SIGILLATIM.

Jam itaq; C. D singulas affectiones unitas *perpendamus, in quo maximum situm est sapientiæ transcendentalis momentum.* Ordinem *observabimus eum, quem* antecedens *monstrabit* subsectio: *à* primariis *progressuri ad* secundarias *à* simplicibus simpliciter *&* absolutis *ad* relativas *&* cum rationabili respectu simplices.

CAPUT III.

De Perfectione.

Perfectionem *inter absolutas & simpliciter simplices primam primo loco contemplamur. Videtur enim ea essentiæ maximè propria. Et certè: summa atq; arctissima intercedit perfectioni cum rei essentia necessitudo. Quæ est causa, ut* magni Philosophi *perfectionem pro* synonymo *entis habeant. At verò his assurgere non possumus. Cognationem magnam agnoscimus; identitatem omnimodam agnoscere non possumus. Aliud est* formale perfectionis, *alius* entis conceptus. *Essentiam cum apprehendo* præcisè, *non concipio* distinctè *&* expressè *perfectionem. Quamvis* in re *idem sit essentia & perfectio.* Et Paronymicè *saltem prædicatur de ente perfectio, dum ens perfectum dicere licet, non ipsam perfectionem. Alioquin* omne Ens *foret ipsa perfectio,*

Perfectio cur sit prima affect.

Perfectio an sit Synonymum Entis?

ctio, quod valde absonum. Adde, quod τὸ esse perfectum non dicatur essentialiter de omni Ente. Ergo nec de Ente quâ tali. Deniq; quod essentia & perfectio contradicentia admittant prædicata, quod est sufficiens distinctionis formalis argumentum. Huc junge, quæ dicta proximo capite. Perpende singula. Non dubito abiq; quin locum mereatur affectiones inter unitas perfectio. Hujus considero tùm ὄνομα seu Nomen; & quæ secundum Nomen sunt distinctiones: tùm νόημα seu conceptum, & quæ sit conceptus analogica participatio?

Perfectionis homonymia.

I. Perfectio transitivè notat actum perficientem: possessivè habitum rei perfectæ, ut hoc loco.

Perfectio effectivè & subjectivè.

Perfectio dicitur à *perficiendo*. Sumitur itaq; *vi nominis* tum *effectivè* & *transitivè* pro *actu efficientis*, quo res fit & perficitur, tum *subjectivè* pro *re jam productâ & perfectâ*, vel *actionis termino*. Ibi designat *influxum ad esse* perfectum, estq; ea *perfectio ex eorum numero entium, quæ non sunt, nisi fiant*. Uti loquitur *Scalig. Exerc. 6. s. 5.* Hic denotat *ipsum esse* perfectum, & rem, quæ assecuta est suum complementum. Illa est perfectio *sensu causali*, & ab *extrinseco*; hæc *sensu formali* & ab *intrinseco*. Græcis ista dicitur τελείωσις; hæc ἐντελέχεια, vel etiam τελειότης.

Prior

Prior perfectio *duplici ratione* ſpectari poteſt, tum in *ordine* ad *cauſam producentem*, quam denominat *perficientem*, & in qua præſupponit virtutem & *potentiam agendi*, quod eſt *perfectionis*, tum in *reſpectu* ad *opus productum*, quod dicitur *effectum* & *perfectum*, & in quo infertur *potentia perfectibilis*, quæ eſt argumentum *imperfectionis*. Nam *actio inter duo volvitur, agens & patiens*. Eſt *fluxus ab agente*, ceu principio *in patiens* tanquam ſubjectum. *Illud* perficit, ideoq; *perfectionem* ſuam obtinet. *Actus* enim *præſupponit virtutem agendi*. *Hoc* perficitur, ideoq; de ſeſe nondum *perfectum* eſt. Quod enim fit nondum eſt. Ita actus ille, quo *Deus creaturas potenter perficit* Deum denominat *perficientem*, arguitq; in Deo *virtutem perficiendi* eminentem; *creaturas* verò dicit *perfici*, ideoq; arguit *perfectionis indigas*; ſe non perficit Deus agendo, quia perfici non poteſt, ſed creaturas, quæ ſine Deo perfectæ non ſunt, imò planè nihil ſunt. *Perfectio duplici ratione ſpectari poteſt.*

Perfectio cauſalis.

Perfectio formalis.

Poſterior perfectio dicit *actum formalem rei ab alio profectæ & perfectæ*. Notat ergo *internum eſſe perfectum*, ſed ſimul connotat *externum principium* à quo effectum. Reſpondet huic Græca vox τέλειον, perfectum,

fectum, quod est quasi πρὸς τὸ τέλος, ad finem perductum. τέλος enim est postrema rerum perfectio. Unum quodq; autem tunc τέλειον dicitur quum finem seu τὸ τέλος assecutum est. Adsequitur verò aliquid perfectionem vel *sine successione*, *quod simul affectum, simul effectum*: ita *simul ac Deus dixit perfecta fuêre omnia*: vel *cum successione* quod *primo* intenditur *post* inchoatur, *deinde* continuatur, *demum* consumatur & absolvitur: ita *omnia in cælo & terra intra hexaëmeron creationis dicuntur perfecta*: atq; complementum suum accepisse. Hoc ergo sensu verè *Thomas* ait: Quod *factum non est perfectum proprie dici non potest*. Distinguendum verò inter *primam vocis impositionem*, & inter ejusdem ad *alium usum transumtionem*. Haud raro enim vocis usus deviare solet à prima impositione. Quocirca rectè subjungit *Thomas*: *sed quiâ in his quæ fiunt tunc dicitur aliquid esse perfectum, cum de potentia educitur in actum, transumitur hoc nomen perfectionis ad significandum omne illud cui non deest esse in actu, sive hoc sit per modum perfectionis* (id est, productionis extrinsecæ seu influxus perficientis) *sive non. Primâ impositione*

Qua acquiritur vel sine successione.

vel cum successione.

Dist. vocis impositionis & usus.

vox

vox perfecti multiplicem in volvit *imperfectionem*, eò quod inferat *dependentiam ab extrinseco*. At defecata est omnis imperfectio in *celebriori* vocis *significatione*, quia perfectum denotat quod *negat defectum*. *Alij* distinguunt inter vocis *acceptionem participialem* & *Nominalem quod ista* inferat respectum ad aliquid *perficiens*, sicuti *omnia participia passiva explicantur per respectum* ad *agens*, *hæc* præscindat respectum & designet *abstractè* id, cui nihil deest in essentia sua, *sive* illam perfectionem habeat aliunde dependentem, *sive* non. Jam constat, quod Perfectio hic non sumatur 1. *Transitivè* pro actu effectivo sed *possessivè* pro actu formali. Non enim hic de *agentis effectione* agitur sed de *unita entis affectione*. Actio est formalitas efficientis, Efficiens causa est, Causa est membrum disjunctæ affectionis, quæ non nisi cum causato, Enti adæquatur. At *habitus vel possessio essentiæ perfecta denominat ens universaliter*. Cum omne ens perfectam habeat essentiam. Verum id intelligendum 2. de *perfecto* non juxta primam *impositionem* sed juxta *transumtionem* vel de perfecto non *participialiter*, quod ab extrinseco

Perfectio. Nominal. & partic.

Quomodo perfectio hic sumatur.

dependentem habet perfectionem, sed *nominaliter* quod perfectionem habet intrinsecam præscindendo respectum ad agens & dependentiam. Perfectum enim convertitur cum ente. At non omne ens est effectum. Deus perfectissimè perfectus est. Contradictorium vero est Deum effectum dicere Idcirco perfectum designat id, quod ab essentiali sua integritate non deficit. *Æquipollet* proinde *perfecto Totum*, quod vocant *perfectionale*, Cum juxta *Scalig. unumquodq; totum sibi & perfectum dicatur eo quod eorum quæ habere debet, ei nihil desit.* Quanquam *aliàs* totum perfectionale ita dicatur ob *totalitatem perfectionum* & totaliter *omnem perfectionem* includat. Quo sensu *solus Deus* dicendus *totum perfectionis*, vel ut *Scali, totus sine partibus.*

Synonym. perfecti totum.

II. Perfectio formalis sumitur vel ἁπλῶς & absolutè vel συγκεκριμένως & comparatè. Isto modo consideratur res quævis perfecta in sese, heic comparantur res inter sese, & sic una alterius ratione imperfecta sæpe dicitur.

Perfectio absolutè & comparatè.

Necess-

Necessaria est hæc *distinctio* ut *transcendens perfectio* investigetur. Alia enim est *perfectio absoluta*, quæ unicuiq; Enti *in se* citrâ collocationē ad aliud competit: alia *comparata*, quâ in rerum συγκρίσει una dicitur *alterâ perfectior*. *Ista* hujus loci propria est: non *hæc*. *Illa* enim essentiæ identificatur: *hæc* non item, cum *essentia non admittat magis & minus*, juxta hanc verò unum dicatur altero magis perfectum. Ita *Metallum unum altero est perfectius, materia* in comparatione ad *formam imperfecta* est. *Creaturæ* non merentur dici *perfectæ* in ordine ad *perfectionē summam*: nō quod *imperfectio* quædam ijs insit in *genere entis*; sed quod diversimoda sit *perfectionis participatio in speciali essendi ratione*; *Essentialiter* enim & *absolute* nihil est imperfectum: *omne metallum in suo genere* perfectum est: ipsa *materia prima* suā habet perfectiones, cum non destituatur ijs, quæ ad esse suum spectant, *creaturæ* in universum *omnes* per participationem habent esse perfectum, *singulæ in suo ordine*. Notandum enim quod *alio sensu* perfectio *absoluta* cōtradistinguatur perfectioni *secundum quid*, ut *prior* competat ei, quod summam perfectionem habet, ut

Absolut. & secundum quid perfectum.

ut *solus Deus perfectus est: posterior* sit ea quæ licet imperfectione admistâ *unicuiq;* tamen *naturæ* debita est: dicitur *perfectio in certo genere*, qualis creaturis competit. Ita *Angeli, homines &c.* perfecti dicuntur, & *quævis creaturâ* sibi debitam perfectionem habet. *Perfectum* namq; dicimus, *quod non habet admistum contrarium.* *Aurum* illud dicitur *perfectum* quod nihil habet admistum *aliorũ metallorum: Vinum* eò magis est perfectũ, quò minus ei ineſt *aquei humoris. Semidoctus* est imperfectè doctus, quia *eruditio* conjuncta adhuc est cum *quadam ruditate.* Et sic in *alijs secundum quid perfectis.* Inde *absolutè* perfectum est, quod nihil imperfectionis admistum habet, omniq; defectu caret. Cæterum quæ *secundum quid* perfecta sunt, quia aliquid habent imperfectionis, etiam ejusdem ratione *imperfecta* dici solent. Ita quoq; *comparativè* dicuntur quædam imperfecta (quæ in sensu *absoluto* vel in *esse suo* perfecta omnino sunt) Ita *imperfectæ virtutes*, vel *semivirtutes* licet nondum perfectè correspondeant rectæ rationi, in *suo* tamen *genere perfectæ* sunt. Ubi distinguendum inter *perfectionem debitam & indebitam.* *Istius* absen-

Perfectum quod non habet admixtum contrariũ.

Perfectio debita & indebita.

absentia dicitur *imperfectio privativa*: Cum enti deest eorum aliquid quæ suo gradi entitativo verè debentur, ut *si homo est cæcus vel surdus*. *Hujus* carentia dicitur *imperfectio negativa* cum enti deest non quidem id, quod habere debet in ordine suo, sed *quod in alio est perfectionis*: ut cum *arbor non possit loqui* ut *homo*, *negativè imperfecta* dicitur, *Homo* est imperfect us *negativè* quia futura *contingentia non præscit*. Aliter explicant *perfectionem positivam & privativam*. *Illam concessione omnis boni*: *hanc remotione omnis mali*: Ita *Thomas* tribuit *Angelis ante lapsum statum perfectum* non *positivè* plenitudine omnis boni, qui *confirmationem in bono* includit: sed *privativè*, quâ *omne malum culpæ & pœnæ* removet etiam ante confirmationem in bono.

Imperfectio privativa.

Negativa.

Alia explicat. perfectionis positivæ & privativæ.

III. Prrfectio est vel essentialis vel accidentalis. Et hæc tùm naturalis, tùm artificialis, tùm moralis, tùm spiritualis, tùm cœlestis.

Distinctio nominis.

Essentialis huc spectat & transcendentaliter Ens denominat. Dicta *Essentialis*, quod concernat ipsam essentiam

Perfectio Essentialis cur ita vocetur.

nos

non constitutivè sed consecutivè. Nihil enim magis proprium enti reali quàm habere suam perfectionem in essentia sua. Ideoque accidentalis est, quâ nihil deest eorum, quæ non quidem essentiam rei concernunt, ad integritatem tamen vel bene esse, vel operationes vel ornamentum requiruntur. Prior inseparabilis est à re ut essentia; Ideoq; opposita imperfectio essentialis non datur: Posterior est separabilis, si non vi naturæ, saltim virtute superioris potentiæ: Ideoq; nulla implicatur contradictio si à re separari dicatur, quo nomine accidentalis appellatur. Unde & accidentalis imperfectio occurrit. Est autem perfectio hæcce Naturalis, qua rei nihil deest ad statum naturalem, eaq; est vel interna vel externa. Interna perfectio tum quantitatis, in eo quod habet quantitatem sibi debitam. Ita unicuiq; naturæ tam animatæ quam inanimatæ certa debetur quantitas: Unde naturale maximum, ultra quod ascendere, minimum, infra quod descendere nequit perfectio naturæ, in quo vis genere, ut in Physicis docetur. Ita absolute perfectum in quantitate est mundus: Secundum quid v. c. homo debitam suam Naturam consecutus, tum qualitatis & facultatis,

Accidentalis.

Quo sensu.

Est q; Naturalis.

Interna ratione quantitatis.

latis, quod vires habet sibi debitas in gradu naturæ suæ. Ita *ignis perfectum habet calorem; Sol perfectam lucem absolutè: & quodvis in suo genere* facultatibus naturalibus debitis sibi præditum perfectum dicitur. Ita *homo in statu primævo simpliciter* potest dici perfectus, quâ facultates naturales, secundum quid p. t. &c. *Facultatis*

Externa est ratione *finis*, in eo quod fine suo fruitur, idq; *perfectum* est tum *effectivè* quod producere potest tale, quale ipsum est; ut *idem homo alium generare potest*, tum *imitativè*, quod imitatur aliquid perfectè, quemadmodum *discipulus ὑπογραμμὸν respicit*, quod exprimere studet. Ita *natura perfectionis æmula*, cujus *idea in Deo*, quò finem suum assequatur: tum *repræsentativè*, quod *imago perfecta* dicitur, quæ ad *exemplar* exactè congruit. Possunt autem hæc quæ de perfectione *naturali* seu *Physicâ* dicta, etiam per *ἀναλογίαν* applicari ad alios *perfectionum modos*. Ita quoq; facile constat *naturalis imperfectio*. *Quantitatis* imperfectionis in *excessu* exemplum est gigas; in *defectu* nanus. Ita *aqua tepida* imperfecta est ratione *qualitatis*, quia neq; calorem, neq; frigus perfectè habet. Ratione *Externa ratione finis.*

Naturalis imperfectio.

tione finis imperfect⁹ dicitur *infans*, quod *nondum generare poſsit*. 2. *Artificialis*; quâ artifici nihil deeſt eorum quæ ad artem ejus requiruntur. Complector autem *nomine artis* omnem habitum intellectualem. Eaq; perfectio dicitur *abſolutè*, qua in *arte quis excellit*, ſi modo datur alicui ſummum gradum conſequi: ut *perfectus Muſicus* vel *Logicus*, qui in iſta *canendi* vel *argumentandi* arte *excellit*, *tùm ſecundum quid*, qui perfectionem ſaltim aliqualem conſecutus eſt. 3. *Moralis* ſecundum quam alicui nihil deeſt in habitu virtutis, quæ in iſto ordine tum *eminens & ſingularis eſt*; qualis *heroica* perfectio; tum *communis & ſecundum quid* perfectionis nomine venit, ut cum quis *perfectè juſtus*, fortis, dicitur qui iſto *habitu pollet*. 4. *Spiritualis*, quæ eſt hominum fidelium in hac vitâ: eaq; tum *imputata*, qua relativè dicuntur perfecti abſolutiſſimâ Redemptoris ſui perfectione verâ fide apprehenſa: tùm *inhærens*, qua ipſis adſcribitur in rebus ſpiritualibus perfectio non *conſummata* ſed *inchoata*: non *abſolutè* ſed *comparatè*, non tam ratione *actus* quam *conatus*. Dicuntur enim *perfecti* in oppoſitione ad aliorum vel

2. Artificialis.

3. Moralis.

4. Spiritualis.

injuſ-

injustitiam, vel hypocriticam justitiam, aut in relatione ad terminum perfectionis ad quem adspirant, quanquam cum magnâ imperfectione. *Prior* denominatione *extrinsecâ*, *Posterior intrinseca*, *utraq; verè & realiter* ipsis competit: sed de his *Theologi*: Ad quos etiam spectat *perfectio 5. Cælestis*: quam adscribunt beatis in alterâ vitâ, ubi omnimoda perfectionis consummatio. Remota *perfectione accidentali*, consideranda remanet nobis *perfectio essentialis*. Hujus loci quoque est illa *distinctio, perfectionis partium*, quâ vocant *essentiæ*, & definiunt *totalitate partium sibi debitarum*, & perfectionis *graduum*, seu *eminentiæ*, quæ definitur *excellentia* in omnibus debitæ perfectionis gradibus & momentis. *Prior*, cum transcendente cognationem habet, vel certè planè coincidit, *posterior* non item. Cum nulli dentur gradus essentiæ, utpote quæ nec magis nec minus admittit. *Utraq;* solet specialibus perfectionis modis applicari. Sic dicunt *Logicam Aristoteleam* perfectam ratione *partium* non *graduum*. *Opera renatorum* perfecta in hac vitâ non ratione *graduum*, quod eminentissimo modo perfecta, sed ratione *par-*

Cælestis.

Perfectio partium & graduum.

ne *partium*, quod singulis decalogi præceptis suo modo respondeant.

Perfect. definitio.

IV. Perfectio est attributum Entis unitum, quo res denominatur expers omnis defectus Entitativi.

Formalis ratio perf.

Formalis ratio perfectionis exprimitur negatione, quâ concipitur in Ente *tò non destitui iis, quæ ad integritatem, vel ad esse rei pertinent. Schvarezio* perfectio dicitur, *extra quod non est ullam partem accipere*, seu cui *nihil deest*, sed id de perfectione *absolutâ* accipiendum, quæ est *eminentiæ*, non de *transcendentali essentiæ* perfectione. *Averroi* definitur perfectum id, *in quo nihil invenitur, per quod dicatur imperfectum.* Sed & illud dextrè explicandum. *Dn Scheiblerus* perfectum describit: *quod sit id cui nihil ad essentiam deest*, & perfectionem dicit nihil aliud esse, *quàm essentiam carentiam defectu eorum, quæ ad eam requiruntur.* Ex *Aristot 5. Metaph. c. 16.* & isto ICtorum *l. 1. D. de orig. juru.* *Nihil perfectum est, quod non ex omnibus suis partibus constet.* Ita percurrendo singula Entis genera, unumquodq; perfectè suum esse obtinere dicitur, non alia ratione,

Probatur indefectibilitat. esse formale perfect.

ne,

ne, nisi quod nullo destituatur eorum, quæ ad esse in genere suo requiruntur. Unde constat, hâc negatione exprimi *formale* perfectionis. Accedunt perfectiones *accidentales*: quæ itidem aliter explicari non possunt, quam per ejusmodi negationem. Perfectio *naturalis* est, quâ rei nihil deest ad bona naturæ. *Artificialis*, quâ nihil deest ad habitum artis, & sic consequenter. Inde ergo perfectio *essentialis & transcendens* dicet negationem, quâ nihil deest ad essentiam rei. *Ad essentiam* inquam. Non ad *accidentalem rei statum, vel conditionem*, quæ sit extra essentiam. Ejus enim carentia non destruit perfectionem transcendentalem. *Materia prima in esse suo perfecta est*, licet istâ accidentali perfectione careat quam à formâ accipit. *Perfectus est essentialiter homo*, etiam qui deficit in ijs, quæ ad perfectionem specialem requiruntur. V. c. si *truncatus sit membris, vel cæcus, surdus, &c.* hæc enim ad esse hominis quâ tale non pertinent, modo non desint *membra principalia*, quibus sine homo esse non potest, sed dissolvitur conjugium animæ & corporis. Optimè itaque dici potest formale perfectionis es-

sentiæ *Indefectibilitas*. Quam enim impossibile est, ut Ens maneat sublatâ essentia, tam impossibile est essentiam manere deficientibus, quæ ad essentiam spectant. Ut recte unumquodq; dicatur *indefectibile, non absolute*, quod nullatenus deficere possit ab entitate: sed *determinate*, quod salvâ Entitate non possit carere ijs, quæ sunt de essentiâ.

Perfectionis divisio.

V. Perfectio est duplex. Eminens & Contracta. Illa est, quæ complectitur omnem perfectionem, & excludit omnem imperfectionem, tùm privativam, tùm negativam. Estq; solius Dei. Hæc definitam dicit perfectionem, & excludit imperfectionem saltem privativam; & est omnium quæ sunt à Deo.

Perfectio Eminens.

Eminens dicitur, non tantùm quod emineat supra omnia, sed & quod abq; ullâ sit aptitudine, ut limitetur. *Damascen.* vocat πλεῖον ὑπερτελεῖ καὶ ὑπερπλεῖον *perfectum super perfectum, & ante perfectum.* Omnem includit *perfectionem* continentia eminenti, sibiq; convenienti.

Quid sit?

Omnem

Omnem excludit *imperfectionem*, quia deficere nequit ullatenus, quod absolutissimè perfectum est: tum *privativam*, cum nihil desit ipsi, ad integritatem sibi *debitam*: tum *negativam*, ut nihil ipsi desit perfectionis *possibilis* quæ alteri saltem debetur: scilicet *formaliter*: huic verò vendicatur *eminenter*. Ita *Deus est absolutissimè perfectus*, ut plane ipsi nihil *desit*, *aut deesse possit*, seu στερητικῶς, hoc est, *privativè*, seu ἀρνητικῶς, hoc est, *negativè*. Unde Deus dicitur *Ebræis* tali voce, quæ ab *universitate* deducitur quod in Deo sint *bona universa*. *Græcis* Πᾶν seu *Omne*, non quod ex multis compositus, sed quod in ipso velut fonte omnium rerum perfectiones habeantur. *Scaliger* eleganter: Πᾶν, inquit, *non significat naturæ numerariam distributionem, sed essentiæ infinitatem*. Quod *Ægyptij circulo* hyeroglyphicè exprimunt, quæ est figura omnium perfectissima, in semetipsam redicens, & capacitate suâ omnes complectens. Notum est illud *Hermetis*: *Omnia in te ô Ens. Omnia ex te; Omnia das, & nihil accipis: Omnia habes, & nihil quod non habes. Tu enim omnia es, nec quicquam aliud quod non sis tu*, Cæterum adscribitur Deo *quadruplici perfectio.*

Est solius Dei.

Quomodo Deo adscribatur perfectio.

plici modo *perfectio*. 1. *Originaliter*, quia ἀυτοτέλεια. 2. *Essentialiter*, quia *ipse solus* est sua perfectio. *Scal. Exercit 365. s. 6. 3. Virtualiter*, quia potis est sine omni adminiculo, vel etiam per organa maximè vilia perfectissimè operari. 4. *Actualiter*, quia & ἐνέργεια ejus perfecta est, cum per voluntatem suam sine ullo motu agat, quicquid agit: & ἐνεργήματα perfecta sunt, quæ producit, unumquodque in suo genere. *Contracta perfectio est limitata*, & restricta, ita ut non repugnet dari excellentiorem perfectionem in gradu Entis. Estq; ea *imperfectioni* quoq; admista, non *privativè*, quasi destituatur debitâ suâ integritate. Ita enim omne Ens est indefectibile. Sed *negativè*, quod non habeat omnes gradus perfectionis, in universâ Entis latitudine possibilis. Ita *creaturæ* quidem obtinent perfectionem sibi debitam, in *suo gradu*; sed nondum omnem habent perfectionem in *genere Entis*. Unaquæq; enim magis habet *non esse*, quam *esse*, quum ultra naturam sibi debitam non assurgat, aliasque perfectiones non assequatur. Potest autem *contracta perfectio* creaturarum considerari tùm in *momento* primo, seu ratione

Contracta perfectio quid?

Est creaturarum.

Duplex est.

lione *essentiæ*, quæ κυρίως ita dicitur, quum unaquæq; suam debitam sibi naturam habeat? tùm in *momento secundo*, seu ratione eorum, quæ *consequuntur essentiam*, quæ sunt tùm *affectiones*, tum *operationes propriæ*, & uti abesse possunt citrà contradictionem à subjecto suo, ita non attinent perfectionem transcendentalem. Similis est *distinctio* perfectionis in συσκευὴν *constitutionis*, ἐνεργητικὴν, *operationis*. τελικὴν *seu finis consecutionis*.

Ποεήματα.

I. Quicquid perficitur, ab alio perficitur. *Quicquid perficitur ab alio perficitur.*

Perficere enim idem se ipsum non potest, *essentiam sibi largiendo*. Quamvis sæpe dicatur quis sese perficere *accidentalem perfectionem* sibi *acquirendo*. Quum enim perfectio dicat actum effectivum necessariò utrique infert eum à quo est alterius perfectio. Idem non est causa sui ipsius. Possumus quoq; id applicare in specie ad *perfectionem spiritualem*. Qui omni *perfectione spirituali* destituitur, imò totus oppositæ imperfectioni immersus est, is certe semet ipsum spiri-

tualiter perficere haudquaquam potest. Quemadmodum enim is, qui destitutus est omnibus naturalibus facultatibus, nullatenus sibi acquirere potest facultates naturales. Ita qui omni planè destituitur perfectione spirituali, sibi relictus ejusmodi perfectionem obtinere potest nullus, sed ab alio perficiatur necessum est.

Perfectio non infert motum in perficiente.

II. Perfectio effectiva nullam dicit mutationem in perficiente.

Quamvis enim in *creaturis* conjuncta sit cum *motu*, & prærequirat *intentionem*, non tamen id perfectioni effectivæ quà *tali* adscribendum: cum *Deus* citra motum vel mutationem aut præviam *intentionem* agat. Explicat id *Lombardus*. *Quum dicimus Deum aliquid facere non aliquem in operando motum illi ineſſe intelligimus vel aliquam in laborando paſſionem, ſicut nobis ſolet accidere, ſed ejus ſempiternæ voluntatis novum aliquem ſignificamus effectum, id eſt æterna ejus voluntate noviter aliquid exiſtere.* Sicut ex calore solis aliqua fieri contingit, nulla tamen in ipso vel in ej° calore factâ motione, vel mutatione;

Ita

Ita & Dei voluntate nova habent esse sine mutatione autoris, qui est unum & solum & omnium principium. Ita explicant *Patres*, quomodo Deus per creationem non sit mutatus, neq; perfectionis augmentum acceperit. *Cum perfectio Dei in eo sit, quod idem ipsum est, propterea non auget eum id, quod alterius est. Quemadmodum unitati id nihil confert ad ejus perfectionem quod principium sit numeri. Cum etiamsi numeri principium non esset, perfecta tamen esset, & cum principium ejus facta sit, aucta tamen non est. Sic Deus quoq; ante creationem perfectus erat, & post creationem auctus non est, ait Justin. in qq. & resp. ad orth. q. 113. p. 361.*

III. Non omne quod perfectum est, absolutam obtinet perfectionem. *Non omne perfectum absolutè perfectum est.*

Dantur enim *gradus perfectionis. specialis* scilicet, non *transcendentalis*. Dicitur namq; perfectum non modo id, extra quod non est ullam partem accipere, ut *5. Metaphys. c. 16*, seu quod omni ex parte consummatū est. Sed & alio modo perfectum dicitur, quicquid sub aliquâ ratione Entis habet perfectionem simpli-

citer necessariam & essentialem; *quomodo puer potest dici perfectus homo. Et similiter Theologi dicunt. Charitatem remissam, licet dicatur imperfecta respectu intensæ, tamen simpliciter & quo ad essentiam esse perfectam. Quomodo ait Johann. 1 Canon c. 2. Qui servat verbum ejus, verè in hoc charitas perfecta est.* Ita *Schvvarez disput. 10. s. 1. n. 15.* quod contra alios *scholasticos & pontificios* notandum, qui omnimodam perfectionem charitatis è nomine perfectionis elicere satagunt.

Perfectio non admittit magis & minus.

IV. Perfectio non admittit magis & minus.

Essentia enim *sola perfectio est. At verò cujusq; rei essentia est indivisibilis* Scalig. *Exerc. 106. s. 2.* Consistit ἐν ἀδιαιρέτῳ καὶ ἐν ἀτόμῳ in indivisibili, & in puncto *7. Metaph. 6. 7.* idcircò uti nec intensionem nec remissionem recipit, ita quoq; divisionem non patitur. *Timpl. 1. Metaph. 2. q. 7.* Hinc *Scaliger* sapientum patientiâ abuti adserit, qui *formam* ait *majorem aut minorem.* Nimirum unaqnæque *essentia suam habet perfectionem, quæ nec excedi, neque imminui potest.* Alsted, *Encycl. Metaph. 6. 2. reg. 3.* Intellige itaq; cononem de

per-

perfectione essentiali & transcendentali, non verò speciali & accidentali: Cujus ratione unum altero est perfectius, quin & se ipso pro diverso statu. Cæterum essentia est ἀμέρισον ἓν, & partibus destituta. Scilicet in se abstractè, & ut forma pura: licet ἐν ὑπάρξει ratione certi subjecti vel suppositi & concretè divisionem admittat: Inde distinguit B. Meisner. p. 1. philos. sob. s. 4. c. 3. q. 2. inter *totum & essentiam totius*, quod ipsum totum quidem ex partibus confletur & integretur, totius tamen essentia unica sit & simplicissima, nullasque prorsus partes componentes admittat. Componi enim totius est, uti componere partiũ. Essentia vero quemadmodum non componit, ita nec componitur. Sed composito simplex & indivisum esse dat. Cum in *essentiâ non locum habeat multitudo*, ut rectè *Alsted. l. c.* Ἀφιλόσοφον ergo est, καὶ ἄλογον, quod *idem ibid.* cum *Goclen.* aliisq; sociennis contendunt quandam essentiam intendi vel remitti posse additione, vel detractione partium; nimirum ut obtineant; *ἀρτοκλασίαν esse partem essentiæ sacramenti, quæ tamen possit abesse à sacramento, salvâ ejusdem essentiâ.* At verò neq; essentia

partes

partes habet; Neq; totum essentiale manet ablatâ parte essentiali. Confundunt autem tum actus sacramenti partiales, cum ipsa essentiâ totius sacramenti, ut è dictis constat, tùm actus παρασκευαστικὸς, καὶ δεικτικὸς quod *alibi* ostensum.

Perfecto nihil accedit vel decedit.

V. Perfecto nihil potest accedere vel decedere

Iterum verum est, de perfectione *essentiali*. Est enim essentia *instar numeri*, cui nihil addi aut detrahi potest, sine speciei mutatione. *8. Metaphys t. 3.* Et perfectum est cujus ad augmentum accessioni, vel additionem decessioni nō est locus. *Scal. Exerc. 249. s. 1.* vel quod nec πρόθεσιν nec ἀφαίρεσιν admittit. Ideò quod in puncto cōstituta sit perf: Quod ergo purè est essentia, & nil nisi ipsa perfectio, id nullum accessum, nullam quoque decessionem admittit. Contrà *Vorstij* blasphemias, qui *divinæ essentiæ* simplicissimæ ac perfectissimæ accidentia adjungit, & nova decreta, scientiamq; novam Jehovæ non veretur tribuere. Et *Calvin.* nonnullos qui ὑπερέψωσιν Christo juxta Deitatem quoq; tribuunt, & hoc

hoc pacto perfectionem quandam in tempore acceſſiſſe ipſi perfectioni non poſſunt non admittere. Abutuntur autem hoc axiomate *Photiniani* ad evertendam τῦ λόγυ *incarnationem*, quod Deo nihil poſſit accedere ob *ſummam perfectionem*. Reſpondet *Gregorius de Valent.* λόγον ſemper fuiſſe *hominem eminenter*: quia ut Deus omnes perfectiones in ſe contineat, factum vero eſſe hominem *formaliter*, ideo nullum perfectionis augmentum accepiſſe. *Thomas* λόγον *tantum dici hominem ſecundum relationem rationis*, ſecundum dependẽtiam naturæ humanæ, quæ hîc perficiatur, ac ſola niutetur. *Alij* reſpondent; *per eſſentiam nihil temporale prædicatur de Deo, ſed per modum cauſæ* ut creator, vel *per modum unionis*, ut verbum caro factum eſt. Prædicari ergo de λόγῳ non ἀμέσως καὶ παθητικῶς, ſed ἐμμέσως καὶ ἠνωτικῶς, non quod perficiatur: ſed quod in ſe receperit humanitatem, ut eam perficeret, quo ipſa ὑποστάσει hoc eſt perſonata ſubſiſtat. Sicut neq; homo perficitur, qui heri nudus, hodie veſtitur, quum caro *Chriſti velamen ejus dicatur Ebr. 10. 20.* ſed de his *ſobriè* loquamur. Alius eſt *acceſſus phyſicus*, quo res perficitur,

tur, alius *hyperphysicus* quo aliquid alteri unitur sine sui perfectione; uti animæ separatæ nihil perfectionis accedet, quando unietur vicissim cum corpore. Nihil perfectionis Deo accessit, quum creaturas produceret, ijsque adesse inciperet. Nihil accedit, quando copulatur cum credentibus, ut ipse in illis, illi in ipso sint. Quæ ad *Theologos*.

Perfectio creaturarũ Deo tribuenda.

VI. Quicquid perfectionis est in creaturis, id omne Deo tribuendum.

Ipse enim summa perfectio, à quâ omnis est perfectio. Ideò & in ipso omnis continetur perfectio, cum nihil sit in effectu, quod non in causâ continentiâ puta vel *formali*: secundum *proprium conceptum*, quales sunt perfectiones absolutè & simpliciter tales, quæ in abstractâ suâ ratione nullam imperfectionem inferũt, adeo ut melius sit eas habere, quam non habere ut *potentia, sapientia, intellectus voluntas &c.* quæ Deo tribuuntur, non quidem eâ ratione, quâ creaturis & univocè, sed analogicè, & perfectiori modo omnes removendo imperfectiones, quas de materiali im-

pot-

portant in creaturis. ut quod *distincta sint realiter:* quod *insint accidentaliter*, quod *terminum habeant &c.* Vel 2. *Virtuali; secundum eminentiam*, quod in Deo sint perfectiones; quæ tales sunt secundum quid, & involvunt formaliter imperfectionem; commercium puta cum materiâ vel mutabilitatem E. g. *visus discursus &c.* Hæ Deo tribuuntur *eminenter*, tum ratione *excellentiæ:* quia excellentiores perfectiones sunt in Deo, tum ratione *potentiæ*, quia ipse eas potenter produxit, & nobiliori modo præstare potest, quæcunque earum sunt. Inde viâ *eminentiæ & causalitatis* in cognitionem Dei provehimur, imò consistit in his omne momentum τῆς γνώσεως Dei naturalis, ut in *Pneumaticis* docetur.

VII. Summe perfecto nullus adscribi potest defectus. *Summè perfecto nullus inest defectus.*

Si namq; defectus aliquis vel minimus in ipsum caderet, nondum esset summè perfectum. Nullus ergo defectus ipsi citra contradictionem imputatur sive *subjectivè* sive *effectivè*, quod neque in eo sit, neq; ab eo esse possit ulla imperfectio. Non est *in eo*, quia naturæ sim-

simplicissimè perfectæ repugnant defectus. Exulat pro, in omnis *potentia passiva*, ut sit actus purissimus, *omnis imperfectio*, ut sit ipsa perfectio. Non *ab eo*, quia deficere nequit, quod est ipsa indefectibilitas. Apage ergo voces plusquam blasphemas, quæ Deo imputant scelera!

Perfectio creaturarũ participata.

VIII. Perfectio creaturarum est participata.

Sunt enim quoddam velut ὁμοίωμα καὶ ἀπεικόνισμα summæ, quæ in Deo, perfectionis, quæ se per gratiosam quandam ὑπερβολὴν communicavit. Conspicitur verò in creatis partim divinæ perfectionis *imago*: scilicet in naturâ intellectuali: partim quoddam *vestigium* in rebus rationis expertibus: quod alibi docetur. Non est creatura quæcunq; illa sit, suum ipsius Esse: non est ipsa essentialis perfectio, quicquid præter Deum est. Ut *Esse* habet à Deo per participationem, ita & *perfectionem* non nisi participatam obtinet. Quocirca non potest ulli creaturarum, quà *tali*, virtus agendi adscribi infinita, quia hæc arguit perfectionem infinitam. Attributum enim non est toto genere subjecto suo perfectius.

CAPUT IV.

De Unitate.

Disputat. VI. Respond. Georgio Gottleben Lubecensi.

DUo *hoc erunt tractationis capita summa.* Unum ἐνομαπολογικὸν *quod occupabitur in* Nominalibus *potissimum* distinctionibus: Alterum πραγματολογικὸν *quod inquiret partim in* Unitatis abstractionem quid *sit in communi quidq. de se importet? partim in* restrictionem quotuplex *in natura sit unitas? & quæ circa* modos unius *observanda, præsertim* vero unionis *naturam diligenter explicabit.*

Unitatis distinctio nominal. 1. in unitatem rei & rationis.

I. Unitas alia rei, alia Rationis. Illa singularis: Hæc universalis. Singularis est qua res est incommunicabilis ad inferiora per sui multiplicationem. Universalis est qua natura communis apta est cum sui multiplicatione in pluribus inferioribus inesse.

Unum ambigué dicitur.

Unum tribus modis dicitur. *1. Absolute & generaliter* pro omni eo quod unitate determinatum est sive sit ê multis: sive non possit esse ê multis. *2. Re-*

late & specialiter, pro eo quod in se quidem multum non est, attamen inter multa & ê multis, quæ vel sint vel esse possint. 3. *Exclusive & eminenter*: quod ita unum, ut non sit ê multis: vel cui repugnat esse cum alio ejusdem unitatis. *Hoc* modo ἐξοχικῶς καὶ μονοτρόπως *solus Deus* est unus: ut scil. præter eum non sit vel esse queat alius Deus ideo unicus est & solitarius in isto summo unitatis gradu. *Isto* modo κτιστικῶς ἢ κοινῶς *singulæ creaturarum* unitatem suam habent: quando juxta cum ipsis alia creari aut creata esse non repugnet, quæ inter possint numerari. *Illo* denique *sensu* ἀπλῶς καὶ γενικῶς omne quod est unum est, quia unitatem suam habet quodq; in suo genere. Cæterum hæc unitas est *transcendens & Metaphysica* atq; Entis affectio non *quantitativa & Arithmetica* quæ principiū numeri finitur; quandoquidem in essentia radicetur, cum Ente convertatur & absolute Ens denominet, ut antidhac evictum. Cujus naturam quo indagemus, præmittendæ distinctionum Nominalium explicationes, quarum prior est in *Universalem & singularem*. Mirum videri posset nonnullis, cur hanc faciamus

Unitas Metaph. & Mathem.

Universale & singulare non sunt affectiones Entis.

ἀνομα-

ὀνοματώδη *distinctionem*: quum videatur peculiaris Entis *affectio*? At videtur saltem. Revera non est. Omnis enim affectio disjuncta membra habet realiter existentia ante mentis operationem: quū affectiones reales sint non à mente dependeant. Idem quippe cum ipso Ente, quod non est nisi verum & reale. Universale vero non est formaliter extra intellectum & ante mentis operationem reale quid in *quantum universale*. Omne enim quod est eo ipso dum est, singulare est, ut recte *Boethius*. Et nulla unitas in re existens communis est. Ideæ istæ & universales naturæ separatim existentes, quas Plato creditur credidisse, jampridem explosæ sunt. Non est *homo communis* realiter separatus à *singularibus*, si enim est separatus, non est in ijs intrinsece & essentialiter, hoc est; *Petrus* non est homo: at si est universalis debet in illis esse intrinsece & essentialiter: & tamen non potest natura communis simul separata esse à singularibus & ijsdem inesse. Impossibile enim est idem simul esse & non esse. Et hoc est quod ne quidem ad reales distinctiones unitatis istam referendam censeamus, eò quod

Universale non est extramentum.

universalis unitas solum per rationem exurgat, extra rationem non sit: sola unitas *singularis* vere sit realis& in rebus supponatur citra mentis operationem. Unde ista *rationis*, hæc *rei* dicitur. Universale vero duobus modis spectatur. 1. Ratione *materialis*, est ipsa natura accepta secundum illud esse quod habet in re singulari una cum alijs idem participante, dicitur *universale potentia*, *Physicum-concretum*, & *in multis*. 2. Ratione *formalis*, estq; ratio communis abstracta & per conceptum repræsentata, qua res denudata à singularibus præcisè sistitur. Dicitur *universale actu*, *Metaphysicum*, *abstractum* & *post multa*. *Priori* nondum tribuitur unitas universalis: *posterior* vero unitatem istam importat. *Duo* enim sunt quæ requiruntur ad universale in *posteriori* consideratione, *mentalis unitas* & *realis multiplicitas*. *Ista* universali tribuitur *abstracte* sub præcisione mentali qua ab inferioribus abstrahitur communis natura præcisis conditionibus individuantibus, quà in mente unitatem quandam habet: *hæc* ei competit *relate* in quantum intuetur simul inferiora sub se contenta cum aptitudine πληθυντικῶς essendi in ijsdem:

Universale duobus modis consideratur.

Duo requisita universi.

quæ

quæ multiplicitas non semper *actualis* est, *realis* tamen esse debet. Indifferentiam itaq; istam habet à mente: relationem insuper hanc ad plura non obtinet natura abstracta, nisi in quantum à mente apprehensa: adeoque formaliter non est universale nisi in mente. Cum vero natura communis non eodem modo inferiora respiciat, sed nonnunquam ipsis insit per modum ταυτότητος & æqualiter, nonnunquam *diversimode & inæqualiter*, solet distribui universale in *univocum & analogum*. Quæ distinctio *proprie* hujus loci non est: neq; hic inculcari debet ex professo. Attingit enim *naturam scibilis* & per modum *affectionis* eo revocatur ut *alias* demonstratum. Agunt præterea *Logici* circa doctrinam Synonymorum & Paronymorum de *universalibus*: & appellantur vulgo quinq; ista prædicabilia universalia. Verum observari debet. 1. *Logicum* non efficere neq; contemplari universalia sed universalibus tantum notiones secundas imponere. 2. *Falsißime constitui quinq; universalia; tum* quod non omnibus Prædicabilibus ratio universalis competat: *tum* qvod non omne universale sit ê numero & censu Prædicabilium

Universale univocum & analogum.

Non est hujus loci.

Universalia nō contemplatur Logicus.

Quinque prædicabilia nō sunt universalia.

lium *Porphyrianorum*. *Differentia* adæquata est speciei. *Proprium & accidens* prædicantur saltem extraessentialiter. Remanent solum *Genus & Species*: quæ tamen non exhauriunt omnem universalium latitudinem. Cum ratio abstracta communis inferioribus non patiatur includi intra carceres prædicamentales, id quod *alias* probatur. Jam de *singulari* paucis. *Singulare* est quod ad inferiora est indivisibile. Ideo dicitur *individuum:* quia nempe inferat ejusmodi negationem secundum quam res singularis non est divisibilis in plures Entitates tales, qualis est ipsa. Et *incommuuicabile*: communicatione *quidditativa* ad *inferiora* in quibus *plurificetur*. Obtinet vero res unaquæq; suum individuum actum *per seipsam* sine aliquo adventitio. *Sit* enim aliud quiddam à quo dependeat *hæcceitas* ut loquuntur, vel *singularitas*, distinctum ab ipso singulari; id si existat non poterit non habere actum essendi individuum, de eo ergo iterum manebit quæstio, unde sit? atq; ita porro in infinitum. Quod evitaturi dicimus, *ipsam rei naturam propriæ suæ individuationis principium*. Non enim eget alio principio

Singulare.

Vnde actus singularis.

cipio quod per suam entitatem est quod est. *Simplex* quod est, *simplici sua Entitate individuum* est. *Compositum* per principia componentia intrinsece *singulare* est. Idem principium *essentiæ*; & *hujus* singularis essentiæ. Quia alia non est singularis essentia ab essentia qua tali. Sed re idem sunt, tantum per conceptus inadæquatos distinguuntur.

II. Unitas alia per se; alia per accidens. Illam essentialem, hanc accidentalem dicimus. Illa est qua constituitur Ens per se essentiam habens integram & indivisam. Hæc est qua plures res de se completæ ad indivisionem quandam rediguntur & Ens per accidens constituunt. Estq; vel subjectiva concretionis, vel adjunctiva consociationis, vel collectiva aggregationis. 2. *Distinctionitar. in. per se & per accidens.*

Eadem unitatis quæ essendi ratio; sc. unum æque ut Ens aliud καθ' αὐτὸ per se aliud κατ' ἄλλο per *accidens*, de *isto* seqq. theor. de *hoc* in præsenti quoad *discri-*

Unum per accidens. Tria ejus requisita.

ptionem & distinctionem. Tria requiruntur ad *unum per accidens*. 1. *Actualis plurium continentia*. 2. *Contentorum completa ratio*. 3. *Extraessentialis habitudo*. In simplici enim essentia nihil per accidens. Concurrentibus vero pluribus unumquodque ita sit comparatum, ut & de se completum sit in essendi ratione: & alterum non includat sed extraessentialiter respiciat etiam in ipsa conjunctione. Quæ enim non completa sunt, nil vetat ad communem essentiam redigere: præsertim si habeant sese ut *actus & potentia*. Et quæ *unum per accidens* constituere debent, non possunt essentialiter idem esse. His observatis patet quod haud inconvenienter *tria genera* hujus unitatis constituantur. 1. *Ratione concretionis subjectivè* unum sunt tum *diversa accidentia* in uno subjecto convenientia ut *Theologia & Philosophia in Theologo Philosopho*, tum *ipsum subjectum cum accidentibus ut doctrina cum animo*. Unde *concreta* quæ constant è *subjecto & accidente* vel ex *accidente & accidente*. 2. Ratione *associationis conjunctivè*. Unitas alia est *interior* in uno unitate suppositi accidentali cum quadam permeatione ut *in ferro ignito*

Unitatis per accidens genera.

alia

alia *exterior* quæ fit *insitione, junctura, glutine, sutura.* 3. *Ratione aggregationis collectivæ* datur unitas in Entibus per aggregationem sive *ordinatis*, quale est Resp. ob ordinem *imperantium & parentium*; sive *inordinatis*, ut in *acervo lapidum* ubi nullus ordo. Differt ergo plurimum unitas *accidentalis ab essentiali.* 1. Ratione *subjecti*; *Illa* Ens per se, *hæc* Ens per accidens denominat. 2. Ratione *formæ.* *Illa* in essentiæ *indivisione*: *hæc* in plurium vel *concretione* vel *adsociatione* vel *aggregatione* consistit. *Illa* nullam compositionem de se infert, *hæc* non est nisi cum accidentali compositione. *Illa* perfectionis est absolutæ: *hæc* non nisi secundum quid. *Illâ* deperdita tollitur res ipsa: *hâc* soluta non desinunt res esse, sed desinunt *per accidens* sibi adesse. Sed jam ad ipsam unitatem *per se.*

Unitas accidentalis ab essentialis differunt.

III. Unitas est attributum transcendētale quo Ens denominatur quidditative incommunicabile & indivisum Entitativè.

Vnitatis descriptio.

Duobus modis describi solet *Unitas* 1. *à formali ratione.* 2. à consequenti conditione. *Illa* est indivisio Entitativa; *hæc*

est divisio respectiva. Juxta *illam* res dicitur indivisa *in seſe*, juxta *hanc* divisa à *quovis alio*. *Illa* competit Enti *adæquatè* cum omne Ens sit indivisum & vice versa: *hæc adæquatè*: cum non omne Ens sit in statu divisionis s. diversitatis. Ideo rectius *prior* affectionem *unitam* constituit: *posterior* ad *disjunctas* affectiones pertinet ex unitate profluentes quâ Ens dicitur *idem vel diversum*. Eò itaq; dimissa divisione vel diversitate, *indivisionem Entitativam* unicè pensitamus. Quæ indivisio quidnam sit acriter disputant Philosophi. *Breviter*: est talis Entis ratio qua ipsum seſe nostræ menti conspiciendum præbet ut immune ab omni congerie multorum unius naturæ & ab omni aggregatione multorum Entium completorum diversæ naturæ, nec non ut immune à *virtuali continentia* plurium seſe κατὰ μέθεξιν participantium, vel qua *denegatur Enti divisio in plura completa vel seſe essentialiter inferiora*. Optimè, me judice, res constat, *removendo unitatem rationis & unitatem per accidens*. Ita enim manifestatur *unitas rei & per se*, quod per unitatem res sit *indivisibilis* & essentiam habeat de *seſe indivisam*. *Indivisibilis est* in plures

Quid sit indivisio?

In quo consistat ratio unius?

plures numero essentias tales qualis est ipsa. Essentiam habet de sese *indivisam*, id est, non constantem ex pluribus completis essentialiter divisis. Possumus itaque dicere quod de unius ratione sit tum *indivisibilitas* ratione eorum quæ infra se ut *essentialiter inferiora* non habere potest; foret enim alias universale, quod non nisi per rationem unum: tum *indivisio* ratione eorum quæ intra se ut *essentialiter constituentia* habet, si sit *compositum*: vel ratione *simplicis suæ Entitatis*, *si expers sit compositionis*. Absq; enim hac indivisione non foret unum per se, si sc. tantum extraessentialiter sese respicerent conjuncta & quidēt per sese divisa & completū esse obtinētia. Ratione *prioris* excluditur multiplicitas aptitudinalis: eo quod indivisibilis. Ratione *posteriorū* repugnat multitudo actualis, eō quod negatur divisio. Multitudo enim nihil aliud est quam rerum divisio per quam entia inter se divisa sunt & multa. Quod ergo unitatem & *incommunicabilitas & indivisio* definiat, haud absurde dixerim, sed velim dextre id accipiatur. 1. Loquor enim de *unitate reali* quæ non dependet à mentis operatione quæq; non est nisi singu-

Ad unitatis definitionem pertinet & incommunicabilitas & indivisio.

Declaratur.

singularium. At singularia esse incommunicabilia quis neget? cum in eo ipso consistat distinctio ab universalibus: quæ communicabilia sunt pluribus sub se essentialiter contentis. 2. Designo itaque *incommunicabilitatem* qua *singulare*, quod solum vere unum est, *constituitur* & ab universali adæquate distinguitur, quæ est negatio aptitudinis ad communicandum sese essentiali participatione rationis plurium sub se contentorum. Quod sc. *singulare nequeat habere alia infra se in quibus plurificetur per sui communicationem*: & de quibus dici possit qnidditative propter essentialem communicationem. Quod probe observandum. 3. *Conjungo incommunicabilitatem & indivisionem*, licet non sim nescius quod *alij* hæc minimè conjungant: sed indivisionem unius, incommunicabilitatem singularis formale constituant. Nam idem illud urgeo: *cum non detur in re unitas, præter numericam & singularem alia quædam universali, non posse plenè & adæquate explicari naturam unius nisi utrumq; jungatur*. Quicquid enim facit ad unitatem realem per se adæquate definiendam, ut distinguatur partim ab unitate mentali partim ab

Probatur.

uno

uno per accidens id omne in definitionem unitatis realis & per se adducendum: Adeoq; exprimendum non minus id quod unitatem singulatem constituit quam id quo unum per se absolvitur. Isto sensu, non alio, accipio definitionem *Henrici Gandavensis* quam *subtilitatum Magister* prædicat acutissimam. *Vnitas est privatio divisibilitatis in se communicabilitatis in alio. Utrumq;* hæc exprimit & *quid constituat unum* per se? & quid *unum singulare absolvat? Negatio divisibilitatis* in se facit, ut res una sit per se, ut non complectatur actu divisas essentias. *Negatio communicabilitatis in alio* facit, ut res una sit unitate numerica quâ ad alia incommunicabilis est nec esse potest in alijs essentiali participatione.

Probatur Henrici Gandaven. definitio.

IV. Unitas est vel indivisa indivisibilis vel indivisa divisibilis; Illa & actum & potentiam divisionis negat: hæc actum tantum negat, potentiam infert. Indivisa indivisibilis unitas est modus Entis quod per essentiam suam omnē simpliciter excludit divisibilitatem. Estq; solius Dei.

Vnitatis divisio.

Aná-

Est analogica.

Analogica est hæc unitatis restrictio. Nam quo minus quid dividuum est eò magis unum. *Alexander Alens.* distinguit inter *unum per unitatem & unum per unionem:* quæ omninò juxta nostram hancce explicari debet. Cæterum *indivisum indivisibile* alij *duplex* faciunt: *Summè simplex* quod neq; divisibile sit neq; alterius constitutionem ingredi possit: quod de *solo Deo* dici potest, qui & in se omnem respuit divisionem & extra se nullius divisibilis ingreditur internam constitutionem. Et *simpliciter simplex* quod resolutionem in alia non admittit quantumvis cum alio componi & alterius constitutionem ingredi possit: quod iterum dicitur *esse simplex* vel *per modum abstractionis* quod summe abstractum ut *Ens & reliqua transcendentia*: vel *secundum modum designationis* in composito ut *punctum insectile*. Nos impræsentiarum *indivisum indivisibile* saltem unicum agnoscimus & acceptamus, *Deum* sc. qui *unissima*, ut ita loquar *unitate unus est*. *Abstracta* autem *unitatem rationis non rei, præcisivam* non *positivam* obtinent. *Punctum* quod simplicitur ἄτομον non nisi mente concipitur & non tam *entitativam* quam *divisionem*

Indivisum indivisibile aliqui duplex faciunt.

Propriè solus Deus indivisibilis.

quanti-

quantitativam respuit. Solus Deus & summam & simpliciter simplicem unitatem obtinet: quia soli ipsi competit tùm *incommunicabilitas* tùm *indivisibilitas* eminentissimâ ratione. *Incommunicabilitas*: quia omnino repugnat essentiam divinam communicari pluribus Dijs: cum nihil æque pugnet cum Deitate quam essentiæ pluralitas. Implicat enim dari plura infinita, ut satis non liceat mirari πολυθεΐαν paganam. Id vero omni admiratione superius est quod *incommunicabilitas* ista *divinæ essentiæ summa cum singulari & incõprehensibili communicatione* consistat. Essentia enim divina non tantum est *incõmunicabilis* ad *plures numero essentias* sed *communis* quoq; *pluribus diversis suppositis* quæ in unica ista incommunicabili essentia subsistunt citra ullam *divisionem & multiplicationem*. Quod de fide certum est. Communicatio ista *videtur* quidem similis communicationi universalis ad singulare ob quam similitudinem *Damasc. lib. 3 orth. fid. c. 4. & 6. vocat essentiam divinam communem* & personas individua: at revera talis non est: cum in Ente summe singulari ratio *universalis generis & speciei* nullatenus locum habeat; sed est commu-

Probatur.

Incommunicabilitas divina.

Communicabilitas singularis.

Quod essentia divina dicatur communis.

communicatio naturæ ad supposita; Verè Monlorius Natura divina, inquit, una numero est in tribus personis. Natura vero universalis nō debet una numero esse in multis sed communione essentiali, quæ sit supra individuum. Et Augustin. Essentia divina prædicatur de tribus personis, non ut totum de partibus, nec ut genus de speciebus, nec ut species de individuo sed alio ineffabili & incomprehensibili modo. Quod contra Piscatorem notandum qui essentiam divinam q. genus: personas divinas, q. species indigitat. Indivisibilitas summa Deo nostro vindicatur, quia nulla in Deo compositio. Divisio enim præsupponit compositionem. Inde est in summa ista sanctissimæ Triados unitate mutua suppositorum περιχώρησις qua dicente Augustino lib. 6. de Trin. c. ult. singula sunt in singulis & omnia in singulis & singula in omnibus, & omnia in omnibus & unum omnia. Περιχώρησις enim argumentum est unitatis. Et quo illa arctior & intimior, eo hæc simpliciot atq; sublimiot, ut frustra sint qui ea pro oppositis habent.

Piscator essentiã divinã q. genus ad personas vocat.

Vnitatis divisib. definit.

V. Unitas indivisa divisibilis est modus Entis, quod per rerum diver-

diversarum concursum indivisum est. Ejus principium causale est rerum distinctarum unitio: formale est unitorum indivisio, consequens vero vel effectum est ex unione resultans communio.

Divisibilis dicitur non ratione *status & termini*: quod in hac unitate qua tali locum habeat divisio, vel quod ea sit hujus unitatis conditio & is status, ut dividi possit, sed ratione *ortus & principij*: quod olim divisa fuerint per essentiam, quæ sub hoc statu indivisa sunt per unionis gratiam, quodq; non καθ' αὐτὸ & *per se indivisionem* obtineant *essentialiter & independenter*, sed καθ' ἄλλο & per *aliud extraessentialiter atq; dependenter*. Breviter: dicitur *divisibilis non à parte post sed à parte ante vel non ratione termini ad quem sed ratione termini a quo*. Non enim semper dissolvi potest, sed interdum est indissolubilis, & quo magis quid indissolubile, eò magis accedit ad summam & palmarem unitatem: quo facilius dissolvi potest eò magis recedit ab ista summa unitate quæ nulla plane ratione divisibilis. Describitur autem *unitas divisibilis* *Cur ita vocetur?* *Quid sit?*

sibilis rectissime per rerum diversarum indivisionem juxta illud *Aristotelis 4. Metaph. c. 6.* καθόλε ἔστι μὴ ἔχειν διαίρεσιν ἢ μὴ ἔχειν ταύτην ἓν λέγεται. *Dn. Werenberg. Exerc. Metaph. 6. th. 3.* definit unitatem *in genere modum Entis quendam qui consequitur partium in toto unionem, cujus ratione partes in communi essentia conveniunt & ab aliarum rerum essentia distinguuntur,* verum recte hac definitio applicatur *uni indiviso divisibili in specie:* Modò vox *partis* ἐπεικῶς explicetur; sunt enim *res concurrentes* ad hanc unitatem velut *partes* quædam, quarum concursus est aliqua convenientia in communi essentia, cujus ratione à rebus cæteris hoc unum adæquate distinguitur. Quid planum evadit è *principij & effecti* consideratione. *Principium* hujus unitatis *duplex* explicandum est, *causale* quod *fundamenti* instar: & *formale* in quo ratio ejus consistit. *Effectum* vero dicimus id quod ad unitatem istam necessario consequitur ita ut sine eo esse non possit. *Illud* est *unitio* rerum natura sua divisarum: *Istud* unitarum concursus & indivisio vel *unio. Hoc* deniq; est *communio* unionem consequens, quæ *propter materiæ dignitatē* heic fusius declarabimus.

VVerenbergij definitio.

Applicatur uni dibisibili in specie.

4. Uni-

VI. Unitio est actus quo copulantur res diversæ ad unitatem ut divisa indivisionem quandam nanciscantur. *Unitio quid?*

In *unione* duo spectanda. *Actus & Status. Ille est transitorius, hic permanet. Iste est causa* per quam res unitæ obtinent quandam unitatem, *hic est conditio* rei unitatem ejusmodi obtinent is. Idcirco proprie *unitio* dicitur *actus conjungens, unio vero status conjunctionis.* Notandum hic accurate quod unio sit ex classe *Relationum.* Ideoq; circa unionem observanda. 1. *Subjecta* vel extrema quæ sunt res natura differentes, cum unio sit inter plura. 2. *Fundamentum* quod vel *remotum* vel *proximum. Istud est affectio* rerum istarum, nempe aptitudo ad unionem, cum se habent ut δύναμις seu *potentia* & ἐντελέχεια vel *actus*, hoc est, *altera* sit perfectibilis quò actuari & perfici possit: *altera* sit potens ad perficiendum & actuandum. *Potentia est appetitus ipsius actus. Actus est perfectio potentiæ.* Si enim *utraq; sit potestas*, non possunt adinvicem adunari. Si *utraq; actus* non potest exurgere Ens per se. Ex duobus entibus in

In unione actus & status.

Unitio & unio.

Unio est Relatibum

Ubi

1. Subjecta.

2. Fundamentum.

Remotum

Unibilia debent se respicere ut actus & potentia.

actu perfecto constitutis non fit unum per se. *Hoc (ratio fundandi)* est conjunctio naturarum actualis, qua unibilia actu evadunt unita: vel ipsa *unitio*. Non enim satis est ut una alteram possit perficere & cum ea uniri sed requiritur ut etiam actu jungantur & concurrant. Hinc 3. *relatum*, natura quæ in ista conjunctione refertur, & *correlatum*, natura altera ad quam refertur. 4. *Terminus* qui resultat ex actuali naturarum distinctarum conjunctione, qui est suppositum vel persona &c. Hinc jam exoritur *relatio partim è respectu extremorum ad terminum, partim è respectu termini ad extrema*. Prior est rerum *diversarum* in uno indiviso termino *unio*: *posterior est termini* ipsius ad naturas diversas *communio*. *Illa* habet se ut *antecedens*: *hæc ut consequens* unde *illa* generali ratione *causa hæc effectum* dicitur. Quæ in omni vera, reali, substantiali proprie dicta unione requiruntur necessario, adeo ut alterutro horum negato tollatur ipsa unio. Unde jam intelligitur quid præstet unitio! Quod *sit fundamentum* proximum *quo posito non possit non resultare unio*. Ideoq; ifti

Proximum

3. Relatum & correlatum.

4. Terminus.

isti *primò & immediate* innititur unio: *de quâ* jam uberius.

VII. Unio est concursus communicabilis rerum per naturam distinctarum. *Quid unio?*

Vel ut *Græci Suidas & Phavorinus* ἕνωσις ἐστι συνδρομὴ κοινωνικὴ τῶν διεχόντων πραγμάτων. Circa quam propositionem definitivam attendendum. 1. Ad *subjectum* seu *definitum* quod est ἕνωσις s: *unio.* *Unio ambiguè sumitur.* *Sumitur* autem unio vel *active* pro unientis actu vel *passive* pro passione unibili & rerum unitarum nexu, vel *relative* pro unitorum relatione & mutuo respectu. *Illic est unitio* ex parte efficientis: *Istic* ex parte unibilium: *hic* est ipsa *unio.* *Hæc* ab *Vnitio & unio.* *ista* resultat tanquam effectus formalis proveniens à causa sua formali. Cæterum unionis modi (καθ' ὁμωνυμίαν) sunt multivarij; *Damasc. lib. 3. de Orth. fid. c. 3.* *Vnionis mod. æqß.* numerat aliquot modos, quorum alij ferè *meram confusionem*, alij nudam saltem *relationem* inferunt. *Illius* generis sunt. 1. κατὰ σύγχυσιν s. *confusionem*, ut pulveris ex diversis aromatibus, 2. κατὰ σύγκρασιν *commixtionem* ut cum ex melle & aqua mulsum confit. 3. κατὰ φυρμὸν: *conspersionem*

conspersionem vel massam, quomodo pinsitur ex aqua & farina panis. Istiusmodi sunt κατὰ φύσιν per amicitiam. 2. καθ' ἀξίαν, juxta dignitatis participationem. 3. καθ' ὁμόνοιαν, secundum consensum. 4. καθ' ὁμωνυμίαν: juxta nominis communionem. 5. καθ' εὐδοκίαν, juxta beneplacitum. Nobis ita liceat distinguere; *unio* alia est *propria*, alia *impropria*. *Ista* per se & proprie unio salutatur, *hæc* vero per habitudinem ad illam & æquivocè vel minus propriè unionis nomine venit. Estq; unio *impropria* vel *verbalis*, vel *notionalis* vel *habitualis* vel *realis*. *Verbalis* est quæ in nuda verborum attributione & convenientia consistit, ut in locutionibus figuratis & improprijs v. g. *Herodes est vulpes*. *Notionalis*, quæ inter genus & speciem vel individuum reperitur & unio κατὰ μέθεξιν dicitur. *Habitualis* est quæ per relationem exurgit, extra quam vere non est. Hæc consistit inter ea quæ aliquam saltem ad se invicem dicunt habitudinem sine reali conjunctione. Estq; vel *socialis* in *societate* tum conjugali, inter conjuges, tum civili inter cives, tum spirituali inter membra Ecclesiæ: Juxta triplicem hierarchiam dici

Vnio impropria.

Verbalis.

Notionalis.

Habitualis.

Socialis.

dici potest *Oeconomica*, *Politica*, *Ecclesiastica*: vel *moralis in congruentia* morum & ὁμονοίᾳ s. consensu mutuo καὶ ἀφμονίᾳ consistens. *Illa* personarum, *hæc* voluntatum unio dicitur. *Realis impropria* est plurium concursus ad unum accidentale s. *per accidens* constituendum: Ideo dicitur κατὰ συμβεβηκὸς sive accidentalis quando vel accidentia diversa in subjecto uno vel substantiæ diversæ ad unum per accidens concurrunt: quæ unio *impropria* dicitur non quod sit *verbalis* tantum & figurata, sive *notionalis* & respectiva. Est enim ipsis contradistincta quippe vera & realis quâ citra verborum improprietatem vere & realiter unita sunt & conjuncta quæcunq; ad accidentalem unionem concurrunt; ideoq; requiritur in unione ista vera & realis unitorum præsentia, non sufficit aliqualis conjunctio, vel mutua habitudo: Sed ideo vocatur impropria; quia *terminus* ejus non est *unum per se*, quod accurate loquendo & in rigore demum *vere unum* est. Nam unum per accidens est *Ens per accidens*: id vero non nisi per analogiam proportionis Ens dicitur. Breviter *improprie* dicitur unio non sensu *Rhetorico*

& Moralis.

Realis

seu accidentalis.

Quomodo dicatur impropria?

Unio accidentalis quotuplex?

sed *Metaphysico* quod studiosissimè notandum. Est vero unio accidentalis vel *accidentis & accidentis* vel *substantiæ & substantiæ*. *Illa* æstimatur ex unitate *subjecti*, cum accidentia disparata duo vel plura uniuntur & copulantur in uno subjecto, vel accidens cum subjecto suo unitur ut in *Saccharo albedo & dulcedo*: item *virtus cum animo, unde album dulce, animus virtuosus*. *Hæc* resultat ex substantiarum diversarum concursu in Ente per accidens qui fit vel per σύγχυσιν s. *confusionem* ut in *mixtis* ubi diversæ species miscentur, cujus exemplum est *hydromel* vel per σύνθεσιν *appositionem* ut in aggregatis, v.g. *lapidum cumulo* vel per παρέφεσιν *assistentiam* qualis est tū in *contiguis* sibi præsentibus ut cum unus alteri assistit: tum *in continuis* ut cum duo asseres compinguntur. Potest etiam dici: *unionem substantiarum accidentalem* esse vel secundum *quantitatem* eamq; vel *continuam* per *agglutinationem* vel *discretam* per aggregationem, coacervationem: vel secundum *qualitatem* per *commixtionem*.

Unio interior vel exterior.

Est autem unio accidentalis vel *interior* cum intrinsecq unita intimè se permeant; vel *exterior* cum sibi junguntur tantum extrin-

extrinsecus sine permeatione ut in assistentia & appositione. *Illa* quandam saltem infert περιχώρησιν: *hæc* vero nudam προσβασιν. *Illa* propius accedit ad unionem proprie dictam: *hæc* magis ab ea recedit: & adhuc in magna varietate reperitur: est *mediata vel immediata, major vel minor, propior vel remotior.* Ad unionem accidentalē referre licet quodāmodo *unionem* μυστικὴν, tū *sacramentalē*, tū *spiritualē*, tū *cælestē*, quarum *illa* in S cæna inter rem terrenam & cælestem. *Ista* inter cor fidele & Christum in hac vita: *hæc inter* beatos & SS. Trinitatem in altera vita. *Prima* dicitur *symbolica, secunda gratiosa: tertia gloriosa.* Verum observes unionem istam mysticam non nisi κατ' ἀναλογίαν dici προσβατικὴν, removendo scilicet omnes imperfectiones, & concipiendo eminentiam. Quin imo quam proximē accedere ad unionem in *rigore Metaphysico* proprie dictam. Nam infert quandam etiam communicationem, quantumvis non terminetur ad unum nisi per accidens. Quod operose heic deducere nostri non est instituti. Satis itaque de *subjecto*. In *prædicato* habetur *definitio Unionis seu unionis proprie dictæ explicatio:* circa *materia*

Unio mystica.

quam notanda unionis *materia & forma*.

Substantiæ diversæ.

Materia nominantur πράγματα διέσωτα, *res vel naturæ differentes*, quæ sunt *substantiæ diversæ*. *Substantiæ* inquam. Nam ex accidente & accidente, uti & ex accidente & subjecto non potest fieri Ens vel unum *per se*. *Diversæ* sint & *distantes* non locorum intercapedine sed *naturæ diversitate*, id est disparatæ sint per naturam non tamen separatæ & seorsim positæ. *Diversitas* requiritur. Nam ad unionem plura concurrant necessum est. Interea quæ unum sunt, nulla datur unio. Inde est quod *Theologi* dicant in *SS. Trinitate* non tam *unionem* dari quam *unitatem* simplicissimam ob essentialem personarum identitatem. Ea etiam est ratio, quod non detur unio propriè dicta inter *Genus & speciem* vel *speciem & individuum* quia hæc non differunt realiter: συνδεδυασμένα vero realiter diversa esse debent. Adde, quod *disparatæ* sint per *naturam*: quod de ijs intelligendum, non saltem extra unionem sed & *in ipsa unione*. Unio enim vera & propria non tollit rerum unitarum diversitatem: ἕξεις illa qua unita se respiciunt, nullam secum fert mutationem. Unitio vero nihil

Quæ etiam in unione manent disparatæ.

hil aliud præstat, quam quod res unibiles prout reperit, actu conjungat salvâ manente rerum diversitate & disparatione. Exinde tamen haudquaquam infertur *separatio*. Aliud est *distingui* aliud *sejungi*, & non est idem *disparata* esse & *disseparata*: Disparata enim ita dicuntur ratione *essentiæ*, non *localis distantiæ*. Implicat enim manifestam oppositionem in appositio, res esse unitas & separatas, conjunctas simul & disjunctas Cæterum ut res natura sua distantes vel differentes queant conjungi requiritur ea rerum habitudo qua se respiciunt ut δύναμις καὶ ἐντελέχεια, *actus & potentia potentia* vel *proprie* vel *analogice* saltem, utq; una possit alteram perficere, una ab altera perfici: quo *ista* sese habeat *active*, *illa passive*. Rationem dedi supra. Ita *anima & corpus* habent se ut actus & potentia. Animæ est perficere, corporis perfici. *Illa* est principium perfectionis: *hæc* subjectum. *Forma unionis* sistitur conceptu *gemino*. *communi & proprio*. Communis notatur voce συνδρομὴ *concursus*, sc. substantiarum diversarum quarum altera ut actus altera ut potentia vel quasi: dicitur & σύνοδος *conventus* vel

At respiciunt se ut actus & potentia.

Forma unionis.

Generica.

Concursus.

ubi Conbentus veritas.

vel *conjunctio*, & res ipsæ dicuntur συνελθοῦσαι *convenientes. Duo heic* nota. *Conventus veritatem: Termini unitatem.* Conveniunt naturæ diversæ idq; *vere & realiter* & quidem in *uno termino.* Concursus itaq; iste non est *fictitius* vel *intentionalis* vel *habitualis* vel *accidentalis* & *improprius*, sed *verus*, *realis*, *substantialis* & *proprius.*

Termini unitas.

Non hic *mixtio* vel *confusio* sed vera unio. *Terminus* est non unum per *concretionem* vel *aggregationem* vel *appositionem*, sed unum κατὰ συνδύασιν per *veram & substantialem unionem*, adeoq; unum *per se.* Dicitur *terminus* ἑνοποιὸς, quia in ipso est unitas ob συνδρομὴν & concursum.

Differentia specifica unionis.

Verum quum non omnis substantialis concursus fiat ad unum per se, idcirco additur *differentia specifica*, συνδρομὴ κοινωνικὴ, *communicativus concursus.* Hic est vere proprius & adæquatus unionis conceptus, quia unionem realem substantialem proprie dictam ultimo constituit, & ab unione impropria distinguit; Observa autem accurate discrimen inter συνδρομὴν κοινωνικὴν & κοινωνίαν, *concursum communicativum & communicationis actum*, quæ distincta ut *antecedens & consequens* & (*latè* terminos accipiendo)

Dist. concursus communicativus & communicationis actus.

endo) ut *causa & causatum*. *Communicationis enim actualis* principium est ipse *communicativus concursus*, & præsupponit *communicatio conjunctionem communicabilem*. *Deinde* uti distat *rerum unitas & pluralitas* ita quoq; differt *unio & communio*. Nam in unione sunt plures res ut unum, in communicatione spectantur non ut unum sed ut duo distincta, veruntamen non separata.

VIII. Communio est qua propter unionem id quod unius proprium est, communicatur alteri sine sui vel multiplicatione vel transfusione verè tamen & realiter. *Communio quid?*

Distinguenda heic *communicatio*; *alia* enim est ratione *termini* communis *ενο-μικὸς* alia ratione *alterius naturæ* quæ perfici potest & alterius perfectionem participare. *Ista* quid sit, colligi potest ex 2. *de part. animal. c. 2.* quod scilicet sit ea, *quæ res unitæ naturâ distinctæ propria sua retinentes commune principium realiter participant propter unionem*. Hæc jammodo definita est indigitato *fundamento*, remotis *Dist. communionis naturæ & idiomatum.*

motisq; *modis spurijs*, è quibus propria *ratio* facile constat. Quod nimirum sit *communis proprietorum possessio* exinde oriunda quod unitorum perfectius sua ignobiliori communicet propria, vere & realiter, absque tamen multiplicatione vel transfusione. Adeoq; nulla hic μετέκβασις vel ἀπομοίωσις, vera tamen μετάδοσις, qua fit ut quod unius est καθ' αὐτὸ & *per se*, id participetur ab altero κατὰ συνδύασιν *per & propter unionem. Illa* antecedit ordine naturæ, *hæc* consequitur. *Utraq;* in vera & substantiali unione necessaria est: *tum* communis termini participatio ratione *naturarum*, *tum* naturæ unius ab altera perfectio ratione *proprietatum. Alterutra* absente nō potest *unitas per unionē* servari. Nā quod ad *priorem* quam nō potest esse relatio sine correlatione, tam nequit sine ea esse propriè dicta unio. Ut enim requiritur terminus in quo res unitæ conveniant & unum τόδε τι constituant: | sic si καθ' ἀνάκαμψιν respectus instituatur ad res istas unitas, deprehendetur terminus ille non uni vel alterutri unitorum sed utriq; communis, siquidem in eo utrumq; maneat. Quod ad *posteriorem*: Quemadmodum impos-

Necessaria est utraq; in unione.
1. *Communicatio naturæ.*

2. *Communicatio proprietatum.*

impossibile est unum reale constitui incommunicabile ex pluribus incommunicabilibus; *eo quod ex duobus actibus per se in æternum non possit fieri unum actu*, Probatur. *Scal. ex. 6. s. 5.* ita non possunt concurrere ad unum per se constituendum *actus & potentia*, quin statim insequatur quædam περιχώρησις & *circumincessio*, qua actus potentiam perficiat, & perfectius unitorum id quod indiget perfectione intime pervadat, eidemq; perfectionem nonnullam communicet. In quacunq; unione est δύναμις & ἐντελέχεια, illa non est sine *proprietatum communicatione* servata proportione ut *ista* accipiat & perficiatur, *hæc* perficiat & largiatur, ideoq; non possint *isti* denegari participative & per κοινωνίαν quæ *hujus* sunt πρώτως originaliter & per essentiam. *Ratio* est, quod per unionem veram resultat *unitas suppositi*. Quando itaq; unitorum nobilius agit vel operatur non potest nō toti supposito adscribi operatio. At vero agere neqvit *separative & seorsim* sed ob substantialem συνδύασιν agit *cum alterius communione*, id quod requirit *principij communis unitas vel termini unionis communis participatio*. Ulteriùs, operari neqvit unum

cum

cum alterius communione, priusquam alteri virtutem agendi communicarit cum eandem à se non obtineat. Nulla certe est in actione communio quorum non est communis agendi potestas, nulla est δύσις ἐνεργητικὴ sine verâ κοινωνίᾳ. Qui enim in consortium actionis admitti potest, quod omni agendi virtute (quantùm ad eam actionem) omninò destituitur v. g. *membra corporis animalis* dicuntur *sentire, potentiam* ergo sentiendi habent vel *naturâ* vel *communicationis gratiâ*. Fieri enim non potest ut actus secundus sit absq; primo. Ex qvo efficacissime concluditur; *negatâ communione proprietatum negari communionem* ὑποτελεσμάτων sive *operationum*. *Negata in agendo communione, negari* termini *communis participationem. Negata termini communis participatione negari ipsam etiamunionem.*

Negatâ proprietatum communicatione tollitur unio.

Vnion: divisio in naturalem & personalem.

IX. Unio est duplex Naturalis & Personalis. Illa est cum duæ naturæ incompletæ concurrunt ad unam naturam. Hæc, qua duæ naturæ completa una incompleta altera

altera uniuntur ad unam personam constituendam.

Patet divisionis *adæquatio*. Nam *unio proprie dicta* cujus naturam & requisita jam jam descripsimus intercedit substantiam inter & substantiam quæ sunt ut actus & potentia, & terminatur ad unum *per se*. *Substantiæ* vero *unibiles* non nisi duplici ista ratione se habere possunt. *Vel utraq; est incompleta, vel altera completa altera incompleta: Ex pluribus enim completis* non potest resultare unum per se. At vero potest ex *utraq; incompletæ* unum prodire modo sese respiciant ut actus & potentia, ut constat *exemplo materiæ & formæ*. Natura insuper completa *s. persona* quin assumat *alteram incompletam*, nulla est terminorum repugnantia. Datur & hic ἀναλογία δυνάμεως πρὸς ἐντελέχειαν. *An persona finita & creata possit saltem per Dei potentiam absolutam assumere alienam naturam incompletam?* disputant *Scholastici* ut videre est apud *Gregor: de Valent. disp. de incarnatione verbi Dei contr. 1. q. 3. p. 6.* affirmantibus *Gabriele & Occamo*, negantibus *Cajetano Gandavensi & Durando*, aliisq; *Thomæ se-*

Adæquatio divisionis.

An persona finita possit naturam alienam assumere.

ctatoribus, qvi posse terminare alienam naturam, ait, *proprium est divinæ personæ propter illius infinitatem.* Otiosæ sunt subtilitates & inutiles. *Personam* vero divinam τῷ λόγῳ assumsisse *humanam naturam de fide* certum est, imo *non esse* ἐκ τῶν ἀδυνάτων μονότροπον καὶ ἐξαίρετον ejusmodi *unionem etiam ratio* docet. Nullam enim involvit contradictionem sive *personam divinam assumentem sive naturam humanam assumtam* respiciamus. Non *ex parte personæ assumentis.* Ea enim infinitæ est perfectionis, ideoq; infinito modo præstare potest id quod *perfectionis* est in officio personalitatis humanæ, ut scilicet ex vi ejus tanqvam per terminum & complementum qvoddam substantiale cohæreat, ut existat humanitas singularis in rerum natura, id qvod solum proprie & formaliter pertinet ad rationem personalitatis. *Imperfectiones* qvæ personis creatis adjacent, heic omnino exulant. Neq; ex *parte humanæ naturæ assumtæ*: siqvidem duo heic dicantur de eâ qvorum neutrum implicat cõtradictionem: scilicet qvod & *personalitate propria careat & aliena subsistat.* Propria personalitate citra αὐτίφασιν potest destitui: qvũ

Personam divinam assumere naturam humanam non est contrà sanam rationem.

Probatur possibilitas unionis personalis.

suppo-

suppositum sit modus posterior natura, imo *in creatis realiter à natura distinctus*. Et vero omne prius potest esse sine posteriori, modo non sit aliquid *transcendens* vel *aliqvid disjunctum* ex cujus omnimoda negatione quoad utramq; ejus partem sequatur, aliqva contradictio; Et qvæ distincta sunt realiter, in *essentia finita* omnino possunt ab invicem separari saltem virtute infinita, Qvod deniq; idem in specie verum de *personalitate & natura parte speciali* probabitur. Naturam vero humanam propria hypostasi destitutam posse in verbi divini hypostasin evehi eâdemq; subsistere ex eo patet; quod persona τῷ λόγῳ eam omnino habeat perfectionem, ut qveat terminare & complere substantialiter humanitatem singularem de se nondum in subsistendo terminatam & completam. Si enim id humanitati præstare potest ὁ λόγος, etjam potuit id humanitas à λόγῳ accipere, Omnino enim *potentiæ* Dei *activæ* respondet in creatura *potentia obedientialis*. Ita constitit ex indole substantiarum unibilium, divisionis *ratio & adæqvatio*: jam etiam patescit è consideratione *termini* ἑνωτοῦ. Quæcunq; in unione concurrunt,

Alio probatio dictionis.

Incommunicabile duplex.

terminantur ad unum incommunicabile. *Incommunicabile* vero est vel ratione *subsistentiæ ex principijs substantialibus & naturalibus provenientis* qua natura in se terminatur & in subsistendo est independens: vel ratione *subsistentiæ aliunde naturæ* qva principia substantialia qvidem completæ at ἀνυποστάτῳ *communicatæ*, ut, cũ dispositione superioris principij non emanarit è principijs proprijs & naturalibus actus subsistendi ultimatus ab alius subsistentia, ipsa terminetur & personetur. *Constat divisioni sua veritas.* Obiter addo.

Alia dibisio unionis.

Divisimus antidhac *unitarem divisibilem* ratione unionis in φυσικὴν s. *essentialem* & ὑπερφυσικὴν vel *singularem*. Et hanc fecimus tum *mysticam* verbi & spiritus, tum *hypostaticam* λόγε & humanitatis, jam qvid in ea divisione desideremus facile cordatus lector ex his qvæ de unione dicta sunt deprehendit. Sed nunc explicanda *membrorum divisionis nostræ natura & veritas.*

De unione naturali, ejus Extrema.

In *naturali unione extrema* sunt duæ naturæ incompletæ (in essendo non minus qvam in subsistendo) qvarum tamen una est perfectior altera, ut hæc etiam ab illa perfici possit: qvæ sunt *materia & forma*. *Ista* enim habet ratio-

tionem δυνάμεως hæc ἐντελεχείας. Illa proinde potest perfici & actuari: *hujus* vero est perficere & actuare. Hinc constat *fundamentum remotum* unionis materiæ & formæ. *Propinqvum* est *actualis unitio* s. actus conjungens materiam & formam. Inde *terminus*, *compositum naturale* seu natura completa incommunicabiliter subsistens de se & in se spectata: in qva concurrunt prædicta extrema. Hinc forma totam implet materiam eamq; actuat ac determinat, ubi totam sese ipsi communicat ac cum eâ unum compositum constituit idq; in certa specie Entis locat & unum incommunicabile reddit. Idcirco *relatio* datur considerato subjecto in ordine ad terminum: ipsa scilicet *materiæ & formæ* in composito naturali *unio*. E converso resultat *correlatio*, si habitudo termini ad subjectum suum spectetur, qvæ est *communicatio naturæ completæ ceu termini ad naturas incompletas materiam & formam*, qvæ ambæ in communi natura s. composito conveniunt. *Unio & communio* ista infert tum *mutuam* principiorum substantialium (ita dicuntur in composito materia & forma) *immanentiam* cum περιχωρήσει

Fundamentum remotum.

Propinqvum.

Terminus.

Relatio.

Correlatio.

Actus formæ cōmunicatur materiæ tùm Substantialis tùm Accidentalis. Probatur.

ἐήσσ materiæ & formæ, tum *proprioruṁ communicationem. Actus* enim *formæ* communicatur *materiæ*, qvi duplex, *substantialis & accidentalis. Iste* dat *esse* materiæ ut sit τόδε τι hoc aliqvid, *hic operari* ut formæ juncta in communionem actionum veniat. Absq; enim *illo* materia foret indeterminata; absq; *hoc* excluderetur ab operatione, adeoq; omnino non actuaretur, vel certe ad actus compositi nullatenus concurreret, qvod utru mque æqve absurdum. Nulla sane foret *unio*, nisi forma actuaret & terminaret materiam qvæ nuda potentia & de se indeterminata. Nulla omnino *operationum communio* nisi forma agendi facultatē communicaret materiæ qvæ de se mere passiva. Proinde *neq; per unionem exurgeret compositum* negata *actus substantialis* communicatione, *neq; à composito proficisceretur ulla operatio*, vel effectum ullum negata *actus accidentalis* cōmunione. Hinc *Scaliger* accurate concludit: qvod *ideo ex materia & forma unum fiat, qvia sint causæ internæ per mutuam communicationem inter se ultro citroq; dantes & accipientes, suo utraq; modo aliqvam perfectionem*, servatâ tamen proportione, cum *forma sit perfectiva*,

tiva, materia perfectibilis, & ἐντελέχειας sit dare, *δυνάμεως* accipere, *Exerc. 307. s. 27.* Qvod itaq; *actus substantialis communicetur* materiæ constat è *περιχωρήσει* qvâ forma in omnes materiæ particulas meat & incedit & pervadit eas intime ut nulla sit vel minima pars qvæ non sit informata, qvippe qvia forma in toto est & in qvacunq; parte tota. *Adeo divina res forma est ut cum sit substantia, aliam totam sui impleat substantia; ita ut ex utraq; fiat unum* ait *Scal. Exerc. cit. s. 29.* Qvod *accidentales actus* formæ participet materia, argumento sunt *ὁλοτελέσματα* qvæ nullo jure toti adscriberentur compositio, si nulla in agendo esset materiæ & formæ communio. Hujus ergo causâ debet *forma perfectiones* suas communicare *materiæ*, qvæ eò conducunt, non autem potest vicissim forma recipere à materia *imperfectionesqve*, eo qvod materia mere passivè sese habeat. Ubi tamen videtur qvippiam formæ communicare, id *non tam in formam qvam in totum compositum resultat.* Deniq; *κοινωνίαν utramq;* arguit *prædicatio*, infallibile *τεκμήριον*. Nam & *forma* dicitur de *materia παρωνύμως* v. g. *materia est informata: & proprietates*

περιχώρησις *naturalis.*

ὁλοτελέσματα *totius.*

Forma cõmunicat. materiæ perfectiones non accipit imperfectiones ejusdem.

Prædicationes argumentum communicationis.

tates formæ prædicantur de materia v. c. potentia videndi sentiendi de corpore, qvod ideo denominative dicitur vivum & sensitivum. Prædicatio vero ejusmodi fundamenti loco præsupponit communicationem. Eodem modo potest declarari unio personalis è generali unionis natura non sine fructu. Extrema sunt naturæ: divina ἀνυπόστατος & humana ἀνυπόστατος cum ista sit completa in subsistendo hæc incompleta. Qvas inter licet haud detur proportio Geometrica, negari tamen non potest proportio habitudinis & ordinis qvalis scilicet solet esse inter potentiam & objectum. Nam & personalitas divina & natura humana sunt per se talia, ut natura humana possit à personalitate divina tanqvam à termino dependere. Ista est instar actus hæc instar potentiæ. Utriusq; concursus jubet nos pie cogitare illud Augusti Ep. 5. ad Volus. in hoc mysterio tota ratio facti est potentia facientis. Concurrunt autem non personalitas abstracta cum natura, sed natura ἰδιοσύστατος vel persona, cum natura propria personalitate destituta. Non enim alia est ratio extremorum unibilium in unitione qvam ante eam: qva constitutionem internam & ratione sui,

De unione personali.

Unibilia sunt natura.

Proportio inter naturas.

Concursus naturarū.

Personalitas abstracta non est consideranda in unione.

sui, licet alia sit qvâ *conditionem externam* & ratione *status*. Non potest ullatenus persona divina esse absq; natura etiam in se *ab intra* multo minus qva *alia & ad extra*. Ut ergo *ante unionem* non est sine natura personalitas, ita nec *in unione*. Cum vero unio *formaliter* sit συνδρομὴ κοινωνικὴ, patet qvod idem qvoq; de unione *hypostatica* dicendum, siqvidem ea vera realis ac substantialis unio dicenda sit. Non potest ergo non inferri tum *immanentia* naturarum mutua, tùm *communicatio*. Sine *eâ* enim nulla est conjunctio, sine *hac* non nisi ὡθησικὴ. *Veritas conjunctionis* reqvirit veram concurrentium naturarum præsentiam, ut *ubicunq; unum unitorum sit, ibi qvoq; alterum non possit non esse*. *Termini unitas* salvari neqvit absq; κοινωνίᾳ. In hac vero unione ἀδιαιρέτως partim & ἀχωρίστως facta *terminus est persona* σύνθετος θεάνθρωπος, qvando ὑπόστασις τοῦ λόγου facta qvoqve est carnis ὑπόστασις ut divina & humana natura unum constituant ὑφιστάμενον. Qvod ne cogitare qvidem licet, *nisi filius Dei subsistentiam suam cum assumtâ carne communicarit*. Qvomodo enim Deus & homo vere & realiter esset una

Concursus communicatibus.

Immanentia naturarum.

Terminus.

Communicatio subsistentiæ.

& indivisa hypostasis, nisi adsumta humanitas, (qvæ in se est ἀνυπόστατος & non subsistit nisi in persona τῦ λογȣ) personæ illius vere & realiter facta fuisset particeps. Id qvod ulterius ex *natura relationis* probat accurate, *admodum Rev. & Excell. Dn. D. Mislenta præceptor meus honoratißimus dùqviſit. Sachſ. p. 31. Hypostaseos communionem excipit idiomatum communicatio.* Concursum enim communicativum seqvitur actualis communicatio. Qvod manifestum est *ê generali unionis doctrîna.* Idqve tanto efficacius urget, qvanto arctior est hæc unio. Si enim in qvavis unione necessaria est isthac communicatio adeo ut ab ea petatur ratio distinctionis συνδυασικῆς καὶ ἀδιαιρετικῆς perspicuum est qvod in unione arctissimâ summè necessaria sit communicatio. Præterea licet qvoq; argumentum in generali doctrina adductum huic unioni hypostaticæ in specie accõmodare qvod erat petitum ab *operationum communione.* Nam utramq; naturam agere cum communione alterius ut operationes naturæ utriusq; distinctæ licet non tamen separatæ sint sed intime conjunctæ atq; ita concurrere utramq; naturam conjunctim ad u-

Idiomatum communicatio.

ad unum ἀποτέλεσμα producendum jam dudum obtinuit contra Nestorianos orthodoxa antiqvitas. E qvo idiomatum communicatio invicte concluditur apodixi supra proposita. Non dicam de eo qvod hic singulare est: qvod persona natura, idiomata in divinis idem sint & sic ἀπλῶς ἀπλῶς ἢ obtineat ταυτότης. Qvod argumentum *ad hominem* immotum est, juxta πολυθρύλητον illud. *Qvæcunqꝫ non differunt realiter eorum communicato uno communicatur & alterum.* Hinc adeo veritatis vi adactus cogitur *Valentian: disp. general. q. 2. pag. 3.* concedere *humanitatem habere illa divina idiomata atqꝫ hæc ipsi realiter esse communicata, qvamvis non ut illa sit sed ut per illa subsistat.* Effugium merè *Jesuiticum!* cui tamen universa innititur *Jesuitæ* disputatio. Qvis unqvam dixit humanitatem esse ipsa divina idiomata? Qvid hoc dictum. Humanitatem subsistere per divina idiomata? Qvi subsistere potest per divinam omnipotentiam si eam non habeat idq; non saltim extrinsece, sed ut intrinsice perficiatur. Nam *si per istam subsistit complete & ut ita dicam hypostaticè habet utiꝫ illam tanqvam sui qvoddam substantiale complemen-*

Valent. agnoscit communicationem divinos.

Distinctio Jesuitica.

mentum: cumq; illam per se & ex se aut naturaliter non habeat habet communicatione atq; dono, verba sunt ejusdem non minus contra seipsum qvam contra suos complices. Qvod enim humanitas habet *tanqvam sui complementum qvoddam substantiale* id certe non perficit humanitatem saltem *extrinsece*. At plenitudinem divinitatis habet humanitas asserente *Jesuita*. Qva ergo fronte contendit *non aliter habere eandem qvam ut per illam subsistat atq; adeo ut qvasi perficiatur extrinsice* prout ipse explicat *l. c. col. 133*. Deniq; qvomodo habet omnipotentiam omnisicientiam &c. humanitas *vera & reali communicatione*, si non est omnipotens omniscia vera & *reali denominatione*? Dicere communicatā esse omnipotentiam humanitati, eamq; negare omnipotentem per communicationis gratiam est aperta *ἀντίφασις*. Sed nolo plura. Constat qvod utiliter possit transferri *generalis θεωρία* unionis ad speciales unionis modos, eos vero perseqvi *specialius* non est *σκέψεως Metaphysicæ*, sed partim *Physicæ* partim *Theologicæ*.

Contra dicit sibi Valentian.

Πρός-

Πορίσματα.

I. Omne qvod est, eo ipso qvia est, singulare est. *Omne qvod est, eo ipso qvia est, singulare est.*

Duo heic exprimo. 1. Qvod omnia *qvæ in natura sunt* in qvantum existunt singularia sint. 2. Qvod ideo singularia sint *qvia sunt:* adeoq; particula *qvia* est h. l. *tum ἐφικὴ, tum ἀποδοτικὴ. Illud,* dum specificat, quæ singularia sint; *hoc,* qvando causam indicat qvare singularia sint, *Ibi* asseritur, omnia qvæ vere & positive existunt individua esse: *hic* principium individuationis definitur ipsa rerum natura & essentia. *Prius* constat: qvia omne qvod existit, habet determinatam Entitatem in se unam & proinde individuam: non enim potest res vere una vel in seipsâ dividi vel in plures qvalis ipsa est, distribui. *Deinde,* qvicqvid in mundo est præter Deum productum est. E. singulare; quia actio causæ non potest terminari nisi ad singulare. *Deum* vero *singularem qvi negat, Deum negat.* Si namq; essentia divina universalis sit, multiplicabilis erit ad plura inferiora seu ad plures Deos essentialiter diversos qvod simpliciter est impossibile & contradi- *Qvod ōnia singularia sint, qvæ existunt.* *Deus est singularis.*

tradictorium. Omnia ergo qvæ existunt, in qvantum existunt, singularia sunt: è qvo *seqvitur: universale in qvantum universale non existere in natura.* Qvāvis enim universales naturæ radicētur in singularibus, non tamen *actu, formaliter abstracte* & qva *consummatum universalis* statum sunt, nisi in mente nostrâ cum exurgant per abstractionem mentis & consistant in nöematica repræsentatione sub statu isto præcisivo. *Posterius* ostēdo: Qvod est principium essentiæ, illud quoque est principium individuæ essentiæ. Omne ergo qvod est per qvod habet esse, id ipsi est principium individuationis. Ita *Deus* per essentiam simplicissimam singularis est. *Spiritus creati* actum obtinent cum αὐτοῦ essentiali ad potentiam. Ab eo ergo singularitatem habent. *Substantiæ materiales incompletæ* per Entitatem propriam sunt individuæ. Nam ut nec *materia à forma* nec *forma à materia* esse habet, ita neq; *unitatis numericæ* sibi mutuo causæ esse possunt, sed & *illa* & *ista* habet propriam entitatem de se & per se: E. & unitatem numericam. *Substantiæ materiales completæ* constituuntur intrinsecè à forma materiæ copulata naturali

Universalia, qvâ talia non existunt.

Qvodnam sit individuationis principium

turali unione. Esse ergo numericum ipsis competit non ob *hæcceitatem*: qvia idē est ipsa hæcceitas: nō ob *qvantitatem* qvia hæc posterior istā: sed à *forma juncta materiæ*. *Accidentia* deniqve *secundum se* redduntur individua per suam entitatem, qvanqvam ratione *emanationis* à subjecto numericam distinctionem accipiant.

II. Universalia sunt à singularibus inseparabilia.

Universalia sunt inseparabilia à singularibus.

Non enim tantum realiter sunt idem sed & essentialiter. Universalia namq; sunt de essentia singularium. Ab ijs ergo separari neqveunt, licet præscindi possint. Aliud est *abstractio mentalis*, aliud est *separatio realis*. Unde constat naturas universales qvæ extra singularia obambulent purum esse figmentum. Cæterùm ut *concipiatur natura universalis reqvirun-tur individua plura* sive *actu* sive *potentia*. In uno n. non potest conservari universalis natura utpote qvod de ejus ratione sit communitas multiplicabilis. Non tamen inde inferendum qvod ejusdem naturæ semper existant plura individua. Qvid enim de *speciebus monadicis, sole, luna alijsq; stellis*? Qvid de *Adamo solitarie primi-*

An universalia consi-derentur in uno?

An Adam fuerit simpliciter unus ante Evam conditam?

primitus existente? Sed fingit hic qvidam: *Adamum non fuisse simpliciter unum qvia in latere inclusam habuerit Evam & stirps fuerit universi generis humani.* Eximia ratio! Ita non erit animatum qvod unum dici qveat. Cum omnibus indita sit vis πλαστικὴ seu propagativa. Imo nulla erat potentia ista Adami ad Evam nisi obedientalis. Sed hæc *autori suo* remittamus.

Unum per accidens plura continet actu divisa.

III. Qvicqvid est per accidens unum plura actu divisa continet Entia.

Si enim revocentur naturæ diversæ ad Entitatem indivisam, terminus erit unum per se. Ubi itaq; non est actualis multitudo externa vel respectiva qvadam habitudine ad unum rediens ibi non est Ens per accidens. Ita v.c. *aggregatum* dici non potest nisi qvod constat ex plurium collectione & aggregatione. Insulsi ergo *Papicolæ* cum *Ecclesia sua repræsentativa.* Ecclesia est aggregatum qnid. In *Pontifice Romano* qvæ aggregatio? Forsan totius Papatus qvem eminenter & virtualiter continet? Unde in eum fit ultima omnium resolutio.

IV. Unum

IV. Unum est incommunicabile. *Unum est incommunicabile.*

Scilicet qva ratione universale est communicabile. Servandi enim oppositionis termini, unde collige. Qvæ communicabilitas sola constituit universale illa sola repugnat uni vel singulari. Ista vero communicabilitas qvæ universale constituit non est ratione communicationis effectivæ eaq; non τῦ communicabilis ut qvo sed ut qvod qvemadmodum ostendit *Dn. Scheibl. p. 1. Metaph. c. 7 n. 12. seqq.* Dicam explicatius. Singulari non repugnat communicatio, καθ' ἀποποίωσιν vel γέννησιν aut ἐκπόρευσιν, qva unum sese communicat alteri sive producendo aliud simile sibi qvamvis essentialiter diversum, qvomodo Pater filio communicat essentiam specie eandem numero diversam, sive essentiam suam individuam alteri supposito communicando, qvalem communicationem in generatione æterna τῦ λόγυ & processione SS. credimus citra dispendium unitatis numericæ essentiæ divinæ. Ejusmodi enim communicabilitas non constituit universale ideoque non repugnat

singulari. 2. κατὰ συνεκδοχὴν qva partis qvod est communicatur toti, qvemadmodum forma singularis dicitur communicari composito. 3. κατὰ θεϊχώρησιν qvando forma sese communicat singulis partibus materiæ salva sua unitate. Ita anima rationalis est tota in singulis partibus citra sui multiplicationem vel divisionem. 4. κατὰ μετάδοσιν, qva unum confertur alteri ad communem possessionem, ut in unione qvod est proprium naturæ unius licet singulare sit & maneat, communicatur unitorum alteri absq; multiplicatione. Repugnat vero singulari communicatio κατὰ μέθεξιν juxta essentialem participationem qvâ aliqvid commune est pluribus essentialiter inferioribus ut in illis divisim possit multiplicari. Dico *pluribus inferioribus*. Ita distinguitur ab ea communitate qva substantia creata est communis accidentibus pluribus etiam realiter distinctis qvamvis ipsa una sit & singularis. Addo *multiplicationis aptitudinem*, qvæ infert plura non tantum realiter sed & essentialiter diversa. Et hac ipsa communitate sola à singulari distinguitur; ideoq; ea simpliciter repugnat singulari.

Qvalis communicatio repugnet singulari?

V. In

V. In unitate indivisibili nulla est unio. *In unitate indivisibili nulla est unio.*

Si qvidem velimus ἀκριβολογεῖν, ubi namq; summè simplicissima unitas, ibi nulla divisibilitas. Hac autem negata unio nulla esse potest. Vera enim unio est rerum diversarum sc. qvà *essentiam*, non *distantiam*; & parit saltem *unitatem indivisam divisibilem*. Cæteroqvin appellitant Orthodoxi unionem personarum in SS. Triade summam istam unitatem ἐν πλάτει & exotericè.

VI. Unio est rerum divisibilium. *Unio est rerum divisibilium.*

Non qvod dividi facilè possit: sed qvod unibilia prius sint anteqvam uniantur: adeoq; ante unionem divisa fuere qvæ unionis gratia conjuncta sunt, licet vel in æternum non dissolubilia. Istud verò *ante* non est necessario *temporis* sed *naturæ*; sunt enim qvæ non sunt, anteqvam alteri conjuncta sint: & nonnulla non existunt, nisi cum sibi mutuo coexistunt vel unita sunt.

VII. Unio habitualis non est realis. *Unio habitualis non est realis.*

Habitualis enim consistit tantum in χέσει & *à mente* dependet. *Realis* vero citra operationem mentis veritatem suã obtinet. *Ista* est vel rerum etiam qvà maxime dissitarum: *hæc* sine conjunctione & indistantia rerum nulla est. *Illius* ratio est mentalis collatio: *hujus* realis conjunctio. *Illa* non terminatur ad unum: *hæc* unitatem infert necessario. Non ergo debent hi unionis modi inter se confundi; secus fit à *Calvinianis* qvi *unionem realem vocant in S. Eucharistia qvæ in nuda* χέσει *signi ad signatum consistit.* Qvæ hæc est libido terminos reformandi? *Realem* unionem dicere qvæ citra mentis operationem nulla est. *Habitualem* vocare realem. *Mere impropriam* appellare propriam: Scilicet ut relatio infert relatorum præsentiam, ita relativa unio veram conjunctionem. *Cœlum & terra* se respiciunt ut *summum & imum*: ideoq; juxta Reformatorum Philosophiam realiter sibi sunt unita. Idem sentiendum de unione virtuali, qvâ virtute sibi uniri dicuntur, qvæ suppositi ratione minime unita sunt. Hanc itidem realem vocant, sed ad fallendum imperitos. Unio enim vera & realis intercedit, inter *substantias*

Unio in Cænâ juxtâ Calvinianos non est realis.

vere

vere conjunctas, non inter virtutes: infert veram unitorum ἀδιαιρεσίαν & indistantiam: non absolvitur rerum sibi mutuo absentium *habitudine vel virtute. Sol influentia virtutis suæ terris jungitur. Idem terris realiter* uniri *per absurde dicitur*, quod subseqvens ulterius roborabit πρόλημα.

VIII. Unio non est sine unitorum mutua præsentia. *Vnio non est sine unitorum mutua præsentia.*

De *Unione vera substantiali & reali* loqvor, non de *imaginaria virtuali & habituali*: qvæ uti æquivoce tantum unio indigitatur, ita non infert præsentiam eorum qvæ *isto modo* unita dicuntur, verius *non unita*. *Mens* enim haudqvaqvam potest efficere præsentia, qvæ realiter sibi sunt absentia. Qvicqvid vero præstat phantasia qvæ objecta sua sensibilia absentia etiam exhibet, ceu præsentia, id in re nihil infert & non nisi φαντασιακὴν unionem facit: *virtutis* influxum non inferre veram unionem anteâ dictum. *Relatio* deniq; nuda non importat relatorum præsentiam, qvum vel toto cœlo dissita relata dentur. Ad unionem vero necessaria est unitorum præsentia, adeo ut absq; eâ nulla sit unio. *Unio* enim non *Explicatio.* *Ratio.*

est sine termino. Terminus autem unionis est unum indivisum. Qvæ ergo non faciunt unum indivisum, ea unita dici non possunt. At qvæ sibi non sunt mutuo præsentia, impossibile est ut unum indivisum constituant. Esset enim idem indivisum in se & divisum à se. Indivisum ratione unionis. Divisum ratione localis disjunctionis. Videant ergo *Zvingliani*, qvomodo non evertant unionem sacramentalem qvum *realem* negant rei cælestis & terrenæ conjunctionem & non nisi νοητικὴν ἐνεργητικὴν & χρηστικὴν, *objectivam, effectivam ac relativam præsentiam* admittere volunt. E dicto vero principio recte infertur, *Ubicunq; unum est unitorum, ibi etiam alterum ei unitum esse debere.* *Et unionem indissolubilem inferre rerum unitarum præsentiam perpetuam & æternam.* Hinc *Leo Epist. 5. ad Flavium,* Post *unionem in Christo nec sine vera divinitate humanitas nec sine vera humanitate credatur Deitas.* Qui ergo negant humanitatẽ ubiq; præsentem adesse Deitati, unionem, qvantum in ipsis est, solvunt. *Impoßibile est ut unita sint & maneant nedum unam numero ὑπόστασιν habeant, qvæ locorum intercapedinibus distant.*

Vbi unum unitorum ibi etiam alterum.

Et

Et qvam primum unum unitorum totale extrà alterum totale esse & ab altero abesse incipiat, exspirat conjunctio & rumpitur unio. Qvia fieri neqvit, *idem esse extra rem & in re, separatum & conjunctum.* Sic si *anima extra corpus* constituta sit, non servatur sed cessat unio. Vel *si anima sit ubi non sit corpus* anima non potest dici totaliter unita corpori.

IX. Qvalis unio talis communicatio.

Qvalis unio talis communicatio.

ἐυδηλον è naturâ *unionis & communicationis.* Si ergo unio sit *realis* communicatio non potest esse mere *nominalis.* Et qvid *nominalis communicatio?* Titulus sine re. *Tituli autem sine re,* dicente *Luthero sonora sunt mendacia.*

X. Unio realis non est sine idiomatum communicatione.

Vnio realis non est sine idiomatũ communicatione.

Unio enim infert *termini communionem,* qva naturas unitas. Hanc insequitur *idiomatum communicatio,* eò qvod unitorum in *agendo* necessaria sit *communio.* Ideo *unio* dicitur *causa communicationis proprietatum* non modo ratione κτήσεως: sed & χρήσεως. Qvod tamen *limitatè* accipiendum de ἰδιώμασι ἐνεργητικοῖς & ad

ad *finem unionis conferentibus*: non de ἀνενεργήτοις ac *nihil faciētib⁹ ad unionē* vel *operationis communionē* qvæ finis est unionis.

Vnio formaliter nō est uniti sustentatio.

XI. Unio formaliter non est uniti sustentatio.

Unio nihil aliud est qvam *unitorum indivisio*. Qvemadmodum enim unum per *unitatem* de se est indivisum: ita unum per *unionem* non habet unitatem nisi per unitorum indivisionem & in ejusmodi indivisione consistit ipsa unio. Nam unio est *modus unius* qvod indivisum per concursum rerum diversarum, & *consequens est unitionis*. Qvid vero *unitio* aliud qvam *plurium conjunctio*? è qvâ fluit *unitorum indivisio*. *Sustentationem* qvi *formam unionis* dicunt, nimis hallucinantur. Nam qvod unum unitorum sustentet alterū, id promanat ab unione, eamq; præsupponit tanqvam *causam*. Propter unionem *actus & potentiæ*, *actus* sustentat *potentiam*. Imo *sustentatio* esse potest sine *vera, & proprie dicta unione* συνδιαιρετικῇ: in unione mere ἀδιαιρετικῇ. Multo vero minus *unio personalis* qvæ est omnium arctissima & ἀπεριφρεάτη, in sola sustentatione consistet, qvod in Theologorum scholis demonstratur.

CAPUT V.

De Veritate.

Disputat. VII. Respond. Christophoro Bertramo, *Rostochiens.*

AB *affectionibus* absolutis *ad respectivas tendimus. Prima est Veritas vel ideò, quòd* bonum *non sit nisi id quòd* verè *est. Tria hèic occurrunt.* 1. Nominis æqvivocatio. 2. Formalis ratio. 3. Divisio.

Veritatis distinctio.

I. Veritas alia est objectiva s. rei, alia conformativa s. animi; alia significativa s. signi. Illam veritatem in essendo; istam in cognoscendo, hanc in significando dicimus.

Veritas Metaph. Logica, Ethica.

Verum multis modis dicitur, variéque nominis ratione distingvitur. *Acceptiones* varias videsis apud *Dn. Kesler. p. gen. Metaphys. s. 2. pr. 3. m. 1. Distinctiones* æqvivocæ sunt in *complexam & incomplexam:* 2. In veritatem *rerum, sententiarum connexionum,* de qvibus alij. 3. In veritatem *Metaphysicam*, qvæ est conformitas rei & intellectus divini: *Logicam:* qvæ est congruentia intellectus nostri cum ob-

jecto: & *Ethicam*: qvæ est consonantia vocis & cordis, vel sermonis & intellectus, cum qva ferè coincidit ea, qvam theor. proponit. Veritas enim in *essendo* s. *entitativa* & *objectiva* est transcendentalis rei ipsius, adeoq; *Metaphysica*. Veritas *conformativa*; qvæ & *intellectiva* in cognoscendo dici potest *Logica*, ratione λόγε ἐνδιαθέτε: vel *Physica*, aut potius *gnostologica* ratione *fundamenti* & modi *cognitionis*. Definitur communiter *adæqvatio vel conformitas rei & intellectus*. Conformitas in *repræsentando* non similitudo in Essendo. Intellectus enim fit omnia non *realiter* sed *idealiter*: ideoq; est adæqvatio non *qvantitativa* sed *correspondentiæ*; ea tamen *plenaria & commensurata*; cum veritas cognitionis nostræ debeat consistere *in indivisibili*. Definitur verò adæqvatio intellectus: qvia consistit veritas in intellectu *subjectivè*, qvem accidentaliter perficit & denominat, & qvidem in omnibus intellectus operationibus, tùm ἀδιαιρέτων νοήσε, tùm συνθέσε tùm διανοίας. De *intellectu composito*, s. veritate tùm νοητικῆ *Enunciationis*, tùm διανοητικῆ *consecutionis* nullum est dubium. Ambigunt de *intellectu simplici & veritate incomplexâ* qvæ

Veritas intellectiva.

Veritas est in omni operatione mentis.

qvæ in *terminis simplicibus*. Hac in re dico: certum imprimis esse qvod veritas *peculiari ratione* sit in secunda mentis operatione, qvâ scilicet non est in primâ, qvod habet *Aristot. 3. de anim. c. 8.* Ista verò specialis ratio videtur mihi in eo consistere, qvod veritas compositionis simul respiciat *cognationem & affinitatem rerum*, qvæ de se enunciantur, in simplici vero apprehensione non attendatur illa affinitas, sed unice objecti & intellectus conformitas. De qvo *alibi* forsan *ex professo*. Denique observandum: qvod veritas cognitionis dicat congruentiâ intellectus & rei: qvo innititur mensura cognitionis, vel veritatis cognoscendi, qvæ sunt res ipsæ. Distinguitur autem inter mensuram *cognitionis & constitutionis*. *Hæc* est causa prima independēs: *Illa* sunt res ipsæ, de qvo vid. *Disp. de bas. cognition.* Ubi distinximus inter mentis directionēm *objectivam & realem*, atq; *præparativam & intentionalē*: qvarum *ista* semper ad veritatem tendit & est *rerum* ipsarum: *hæc* ad benè esse veræ cognitionis facit, & est *notionum secundarum*. *Ista* supponit tùm rerum *qvidditatem*, tùm *affinitatem*, qvâ res considerantur vel in

Norma veritatis cognoscendæ

sese, vel inter sese διακριτικῶς vel συγκριτικῶς: hæc facilitate qvâdam terminat intellectus operationes, tùm qvâ *simplicem*, tùm qvâ *compositam* apprehensionem. Tandem veritas *in significando* qvam *significativam* dicunt *duplex* est: *alia* qvæ ad animum proferentis, *alia*, qvæ ad rem extra animum existentem refertur. *Illa* est conformitas orationis cum conceptu mentis qvæ aliàs vocatur *Ethica & veracitas* dicitur: *hæc* est conformitas orationis (scriptæ s. prolatæ) cum re illa de qva aliqvid pronunciat, & nonnullis dicitur *veritas Logica*. *Illius* norma est conceptus mentis: *hujus* sunt res, non conceptus.

Veritatis definitio.

II. Veritas est congruentia rei cum intellectu divino.

Hæc est formalis veritatis ratio, qvam alij exprimunt negativè per *negationem fictionis*, sed id saltim *populariter*: accuratius per *relationem rationis* qvæ est *congruentiæ* non *qvantitativæ & adæqvationis* sed *imitativæ & repræsentationis*: idq; ad *intellectum* non qvemvis sed *divinum*, ceu primum verum qvanqvam etiam possit referri ad intellectum humanum: sed id tantùm *consequenter & accidentaliter*: non

qvâ

qvà res est de se vera, sed qvà res ut vera cognoscitur. *Duplex* enim est relatio: una *essentialis* & intrinseca, qvà res de sese refertur ad intellectum divinum cui congruit. Altera *accidentalis* & extrinseca, qva res est cognoscibilis & movere potest intellectum nostrum ut cognoscatur, qvo & ipse fiat rei conformis. Intellectus *divinus* terminat rerum veritatem: *humanus* vero terminatur à veritate rerum. Ab *isto* ergò æstimari debet essentialis rerum veritas non ab *hoc*. Qvod enim *artificum opera* attinet, qvæ ad intellectum humanum πρώτως referri videntur, utpote exstructa ad ideam, qvæ in mente artificis: sunt ea saltem *entia per accidens*: & qvidem, ubi in simplicia sua resoluta fuerint, itidem referuntur ad intellectum divinum, adeoq; saltim mediatè eidem congruunt. Cæterum qvando veritas dicitur congruentia rei cum intellectu, accipiendum id de *intellectu*, qvà præscindit à *cognoscente & mensurante*, id est: veritas rerum adæqvatur divinæ menti sive ratione *cognitionis*: qvod tales sint res ipsæ, qvalis est cognitio Dei: sive ratione *mensurationis*; qvod mensura veritatis rerum sit intellectus divinus.

Duplex relatio veritatis.

Præscindendum est ab intellectu cognoscente & mensurante.

Ideoque qvicqvid verum dicitur respectum involvit essentialem ad intellectum Dei, vel qvod ipsi Dei cognitioni correspondeat vel qvod ab ideâ, qvæ est in mente divinâ dependeat. Non enim intellectus divinus *simpliciter* habet sese ut norma omnis veritatis, aliàs sui ipsius esset norma, qvod videtur inconveniens, cum interveniat realis *distinctio* inter *normam & normatum*, ut suo loco videbimus, qvamvis sit norma omnis veritatis participatæ: attamen qvantũ cognoscit suã ipsius veritatem, conspicitur in hoc omninò exactissima congruentia, imò omnimoda identitas objecti cognoscibilis & intellectus cognoscentis; ob qvam eminentissimâ ratione Deo veritas vendicatur, de qvo seq. th.

Divisio veritatis.

III. Congruentia ista vel est omnimodæ identitatis: vel analogicæ participationis. Illa Dei. Hæc creaturarum.

Dei veritas essentialis est, ipsa divina essentia, qvà conformabilis divino intellectui. Tribuitur Deo veritas conformativa qvà infallibiliter congruit divinus intellectus cum objecto intelligibili

gibili ita ut nullatenus errare possit in suâ intellectione: & veritas significativa, qva significat Deus veracissimè creaturis, qvæ ipsis revelata vult. Sed hèic removendæ omnes imperfectiones, & cogitanda summa perfectio. Imperfectio est, qvod intellectiva veritas in creaturis intellectualibus regulam habeat objectum, cui debet conformari: qvod significativa præsupponat conceptus mentis, & hi dependeant à rebus ipsis: at hæc in divina intellectione, & signatione ne cogitari qvidem debent. Nam intellectus divinus est causa & norma omnis veritatis in rebus; veracitas divina est independens ab omni objecto, Utraq; tum omnisapientia tum veracitas divina est infallibilis & indefectibilis & ut ipsa Dei essentia immutabilis. Hinc Deo contradictoriè repugnant error & mendacium. Sed de hisce in Pneymaticis. Veritas Dei entitativa hujus est loci qvæ materialiter est ipsa divina essentia, formaliter verò implicat relationem qvandam convenientiæ vel potiùs identitatis. In Deo enim omnia sunt idem. Hæc dum pono, constat non obtinere hic rationem mensuræ & mensurati; qvæ consistere

Veritas Dei Entitativa.

non potest cum summa ista identitate. Non ergò Deus propriè dicitur mensuratus in ordine ad intellectum suum. Imò si rationis saltem cogites distinctionem, debet potius divina scientia suæ proportionari essentiæ, qvam è converso. Non ideo hoc Ens est verus Deus, qvia videt se esse verum Deum, sed ideò videt se esse verum Deum, qvia reipsa est verus Deus. Unde veritas Dei notat talem naturam, qvæ apta est inducere veram de se æstimationem ceu proprium & adæqvatum sui conceptum. Et idolum est Deus putativus saltem seu fictitius non verus cum non sit aptum facere de se proprium & adæqvatum divinæ essentiæ conceptum in intellectu divino. Videatur *Eleri Disp. 4. Pneumat. th. 5.* Terminus divinæ veritatis est intellectus divinus non practicus sed speculativus, ad qvem refertur essentia divina tanqvam cognita ad cognoscens suum: Intellectus enim divinus non confert essentiæ divinæ veritatem, sed supponit, eamq; simpliciter intuetur in qvo intuita est omnimoda identitas, cum Deus sit ipsa veritas: qvia ipse per se est sua essentia. Hinc fit, ut is solus sit verus Deus, qvia est Jehova essentia vera & veritas essentialis. Contra

verò

verò alij qvi dicuntur Dij sed non sunt ideò non sunt Deus qvia veritas essentiæ divinæ in ijs desideratur. Proindè non potest vel debet vocari verus Deus, qvi non est ipsa prima, summa, independens veritas, & ἀυτοαλήθεια. Ut verò Deus est verus in seipso, qvatenus ipse est, qvod videt se esse, ita qvoqve est veritas in seipso, qvatenus ipse idea est & norma rerum omnium qvæ extra ipsum sunt ad qvam ideam omnia qvæ sunt conformata sunt, ideò ipsæ etiam res creatæ veræ dicuntur & sunt ob istam cum ideâ in mente divina conformitatem. Verè *Augustin. Tom.1. soliloqvior.l.2.c.5.* Verum est id, qvod est, qvia tale est, qvale Deus vidit ab æterno futurum. Illud autem verum omnes dicunt esse, qvod tale revera est, qvale esse videtur. Inde colligit omne Ens creatum verum esse. Omnia enim qvæ sunt, talia sunt, qvalia Deus esse prævidet & semper videt. Omne igitur qvod est verum est. Competit verò rebus creatis veritas, ut Entitas per analogicam participationem, qvia non minus, qvod veræ sint â Deo habent, qvam qvod verè existant. Verum omne ex hoc est verum, qvia aliqvo-

Veritas creaturarum.

modo assequitur primum verum ait *Alex. ab Ales. 2. Metaph.*

Πορίσματα.

Veritas una tantùm est.

I. Veritas una tantum est.

De veritate *essentiali* nullum est dubium: unius enim rei una essentia: Neq; de veritate *signi* id primò intelligitur. Sed de veritate *cognitionis*: cujus unitatem *Schillingiani* in dubium vocant. At frustra. Veritas enim cognitionis est conformitas intellectus cum rebus. At verò res omnes sunt veræ essentialiter per convenientiam cũ intellectu divino. Qvam ergò necessaria est & immutabilis conformitas rerum & intellectus divini, tam necessaria est & immutabilis conformitas mentis & rerum in veritate cognitionis. Hæc enim se mutuò respiciunt. Veritas rerum dependet ab intellectu divino. Veritas cognitionis dependet à rebus. Qvocirca qvi duplicem facit veritatem cognitionis, mutabilem dicit intellectum Dei. Mensura veritatis sunt res ipsæ, qvæ ut fixæ manent, ita etiam veritas cognoscendi in ijs fundata immobilis perstat.

Contrà Schilling.

Non est duplex veritas.

Constat igitur, *qvod non sit duplex, eaq; opposita veritas*: qvodque proscribendum omni-

omninò è Philosophiâ illud πολυθρύλλητον: *falsum est in Theologiâ, Verum in Philosophiâ, & vice versâ.* Qvia veritas cognitionis *Theologica* est adæqvatio notionum mentis cum rebus *revelatis*: Veritas *Philosophica* est adæqvatio notionum cum rebus *lumine rationis cognitis*, Vel qvas pro subjecto agnoscit Philosophia. Nulla ergò hic oppositio. Contradictio est de eodem & circa idem qvod hic non datur. *Dn. Mentzer.* id illustrat h. m. *Si qværas sitne eadem veritas Grammatica & Rhetorica, æqvè absurdum es, ac si qværas, sitne tropus triangularis.* Idem de veritate *Theologicâ & Philosophicâ* dicere licet, *Deus æqvè verax est in creatione ac in revelatione*, qvuum seipsum abnegare non possit. Discipiamus objecta. *Propositiones* ratione veritatis sunt, vel *purè Philosophicæ*, vel *purè Theologicæ*; vel *mixtæ*. *Illæ*, qvas unicè tradit Philosophia, ignorat Theologia. *Hæ*, qvæ in Theologiâ traditæ Philosophiæ planè sunt ignotæ. *Hæ* qvas utraq; & Philosophia & Theologia dignoscit & proponit. *Primæ* si veræ sunt in Philosophiâ, ipsis minimè contradicit Theologia, qvum eas ignoret. *Secundæ* in Theologiâ certitudinem suam obtinentes,

Veritas Theolog. & Philosoph. non pugnant.

nentes,

nentes, nullatenus, reijciuntur à Philosophiâ, qvod ejus captum excedant. *Tertiæ* neutiqvam possunt ab unâ probari, ab alterâ reprobari: cum impossibile sit idem simul esse & non esse.

Inter Veritatem & falsitatem non datur medium.

II. Inter veritatem & falsitatem non datur medium.

Verum est axioma & de *propositionibus* & de *rebus*. *Inter veram & falsam propositionem alia non mediat*: qvum contradictoriè distent: *Illa* qvippe consentit cum rebus, *hæc* non consentit. Loqvor de propositionibus *in se non multiplicibus*. Nam qvæ *virtute* plures continent propositiones possunt ex semisse veræ, ex semisse falsæ esse. Ut de *exclusivis nonnullis* constat. Similiter *res vel verè sunt, qvod* dicuntur *vel falsò dicuntur, qvod non sunt*. Distinguendum verò hic inter *essendi veritatem & dicendi proprietatem*. Omnis res aut verum est hoc, qvod esse dicitur aut falsum: ut *hoc aurum vel* verum *est aurum, vel adulterinum*. Dici tamen potest res figuratè sine falsitate esse aliqvid, qvod non est verè seu propriè: ut *Herodes citra falsitatem dicitur vulpes, qvamvis non sit verè id est propriè vulpes*. Nam & impro-

impropriæ locutiones alienæ esse possunt à falsitate & rei *veritas* non debet confundi cum *sermonis proprietate*. Qvod contra *Smalcium* notandum: qvi *Magistratus esse veros Deos (licet unus saltem verus Deus sit per excellentiam) ex eo colligit, qvod non sint falsi Dij.* At: *aliud* est verè dici Deum sensu figurato & metaphorico *aliud* verè esse Deum significatione Dei propriâ & nativâ. Seu: distincta sunt *officio* repræsentare qvodāmodo Deum: & divinâ *essentiâ* præditum esse. Vid. *Dn. Kesler. part. 1. Metaph. gen. Sect. 2. in append. mih p. 91.* Qvod *Metaphoricè & figuratè* dicitur, id certè non participat rationem denominationis *sensu proprio & nativo:* Et qvod non participat rationem denominationis *verè aut propriè*, ei citrà *modificationem aut falsitatem* ejusmodi denominationem tribuere non possumus.

III. Falsitas non est in rebus. *Falsitas non est in rebus.*

Datur qvidem in rebus *defectus* vel *carentia perfectionis & adæqvationis ad normam* ut in *monstris*, qvæ à *naturæ* normâ: *in artificum erratis* qvæ ab *artis* præscripto: in *peccatis* qvæ à *lege*, & *vitijs* qvæ

à re-

à *recta ratione* exorbitant videre licet: datur itidem *occasio falsitatis sive erroris*, rerum apparens convenientia, & affinitas: *falsitas* tamen ipsa qvæ est *disconvenientia* seu *inadæqvatio inter judicium intellectus ac objectum ipsum* in rebus propriè non datur. Sed tantùm est à *parte intellectus*. *Subjectum* ergò falsi est *anima*, & origo ab *intra* est *primò sensus* apprehendens erroneè, à qvo primordium intelligendi. *Posteà* ipse *intellectus* non satis animadvertens rerum *affinitatem* & *veritatem*. In causa est vel *summa rerum perfectio*, vel *nostra intelligendi imperfectio*. Contingit autem errare non circa *principia*, qvæ omni exceptione majora, sed circa *deductionem conclusionis* è principijs. Ab *extrà* inseminat & gignit errorem *præceptorum informatio* i. humana *autoritas*: quum non rarò magis attendendo *qvis dixerit qvam qvid dixerit*, à veritatis Regia devietur.

Antiqvissimum qvod qve verissimum.

IV. Antiqvissimum qvodqve verissimum.

De veritate *cognitionis*, non verò *Entis* intelligendus est canon. Nam in veritate essentiali non dantur gradus, licet ordò

ordo detur in essendo, cujus ratione admitti potest quod antiquissimum sit verissimum: id est: quæ sunt priora ratione esse; ea etiam priora sunt ratione veritatis essentialis: licet non potiora. Cæterum de veritate cognitionis dictum illud *Tertulliani* itidem non est simpliciter admittendum. *Non ex antiqvitate, sed objecti & mentis conformitate definienda est veritas.* 1. Distinguendum inter antiquissimum *absolutè, & secundum qvid.* Veritas absolutè est antiquior mendacio & falsitate, quæ exorbitant à veritate. Attamen secundum quid falsitas dici potest antiquissima. Ut *Diaboli mendacium est antiqvissimum.* 2. *Veritas* discernenda *à veritatis manifestatione.* Nam quâ manifestationem καθ' ἡμᾶς non rarò certat de antiqvitate cum vero falsitas: ut *hæresium exemplo* constat. 3. *De sententijs Theologicis* usurpari solet istud dicterium quod antiquitatis venerandæ testimonia veritati argumentum sæpè perhibeant, non verò quod veritatis infallibile principium & fundamentum sint, quum unum sit fundamentum divina revelatio, quæ jam non egreditur terminos S. Scripturæ, quæ ut æternum verbum Dei

omnium

omnium antiquissima, Ad intellectum divinum exigi debet veritas, non ad ullius hominis sententiam. Ille non hic veritatis norma est. Quarè quæcunque religio vel confessio scripturæ congruit, illa verè est antiquissima & verissima. 4. In *Regulis juridicis & legibus politicis contrarium obtinet*, quum lex nova deroget veteri. Hæ enim dependent ab Imperatoriâ Majestate, quam penes est dare & abrogare leges.

Typus non est ipsa veritas.

V, Typus non est ipsa veritas.

Ratio est manifesta: cum typicum & verum hactenus sint opposita, quod non simpliciter unum sint. Usus est contra Calvin. qui *semel* verum corpus Christi præsens fuisse in sacram. V. T. asserunt, *iterum* veram præsentiam corporis Christi in Eucharistia sese credere adstruunt, quum non nisi typicam & repræsentativam admittant: Ideoq; typum cum antitypo, umbram cum corpore pessimè & ἀλόγως confundunt.

Veritas est indivisibilis.

VI. Veritas est indivisibilis.

Dicit enim veritas conformitatem omnimodam cum suo objecto & objecti,

jecti cum ideâ cui congruit. *Hoc* est manifestum. Qvum usq; qvaq; conformia sint, qvæcunq; vera sunt, intellectui divino ceu primæ veritati: & nullâ sui ratione ab ipso sint difformia: qvâ sunt ab ipso. *Illud* declaro. Nihil in cognitione verâ est, qvod non sit in objecto vel fundamento. Ideò veritas dicitur *in puncto* consistere. Si enim sit aliqvid in cognitione, qvod non sit in objecto, erit cognitio conformis partim, partim difformis, adeoq; verofalsa, non simpliciter vera. Qvatè dum unum cognoscis de re, qvod consentit cum re, alterum, qvod non consentit, itidem concipis: ista ratione qvidem veritatem foves: hujus verò causâ falsus est conceptus. At in *objecto* seu *fundamento* cognitionis haud rarò longè pluria sunt, qvàm in *conceptu*: qvæ tamen conceptus veritati non derogant: Ita cùm *Philosophus cognoscit Deum essentiâ unum, verum formet conceptum*, licet non cognoscat *in personis trinum*, qvèadmodum vera esse potest *cognitio imperfecta*. Nam veritatis conceptus præcisè consistit in conformitate ejus qvod concipitur cum objecto; cui non potest præjudicare si alia præterea sint in objecto;

Plura possunt esse in objecto cognitionis, quã in conceptu.

qvæ non in conceptu. Ista enim alios conceptus poscunt sine qvibus ille omninò verus esse potest. Imò si maximè reliqva negarentur, qvæ in objecto sunt haudqvaqvam tamen periclitaretur veritas istius conceptus. Ut *si neget Philosophus Deum trinum in personis*, asserat *unum in essentiâ*, vera erit hæc *affirmatio*, licet illa *negatio* sit falsissima. In conceptu distincta sunt, & hactenus opposita, qvæ in objecto sunt indivisibiliter unum. Sic neget *Calvin.* Deum *esse autorem peccati:* Idem adserat Deum *prædestinasse reprobos ad peccata: negatio* est vera: *assertio* falsissima: *utraq; in conceptu Calvinistæ* concurrit: in *rei veritate* una alterâ evertit. Ex mente veritatis manifesta est contradictio: licet non ex mente istius hominis. Ideò dum arguitur contradictionis verissimè qvidem juxta immotam veritatem, at non secundum adversarij judicium & ad ejus hypotheses. Qvod si ex ipso adserto arguat qvis *Calv.* qvod *malitiosè, adversâ* fronte ex *præresi Deum autorem peccati statuat*, is judice *Dn. Jacobo Martini* videbitur ipsi injuriam facere: non qvod verè non seqvatur ista blasphemia è sententia de *prædestina-*

Aliud est sibi contradicere, aliud rei contradicere?

ſtinatione Calviniſtica; ſed qvod conſequentiam eam non apprehendat vel aſſequatur adverſarius; ideoq; ad contradictionem & blaſphemiam adigi qvidem poteſt, at non ilicò contradictionis & blaſphemiæ argui debet. Vera eſt contradictio, & verè blaſphemia, ut ut non apprehendat adverſarius contradictionem nec aſſeqvatur rationem; qvâ elicitur ejusmodi blaſphemia.

VII. Omne qvod eſt, in eſſentiâ ſuâ verum eſt. *Omne qvod eſt, in eſſentia ſua verum eſt.*

Veritas enim rei & eſſentia idem ſunt ait *Alex. de Aleſ. 2. Met. & unumqvodq; uti eſt ita verum eſt. Ariſt. l. 2. Met. c. 1.* Ideò verum erit, qvod verè habet qvæ ad eſſentiam ſpectant. V. C. *verus eſt homo qvi conſtat eſſentiâ humanâ, verum eſt corpus naturale*, qvod participat eſſentiam ſibi debitam. Non ergò id qvod extra eſſentiam eſt, ſive adſit, confert rei veritatem, ſive abſit adimit eandem. Ita *Chriſtus eſt verus homo*, licet humanitas ejus non ſit ἰδιοσύστατος: *corpus Chriſti eſt verum corpus*, licet non videatur aut palpetur: qvia ad eſſentialem veritatem hominis non ſpectat ſuppoſitalitas; multò minus ad ve-

ritatem essentialem corporis τὸ palpari & videri actu: qvæ est merè extrinseca denominatio. Ita *verus ignis erat in fornace Babyl. qvamvis non ureret. &c.*

Veritas prima est immutabilis.

IIX. Veritas prima est immutabilis.

Prima veritas est norma omnis veritatis. Idcircò immutabilis. Datur autem veritas *in essendo, in cognoscendo, in dicendo. Esse Dei* verum est incommutabiliter, apud qvem nulla conversionis obumbratio. *Videre Dei* est infallibile, & nulli errori obnoxium. *Dicere Dei* est æternum, omniqve exceptione superius. ideoq; fallere nescium.

Veritas orta non est indefectibilis.

IX. Veritas orta non est indefectibilis.

Deficere enim possunt, qvæcunq; à primo vero dependent: *tùm* ut verè non sint, *tùm* ut non apprehendant verè, *tùm* ut minus verè cordis recessus exponant. Inde *essendi instabilitas, cognitionis falsitas, mendaciorum fertilitas: Ista* naturæ: *illa* defectus judicij: *hæc* malitiæ.

CAPUT

CAPUT VI.

De Bonitate.

Duo *sunto capitia puncta. De* formali qvidditate, *&* de materiali varietate *Bonitatis.*

I. Bonitas est conformitas rei cum voluntate divinâ. *Bonitatis definitio.*

Non tam notum est, qvam notissimum, bonum aliter sumi *Ethicè*, aliter *Physicè*, aliter *Metaphysicè*. Repeti possunt, qvæ de *perfectione* dicta sunt. Magnam enim alunt hæ affectiones cognationem, *Formalis Boni ratio* consistit in *relatione*, eâq; non *reali*, sed *mentali*: non qvidem isto sensu, qvod bonitas nihil sit extra fictionem mentis, sed qvod non sit peculiaris qvædam *Entitas* sive *subsistens* sive *inhærens*. Pone enim qvod sit. Erit ergò positivum qvid: adeoq; verè Ens, & per consequens relatione istâ iterum affectum, de qva itidem dicendum, qvod sit Ens, qvodq; bonitatem transcendentalem habeat, & ita porrò in infinitum. *Adde:* qvod *Essentiæ divinæ*, qvæ transcendentaliter Bona, (qvatenus *tali*, s. in qvantum consideratur ἁπλῶς) nulla possit adscribi *realis relatio*. Ideoq; nec

Formalis ratio Boni.

Non est Entitas peculiaris.

Bonitas à perfectione differt.

Enti qva Enti. Confundunt nonnulli *perfectionem cum bonitate*, sed malè. Qvum *suprà* probatum, qvod sint *distinctæ affectiones*. *Ista absoluta, hæc respectiva. Ista* siqvidem negat saltem Entitativum defectum, *hæc* verò addit Essentiæ rationabilem respectum: ut inter *omnes Metaphysicos* constat; de eo disqvirunt prolixè:

Qvalis relatio in bono?

Qvalis sit relatio in bono: alius relationem seu reflexionem ejusdem ad *seipsum*, *alius* relationem ad *voluntatē* adserentibus. Hinc

Sententiæ diversæ.

diversitas definitionum. *Dn. Jacobus Martini* explicat rationem bonitatis *per modum formæ convenientis sive proportionatæ alicui*. Ita qvi *priorem* tuentur sententiam. Urget *Dn. Scheiblerus* in contrarium: *hac ratione etiā malū fore bonū, qvum & malum* (explico rationem paulò qvā ipse aliter) *habeat sibi proportionatam convenientiā, qvâ malum est*. Obtinet enim malum, qvæ ad malum reqviruntur. Et nullum est dubium, qvin malum itidem ad seipsum reflexionem habere possit convenientiæ. Qvamvis cum bono non conveniat, sibi ipsi tamen omninò convenit. Addi potest: qvod *relatio identitatis non constituat unitum attributum Entū*. Sed cum *relatione diversitatis faciat disjunctam*, Entis affe-

affectionem. Mihi videtur *mediâ* incedendum *viâ*, ut neutra sententiarum simpliciter rejiciatur. Dicatur bonitas *perfectionis debitæ convenientia*, addatur *respectus ad voluntatem*. Qvodnam indè absurdum! Certè qvæcunq; bona sunt convenientem sibi, & proportionatam obtinent perfectionem. *Materiale boni* est Essentia, qvæ utiq; perfectionem suã obtinet: Ad *Formale* pertinet ista *perfectionis convenientia*. Sed nondum satis explicatè definit bonitatem. Convenientia enim πρός τι dicitur. Reqviritur ergò *terminus ad qvem* referatur id, qvod bonum dicitur. Si idem ad seipsum referatur, habebitur omninò convenientia. Verum nondum constat, *qvænam sit cujusq; rei bonitas*. Referatur ergò ad *voluntatem* eamq; *divinam*, cum qva si congruit verè bona erit. Secus, si non congruit. Habere qvidem videntur *mala* etiam qvandam convenientiam, sed si formaliter spectentur, & ad divinæ voluntatis normam exigantur, apparet, qvod non nisi ementita & fucata sit convenientia. Imò vero nullum est in naturâ *malum transcendentale*, qvum bonum reciprocetur cum Ente.

Media sententia.

Convenientia perfectionis nõ absolvit formale.

Bonitas refertur ad voluntatem divinam.

Bonitatis divisio.

II. Bonitas alia est summa & independens, alia participata & dependens. Ista Dei αὐτοαγαθὸς summi boni. Hæc eorum qvæ à Deo sunt.

Duplex bonum.

Philosophus 5. Ethic. Nicom. duplex bonum constituit: *aliud*, qvod *simpliciter & per se bonum est; aliud, qvod alicui tantum bonum est.* Idem transferimus ad *bonitatem transcendentalem:* qvæ est & *Dei* & *creaturarum.* At Deus est *simpliciter, originaliter & per essentiam bonus: creaturæ* vero saltem *secundum qvid, participativè & per dependentiam.* Deus est *summum bonum & archetypum*, qvicqvid verò à Deo est bonum sub *summo, & ectypum.* Extra Deum nihil est bonum, nisi qvatenus ad Deum refertur aut referri potest, qvi est & ipsa bonitas & omnis bonitatis mensura. Hinc *Thom. p. 1. q. 6. arti: 4. Primum bonum est, qvod per suam essentiam bonum est, ob hoc unumqvodq; bonum est, in qvantum participat ipsum per modum cujusdam assimilationis.* Unde differit: *licet creaturæ appellentur bonæ à bonitate propriâ intrinsecè & formaliter, attamen bonitatem eam dependere à bonitate Dei tanqvam causa efficiente*

Deus qvomodo bonus?

ciente exemplari, & finali totius bonitatis extrinsecè & causaliter. Ita Deus est omnis bonitatis *causa & origo*: *exemplar & idea*: *terminus & complementum*, *à qvo* redundat omne bonum: *in qvo* relucet omne bonum: *ad qvem* adspirat omne bonum. Qvæ à Deo sunt ut essentiam ita bonitatem ab ipso habent *intrinsecè* at *participativè*. Distinguendum verò inter *bonitatem transcendentalem; & specialem.* *Illa* enim Enti reciprocatur: *hæc* ad Ens certum determinata est. Suntq; *hujus* varij gradus. *Est naturalis*, in congruentia naturæ, cujus ratione constituuntur bonorum genera nonnulla: qvemadmodum sunt diversæ naturæ, aliæ alias perfectione superantes. Est *moralis*; qvæ in *Ethicis* dispescitur in bonitatem *laudabilem & honorabilem*: item in *honestam utilem & jucundam.* Est *spiritualis*, qvam *Theologi* dicunt tùm ἐνκυὴν s. *inhæsivam* tùm λογικὴν s. *imputativam.* His bonitatis gradibus sive modis opponitur *Malitia.* Inde bonum *Naturale*, *Morale*, *Spirituale.* *Transcendentali* vero *bonitati* nil opponitur. Cum omne qvod est, bonum sit transcendentaliter.

Creaturarum bonitas.

Bonitas transcend. & specialis.

Naturalis.

Moralis.

Spiritualis.

Omne bonum est perfectum.

I. Omne bonum est perfectum.

Utrumq; enim reciprocatur cum Ente. Distingue verò *perfectionem primam & secundam, Essentiæ & excellentiæ, transcendentalem & specialem.* Qvanqvam enim non omne bonum consummatam obtineat perfectionem in *virtutibus & affectionibus*, vel in *certo genere Entis*: tamen omne bonum habet perfectionem sibi *debitam essentialem*, *in ratione Entis.* Ideò verè bonitas est perfectio conveniens omni Enti.

Bonitas est rebus essentialis.

II. Bonitas omnibus rebus est essentialis.

Essentiale heic opponimus *accidentali*: non *extra essentiali.* Nam licet bonitas πεφωνυμως de Ente dicatur, ei tamen non accidit. Qvod intellige de *Ente, & omni Ente.* Ideò omne Ens, *qvà essentiam* est bonum. Imò & *per essentiam* bonum dici potest qvicqvid est. Observata distinctione Hacker. *tom. 1. tr. 2. com. in Thom. q. 6. num. 6.* qvi ita inqvit: *Aliqvid per essentiam esse bonum duplici modo intelligi potest:*

Qvomodo omne qvod est bonum sit per essentiam?

teſt: 1. *Ita ut bonitas non ſit accidens aliqvod rei extrinſecus adveniens, ſed ſit ipſi intrinſeca & eſſentialis.* 2. *Ut res non tantum ſit bona bonitate ſibi intrinſecâ & eſſentiali, ſed etiam ut ſit talis virtute ſolius eſſentiæ & ſine ullo ordine dependente ab aliqva cauſa extrinſecâ.* *Priori* ſenſu omne Ens bonum eſt per eſſentiam tum finitam tum infinitam. *Poſteriori* hoc ſolum, non illud.

III. Bonitas conſiſtit in denominatione intrinſecâ.

Bonitas conſiſtit in denominatione intrinſeca.

Sc. cum *reſpectu rationabili ad voluntatem divinam.* Colligunt exinde *Scholaſtici*: ut videre eſt apud *Hacker. Gregor. de Valent. & alios hominem non poſſe dici bonum & juſtum extrinſecâ denominatione per imputationem juſtitiæ ſervatoris.* Sed ἀσυλλογίστως. Nam 1. *bonitas tranſcendentalis* non eſt confundenda cum *ſpeciali. Iſta* eſt intrinſeca, *hæc* etiam extrinſeca eſſe poteſt. Ideò de *illâ* verum eſt, qvod non conſiſtat in denominatione intrinſecâ: id verò neutiqvam trahi debet ad *omnes modos vel gradus* ſpecialis bonitatis. Alioqvin, ſi qvicqvid de *tranſcendentali* dicitur bonitate, etiam dicendum ſit de *mo-*

An homo poſſit bono vel juſtus dici per imputationem?

rali

rali & spirituali; qvidni etiam hæc *essentialis* indigitabitur? adeoq; juxta *Hacker.* bonitas moralis & spiritualis nobis competit *per essentiam.* Absonum! 2. *Conformitas cum voluntate divina* complet *rationem boni.* Qvicqvid ergò eidem conforme, id verè bonum. sive inhæreat, sive imputetur *verè & realiter. Non à subjecto, sed à normâ dependet ratio bonitatis.* Si neges bonitatem & perfectionem alterius à divinâ bonitate posse imputari alteri, ut in eâ acqviescat divina voluntas, utqve ab eâ verè denominetur cui imputatur, ipsi bonitati leges figere præsumis, & voluntatem divinam bonitatis normam esse pernegas. 3. *Denominatio extrinseca est duplex, puræ fictionis; & veræ attributionis. Ista* est sine fundamento: *hæc* præsupponit fundamentum. *Ista* dependet à mente humanâ: *hæc* non item. *Prior* bonitatem non arguit, sed *posterior.* Imputationem verò justitiæ non esse *fictitiam* sed *veram* non à *mentis nostræ operatione*, sed à *voluntatis divinæ intentione* dependere *Theologorum* est probare.

Prima bonitas est mensura omnis boni.

IV. Prima bonitas est mensura omnis boni.

Primum

Primum est in unoqvoq; genere est mensura reliqvorum. Ideò divina bonitas est *mensura omnis bonitatis* sc. *participatæ*. Hinc illud *Dionysij. Qvantum res habet boni, tantum habet & Dei.* Ad hanc mensuram exigi debet, qvicqvid pro bono habetur. Cum qvâ si congruit erit ὄντως bonum & ἀληθῶς sin minus, bonum saltem φαινομένως & δοξαστῶς. Defectus ergò à primâ bonitate est *malitia.* Hæc itaq; nihil est *positivi* seu *Entis*, sed *privatio, & tendentia ad non Ens*, ut deinde dicetur. Ex his colligo: *qvod malum non sit à Deo*, qvippe *summo & indefectibili bono.* Idem in eodem modo se habens neqvit esse *mensura* malitiæ & bonitatis: multò minus *causa.*

V. Omne bonum est appetibile. *Omne bonum est appetibile.*

Ut *verum* terminat *intellectum* & est *intelligibile* seu *objectum intellectus:* ita *Bonum* movet *appetitum* estq; ejusdem *objectum* vel *appetibile. Duplex* autem est *appetitus. Absentium* qvi *desiderij & expectationis*: & *præsentium qvi complacentiæ & qvietationis: utrag;* ratione sub appetitum cadit, qvicqvid est bonum. De appetitu loqvor *finito*, non de *infinito*: utpote cujus

jus est, nullo carere bono. Hic ergò qvum omnibus affluat bonis, acqviescit ijsdem; nec dici potest desiderare aliqvid boni, nisi καθ' ἀνθρωποπάθειαν. *Finitum* verò appetitum non minus extimulat *notio boni absentis*, qvàm sedat *possessio boni præsentis*. Non enim acqviescit ijs, qvæ habet, sed appetit insuper, qvæ non habet: qvum non possit summè bonum esse qvod finitum est. Qvamqvam verò *omne bonum possit movere appetitum* ob sui convenientiam, non tamen *omne qvod movet appetitum nostrum, verè est bonum*, ob nativam mentis ignorantiam. Seqvitur enim judicium mentis apppetitus voluntatis. Atqvi haud raro sub specie boni sese insinuat menti nostræ, qvod in se verè malum. In id ergò fertur appetitus, qvi licet malum qvà malum neqveat appetere, potest tamen malum sub schemate boni. Inde trita *distinctio*: bonum aliud est καθ' ἀλήθειαν: aliud κατὰ δόξαν.

Non omne appetibile est bonum.

Omne bonum est communicativū sui.

VI. Omne bonum est communicativum sui.

Duplex heic est communicatio: una *intentionalis*: qvà bonum allicit ad sui dilectionem: altera *realis*: qvà intendit similis

milis alicujus productionem. *Ista necessaria* est: qvum bonum non possit non ad sui amorem allicere & excitare. *Hæc libera*: Nam haud tenetur bonum se communicare alijs, qvamvis bonitatis suæ participes alios facere gestiat. Qvandò verò *posteriori* modo sese communicat, accipienda simul ἰκανότης *subjecti*, qvum *omnis actio à receptivitate subjecti limitetur*. Deus summum bonum communicavit sese gratiosissimè creaturis, liberrima voluntate. Ut vero hæc κοινωνία bonitatis divinæ creaturas fecit existere: ita non potuit efficere easdem *qvidditatis & virtutis infinitæ*, qvum nulla creatura infinita esse qveat.

VII. Bonum non est mali causa.

Bonum nō est mali causa.

Distingue 1. *Bonum*, qvod vel *summum* vel *sub summo*. 2. *Malum*, qvod *naturale* vel *morale*. 3. *Causam*, qvæ *per se* vel *per accidens*. *Malum naturale* contingit ὡδὲ φύσιν. Causa enim per *accidens* est natura *particularis*, non *universalis*. *Malum morale summo bono* tribui nullatenus potest, vel *per se* vel *per accidens*. *Causa* enim mali est δύναμις ἀποφάσεως, qvæ in se bona est,

Deus non est causa mali vel per se vel per accidens.

est, sed per actionem malam fit mala. At nec δύναμις ista, nec actionis malitia summo bono convenit. Malum qvid est nisi defectus boni? At deficere nuliatenus à bono potest, qvod summè bonum & ipsa bonitas. Si enim deficere posset, neq; summè bonum esset, neq; bonitas ipsa dici deberet. Omnis causa *verè & propriè* dicta, (de *æqvivoca* denominatione causæ non contendo, qvo referre si placeat *causam per accidens* nominetenus saltem causa erit) importat influxum ad esse causati; qvod est aliqvod reale. Qvà mali originem: non est heic *influxus ad esse*, sed *tendentia ad non esse*: non *effectus* sed *defectus*. Malum enim *formaliter & intrinsecè* non est nisi privatio boni. Ideò *August. l. 11. de Civ. Dei c. 9. Mali natura nulla est, sed amissio boni nomen mali accepit.* At qvicqvid à Deo extra Deum, ejus Deus causa est; id positivum aliqvid est. Optimè proinde *Plato dial. 2. de Rep. Bonorum*, inqvit, *solus qvidem Deus causa est, malorum autem qvamlibet etiam aliam præter Deum causam qværere decet.* Ipse enim, ut idem, κακῶν μὲν ἀναίτιος, ἀγαθῶν δὲ αἴτιος καὶ εὐπραγίας.

CAPUT VII.

De Duratione.

Disputatio VIII.

Respond: Benedicto Bährl/ *Eutinop. Holsat:*

Durationis consideratio est duplex: Generalis & Specialis; ibi *ejus* abstracta ratio *proponitur*, hic modi *ejusdem evolvuntur.*

I. Duratio est Essendi permanentia.

Definitio.

Essentiæ affectus peculiaris est is, quem vocant Philosophi durationem, id est, ut loquuntur, essendi tractus continuatus: dicente *Scalig. ex: 359. s. 7.* Alij alijs explicant verbis rem eandem. Nos *primò nomen evolvamus.* Durare dicitur *vulgò & exoterice tantũ*, quod perseverat, & est duratio mora quædam existentiæ, quomodo quæ ἐν τῷ νῦν sunt vel ad momentum saltem existunt, non dicuntur durare, quia in instanti nulla mora: quo referenda videtur ista *Scal:* descriptio: *Deinde Philosophice & acroamatice*, omne quod existit, sive ejus sit instantanea duratio sive *diuturna* aut *perpetua.* Vsus hic deviat à prima vocis impositione. Quũ hoc sensu *mora* vel *tractus* vel *Extensio* heic non sit,

Durare dupliciter capitur.

sed *duratio* distinguēda sit ab ejusdē *cōtinuatione*, Nā quod duratio instātanea nōnullis videatur σὺηρόξυλον, id inde est, quod *nesciant distinguere* a communi acceptione acroamaticam. Res existens, qvæ concipitur præcisè in primo instanti, in quo intrinsece existere incipit, statim quoq; durare incipit; cōtinuata quidem duratio ei sub isto instanti tribui nequit, non tamen ideo denegenda omnis; Quum non possit separari ab *Existentia duratio*, ut *deinde* constabit. Cæterum *duratio nominis* ratione distinguitur in *imaginariam & realem*, & hæc in *Extrinsecam & intrinsecam*. *Imaginaria* quæ tantum â nobis concipitur, reverâ autem non datur, tribui etiam potest â mente rebus nō existentibus sive fictis sive possibilibus. *Realis* quæ ut vere in rebus est, ita per eam saltem res vere existentes & in actu positæ durare dicuntur, vel *intrinsece* & in se qua sunt, vel *extrinsece & quoad nos* qua cognoscuntur durare. *Intrinseca* est Entis attributum & rei necessaria; *Extrinseca* accidentalis est, & nihil facit ad rem: per istam proprie res dutat; per *hanc* vero duntaxat rei duratio dignoscitur: *Ista* heic attenditur, ita tamen ut per *hanc* decla-

duratio instantanea

Distinctio nominal: durat:

Imaginar:

Realis

intrinseca extrinseca

declaretur. Ejus ergo consideremus 2 *definitionem*, in quâ notandum *Materiale* & *formale*. *Materiale* est *essentia* vel *existentia*, *Formale* in essendo *permanentia*. *Materialiter* idem sunt *duratio* & *existentia* tum quod nullâ faciat duratio cum existentia realem compositionem: alioquin Enti *simplicissimo* haud tribueretur: *tum* quod nihil rei dici possit, quod ista huic addat, adeoq; præter necessitatem Entia non sint multiplicanda. Imò verò vi solius existentiæ absq; ulla alia *re* vel *modo* distincto superaddito res durat. ut in *Esse* permaneat, non necesse est ut ei aliquid addatur. *Hæc* enim *non* esset *sola permanentia sed augmentatio quædam*, ait Dn: *Jac: Mart: part: Met: l. 2, s. 13. q. 3.* Dein si per aliquid â se diversum duraret Ens, id vel *subsistens* esset vel *inhærens*; si *prius* quomodo accidens duraret, imo quomodo substantia? An per alterius substantiæ unionem! Nam quæ unum non sunt essentialiter, unita sint oportet? si *posterius*, accidens faceret ad conservationem rei vel potius esset ipsa rei permanentia! Absona omnia. Quanquam vero re diversa non sint, *diversos* tamen *conceptus* gignũt *duratio* & *Existentia*, ideoq; *formaliter*

Duratio & Existentia idem sunt realiter

Duratio & Existentia differunt formaliter

liter distinguuntur quod vel inde constat: quia etiam duratio Dei quæ est ipse Deus, differt à Deo formaliter: *æternitas* Dei ab ejus *essentia*; quod æternitas probetur de Existentia divina per immutabilitatem. E. multò magis in creaturis. *Nullæ* enim *perfectiones possunt esse magis unitæ in aliquo Ente participato quam in primo.* Cæterum formalis ratio durationis exprimitur voce *permanentiæ* in significatioris & cõmodioris defectu. Solent enim *tò permanens* contradistingui *successivo* cum designat id, quod solum est simul: *Hic* vero permanentia *generaliter* accipienda prout etiam Enti successivo competit: Siquidem duratio reciprocetur cum Ente. Adeoq; abstractè permanentia dicitur Suarezio nil inferre nisi præexistentiam, quod scil: existentia quæ durare dicitur, concipi possit ut Existens ante quodlibet instans, pro quo durare dicitur, *vel* secundum rationem, si sit in toto esse, ut in rebus permanentibus: *Vel* secundum rem, si sit tantum secundum partem ut in successivis, quum res successiivæ non existant nisi quando sunt & durare dicuntur, quamdiu novæ partes fiunt, quæ factæ nondum erant

Formalis ratio durationis permanentia

Con-

Confer Dn: Jac. Mart. l. c. q. 4. Circumscribunt vero *permanentiam* per *negationem*, ut permanere dicatur quod non statim destruitur, ut esse desinat, vel ab Esse sui deturbatur, de quo vid. Dn: *Scheibl.* c. 16. p: gen: Met: n. 16. Vt conservatio est eadem actio perseverans in suo esse, ita per proportionem permanentia est ipsa existentia ab esse suo non deficiens, ubi si non dentur momenta *temporis*, saltim *naturæ* momētis æstimare liceat durationem. Non ergo importat duratio *formaliter relationem* quandam nedum dicit *denominationem extrinsecam* ad aliud coexistens vel rationem *mensurantis* aut *mēsurabilis*, quanquam cognosci possit per extrinsecum: Et accidentaliter quædam duratio *mensuret*, quædam *mensuretur*, prout essentia denominatur *mensura* & *mensuratum*. Nam res durat etiam solitario existens, cum nullum datur coexistens & convenit rebus duratio in sese spectatis non inter sese collatis: Non quod mensurat vel mensurare potest, res dicitur durare seu permanere in essendo, sed fieri potest, ut res quæ durat, ceu mensura adhibeatur ad notificandum mensuratum: Ita quod mensurabile est,

Permanentia quid?

id jam supponitur habere durationem, quæ possit ad mensuram exigi: Contingit verò *quod una duratio mensuret alteram*, ut, quod duratio *successiva*, quæ ob partes fluxas est observabilior & notior adsumatur ad mensurandam durationem *permanentem*, quod ad durationem quâ talem, est *per accidens*.

Durationis divisio.

II. Duratio est vel indefectibilis vel defectibilis, & hæc vel secundum quid vel simpliciter defectibilis: illa æternitas, ista ævum, hæc tempus dicitur.

duratio permanens & successiva.

Duplicem divisionem durationis solent proponere. 1. In *Permanentem* & *successivam*. 2. In *Æternitatem Ævum*, & *Tempus*. *Priorem* heic paucis attingo. Nam quid *permanens!* quid *successivum* sit? erit *infra* dicendi locus. *Permanens* dicitur, *non* ut ante definiebatur duratio permanentia *generaliter*, neq; prout omni modo indefectibilem notat durationem adeoq; *specialissime* sed *in quantum opponitur successivo, & designat ejusmodi durationem*, quæ non est in fluxu, sed partes sui esse simul habet qualis competit non saltem

Deo

Deo sed & rebus *creatis*. Nam quamvis sint & permaneant continuatâ DEI conservatione, non tamen ob id sunt Entiæ successiva, quia in quovis momento totum suum esse habent: neq; per conservationē accedit quidquam ad esse ipsorum, sed quod est, in quantum est sustentatur ne desinat esse. *Successiva* vero *duratio* est, quæ in fluxu salvatur estq; Entis successivi, *motus* scilicet: *Posterior* heic erit pluribus explicanda. Ejus *adæquatio* constat. Nam *defectibile* & *defectibile* contradictorie opponuntur, nec admittunt mediū: *Defectibile* vero si respicias, quæcunq; de facto sunt in natura, non nisi duplici ratione existit, quæ in theor. indigitata. Quicquid n. creatum est, & defectibile, id vel sua *natura* est, ut possit habere finem, vel non potest habere finem. *Tertium* heic iterum non datur: Quare *tria* sunt in summâ *durationis genera*: *æternitas*, quæ indefectibilis simpliciter: *ævum*, quod secundum quid defectibile; & *Tempus* quod defectibile simpliciter. Sed ea jam *specialius* declaremus.

Creaturis etiam competit duratio permanens.

III. Æternitas est simplex essendi interminabilitas. *Æternitas quid?*

Derivatio. *Æternum* dicitur quasi extra *terminum* quod sine termino existit, *aliis* quasi *æviternum*, notatq; illud quod perpetuo durat; Græce, ἀίδιον quod juxta Phavorin: q: ἀεὶ ὢν & αἰώνιον, quod eandē originem habet, ideo permutantur hæ *duæ* voces apud Græcos notante *Dn. J. Mart.* contra *Zanch.* & *Danæum Ex. Met. l. 2. c. 4. th. 13. p. 830.* Accipitur autem æternitas 1. Καταχρηστικῶς pro *tempore diuturno & longævo*, ut cum *circumcisio* dicitur *æterna* vel etiam *indeterminato*, quo sensu *id æternum* dicitur cui nullus certus terminus præfigitur: vel *durationi vitæ*: quomodo *servitus* dicitur *æterna* ejus cujus aures perforatæ erant; & in communi æternam gratitudinem pollicemur bene de nobis merentibus. 2. Κυριολεκτῶς pro duratione *sine termino* sive *limitate*, quæ fine destituitur seu termino ad quem; dicitur æternitas à *posteriori*, qualis competit *Spiritibus finitis* sive *absolute*, quæ *utroq; termino* caret: à *quo* & *ad quem*: dicitur æternitas *à priori* & à *parte ante* & *post*: idq; *iterum vel* πρώτως pro eâ duratione cui repugnat simpliciter initium & finis: *vel* δευτέρως pro ea, quæ non habet repugnantiam ad novitatem essendi & termi-

Significatio.

num,

num, licet ab æterno in æternum duret. Æternitas participata. Istam vocant æternitatem *absolutè*, *primâ* & *independentè*, *hanc secundū quid*, *comparatè ortā* & *dependentè*, qualè *participatam* æternitatè dari posse disputant Scholastici. *Nihil interest, semperne fuerint* (mentes immateriales) *an esse ceperint aliquando*, ait *Scalig. Excer. 367. sect. 20.* Nos *propriissimam* heic accipimus significationem, in quâ definimus eam *durationem interminabilem*. 1. *Duratio* est, sed *absq; successione, permanens & perennās*: quæ nil nisi perpetuum *vūv*, idq; *fixum* non *fluxum*. *Ibi nihil est præteritum quasi jam non sit, nihil futurum q: jam nondum sit, sed non est ibi nisi est, non est ibi fuit, & erit, quia & quod fuit jam non est, & quod erit nondum est, sed quicquid ibi est, non nisi est.* Sane concipimus æternitatem ad modum *durationis fluentis* sine principio sine fine, vel ut ita loquar, ut *aliquod tempus infinitum*: Non, inquam aliter possumus eam apprehendere, nisi per imaginariam istam successionem. Sed quid hoc ad ipsam *æternitatem in se se*? 2. *Interminabilis* est seu *indefectibilis*, ita ut omnino ei repugnet terminari vel deficere seu initium & finem habere; quo distinguitur æternitas propriis-

æternitas est duratio.

Interminabilis.

sime ita dicta, tum ab æternitate si quæ esse potest, *participata*, tum à *reliquis durationibus*. Ideo formalis ratio ejus est *simpliciter essendi interminabilitas*: aliis *permanentia*, quæ cum illa coincidit, si ἐξοχικῶς sumatur, ut *omnis variationis est incapax. Hurtado d. 17. Met. sect. 4. th 23. eminens perseverantia in esse, secus ipsi non adæquatur*, cum non omnes aliæ durationes sint successivæ. *Boëth* finitur *l. 5. de Consol. prof. 6. Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Unde *duo* ejus requisita. *Ejus requisita.* 1. συνέχεια *continuitas*; quia est simul tota & perfecta, nullam habens in se interruptionem & successionem; nihil præteritum, futurum nihil; quæ mutationem & imperfectionem inferunt. Ideo *Plato* in *Timæo*, *Erat & erit*, inquit, *non rectè assignamus æternæ substantiæ.* 2. ἀπειρία *interminabilitas* quod careat principio & fine, imò ἀνυφάπτως hisce terminis opponatur. Hæc ergo Duratio *soli Deo* competit, qui solus Esse habet indivisibile, interminabile, & independens. Ideo excludit omnem *successionem, terminationē, & imperfectionem*, Apud eum nihil præteritum aut futurum, nihil prius aut posterius, Ejus nullum initium nullus ter- *Soli Deo competit.*

minus:

minus: Unde Thales Deum descripsit: ὁ μήτ' ἀρχὴν ἔχων μήτε τέλος.

IV. Ævum est finalis essendi indefectibilitas. Ævum.

De *Voce* vide *Dn. Scheibl. l. 1. c. 16. n. 15.* jam saltem de *re* laborabimus. Ævum quod sit *duratio*, longa non opus est probatione. At non infinita est sed *finita* duratio: quum *essentialiter* diversa sit ab *æternitate*. *Bonaventura* hanc distinctionem quærit in *successione*; Verum *ufitatius* successio tribuitur saltim *tempori*: *Alii* quod ævum sit *rei naturalis*, *Æternitas supernaturalis*: sed *Extrinsecæ* sunt hæ differentiæ nec satis *adæquatæ*. Rectius si à *subjecto* sit petenda descriptio, ævum dicitur duratio *rerum creatarum naturâ indefectibilium*, sicuti *Æternitas* est *duratio Entis increati & simpliciter indefectibilis*, & *Tempus rerum naturâ defectibilium*, sed *omnium rectissime formalis ratio ævi* præciso subjecto in se repræsentatur: quum subjectum non sit de essentia affectionum, ideò finitur nobis in *abstracto finalis essendi indefectibilitas*, à *negatione defectibilitatis tantum finalis*, seu ratione *termini & finis*. *Duo* ergo hoc ipso innuuntur. 1. *Essendi* Duratio. Finita. Formalis ratio ævi.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0407 DFG

di quædam defectibilitas scil. ratione initii. 2. Essendi quædam *indefectibilitas*, quoad *terminum*. Quod ævum initium quidem habere possit, sed finem nequaquâ; vel sicut *Scholastici* loquuntur, quod ævum à *parte ante* sit defectibile, à *parte post* indefectibile. Idcirco distinguitur *ævum* tum ab *æternitate*, quæ *neutra* ratione est defectibilis, tum à *Tempore* quod *utraq;* ratione deficere potest: Nam *æternitati* simpliciter repugnat tum initium tum finis, *Tempori* naturâ debetur & initium & finis. *Ævum medio* consistit loco; quod habere quidem potest initium finem autem habere non potest scil. *ex se & naturâ suâ*. Hinc dicitur *ævum* participare aliquid de *æternitate* & aliquid *de Tempore*: Quanquam *essentialiter* sint *diversæ durationes*, nec unquam coincidere possint: ut ex contradictoriâ oppositione superius constitit. Quinimo ut *essentiæ* rerum sunt invariabiles, ita & *durationes*, quum duratio non differat ab essentia realiter. Quæ etiam causa est, quod non ab *actuali inceptione* vel *desitionis carentiâ* desumebatur *ævi descriptio*, sed à *potentiâ*. τὸ carere fine, habere principium non absolvit rationem ævi; sed

Distinguitur ab æternitate & tempore

non

non posse naturâ desinere: & posse habere initium. Conf. Scheibl. l. c. n. 63. Constat ex his quod *ævum* sit *duratio spirituum finitorum, Angelorum & animarum rationalium* quâ *Esse* ipsorum, quâ naturâ sunt *indefectibiles* & immortales: In ipsis n. nullum est principium corruptionis *intrinsecum*, ratione cujus tandem esse desinant.

Ævum est duratio spirituum finitorum.

V. Tempus est totalis in essendo defectibilitas.

Tempus.

Vel est *duratio importans naturâ defectibilitatem omnimodam; aut usquequaq; defectibilis vi naturæ suæ tum ratione initij tum ratione finis.* Non hic sumitur *improprie* sive generaliter pro omni duratione ut *Rameis*: sive *specialiter* pro duratione quavis ut cum *æternitate* defectibili exhauriat omnẽ durationem sed *adæquate & proprie* ut cõtra distinguatur nõ minus *ævo* quã *æternitati. Aliter* autẽ sumitur ejusmodi duratio in *Metaphysicis*, *aliter* in *Physicis* ibi est rei natura defectibilis duratio: *heic* est extrinseca motus dinumeratio: *ibi* affectio Entis cujusvis quod initiũ & finẽ agnoscit. *heic* circumstantia & conditio rei solum naturalis: *ista* identifica-

Quomodo hic sumatur?

ficatur essentiæ, & ut ipsa, variat: *hæc* nil facit ad essentiam, & differentias suas habet non à re, quæ in tempore esse dicitur, sed à motu corporũ cælestiũ diverso quem numerat. Ideò definitur *numerus motus secundum prius & posterius* 4. Phys. C. 11. De *formali ratione* temporis *Metaphysicè* accepti non una est omnium sententia. In *successione* eam nonnulli volunt consistere. Verum licet successio detur in motu & consequenter in tempore *Physico*, minimè tamen competit *omni* Enti natura defectibili neq; ipsum esse rerum corruptibilium quarumvis afficit, neq; restringi potest tantùm ad Ens successivum vel motum. Non minus durare dicuntur tempore naturæ rerum quam motus, ideo rectius definitur tempus *totali defectibilitate*. *Defectibile* est quia contradistinguitur *æternitati* quæ sola indefectibilis. Idq; *totaliter* quum non minus finem quam initium habere possit: quomodo differt ab *ævo*, quod saltem initium habere potest, non vero finem. Dico notanter; quod *tempus possit habere initium & finem*. Nam supposito, quod non repugnet produci res naturâ suâ corruptibiles quæ perseverarint

Formalis ratio temporis.

rint & præservarentur ab interitu per superiorem potentiam, imò quæ ab æterno existant in æternum: eæ nihilo secius â duratione temporis denominandæ veniunt, siquidem naturâ suâ possint tum initium tum finem habere. Ex his non obscurum est, cui temporaria duratio competat scilicet non modo *motui omni* rerum naturalium sed & ipsi *essentiæ* rerum corruptibilium & *actibus angelicis* naturâ suâ defectibilibus. *Quanam durent tempore?*

Πορίσματα.

I. Duratio non distinguitur re ab existentia. *Duratio nõ distinguitur re ab existentia.*

Quia nullam compositionem facit cum Entitate. Ideo est 1. *Inseparabilis* â re. 2. *indivisibilis* nec admittit gradus vel magis & minus, ut ipsa essentia: licet sub diversis momentis concipiatur. 3. *Ejusdem dignitatis* cujus res ipsa, cum affectio transcendentalis non sit deterior subjecto. 4. *Immutabilis* in quantum essentia immutabilis. Alia ergo Essentia, alia duratio: adeoq; non potest naturæ corruptibili tribui duratio indefectibi

ctibilis vel naturæ incorruptibili duratio defectibilis. Hinc æternitas non cadit in naturam corruptibilem, ut ut hæc forte nec initum nec finem habeat, de quo jâm sequitur.

Æternum præter DEUM nihil est.

II. Æternum præter Deum nihil est.

Aliud est *ab æterno esse* & *manere in æternum*: aliud est *æternum esse*: *Istud* saltim perpetuitatem durationis: *hoc* omnimodam indefectibilitatem durationis importat. *Istud* dicitur quoq; de re natura defectibili quæ nec initum nec finem habeat, si quâ ejusmodi res produci possit: *Hoc* de natura simpliciter indefectibili, cui absolute repugnat Esse creatum initum atq; finem habere. Præter Deum ergo nihil æternum est, nec esse potest; quanquam *forte* non sit ἀνυφαπτὸν potuisse condi aliquod initii & finis expers. Quod est verè absolute & improprie æternum, id requiritur ut simpliciter sit immutabile. At non omne quod initij & finis expers est simpliciter & necessariô est immutabile. Distinguunt ergo nonnulli inter *æternitatem intrinsecam* quæ est *dependentiæ*.

De æternitate extrinseca.

Qui

Qui docent *creationem ab æterno* esse possibilem seu Creationem in communi præscindere â creatione ab æterno & a creatione in tempore, & ex hoc principio disputant *naturali ratione probari non posse, mundum in tempore creatum*, licet demonstretur mundum creatum esse: unde forte error *Aristot.* τὸν κόσμον εἶναι ἀΐδιον, quanquam alij *exempli gratia* id saltim ab Aristotele dictum velint. Atq; ita *duplici* modo aliquid ex nihilo produci posset: *uno* ut *prius latuerit sub non Ente* & postea emergat per essentiæ novitatem; *altero* ut *non producatur ex materia* sive jam aliquando fuerit non Ens seu ab æterno fuerit. *Ambrosius* verò *posteriorem* modum dicit *inconveniētē*, *Basilius* etiam *blasphemum*. Quibus subscribunt nonnulli *Philosophi* hoc argumento. *Quicquid factum est, id necessario aliquando factum est, & initium aliquod habet, in quo esse suum accepit, quod ante effectionem non habet*, quia naturalis cogitatio dictitet, quod ea quæ facta sunt, in aliquo determinato instanti facta sint. Quicquid sit certum est ē *sacris*, non modo solū DEUM *æternum* esse sed & præter Deum nihil ab *æterno* esse, unde in *Scri-*

Solus Deus est æternus ab æterno.

pturis phrases sunt æquipollentes *ab æterno esse & ante creaturas esse vel ante jacta mundi fundamenta*: quod omnia quæcunq; creata, essendi primordium habeant: & uti inter Deum creatorem & creaturas nullum est medium ita inter æternitatem & tempus, quod cum creatione mundi cepit de facto nullum est medium: Quod contra *Vorstium* & *Mosorovium* observant *Theologi* quorum *ille* non improbabile censet *angelos diu ante mundum conditos, hic materia prima an æterna sit nec ne* dubitat? Atqui non ex ratiocinationibus probabilibus sed ē Dei verbo infallibili veritas omni dubitatione superior liquidò constat.

Æternitas non admittit temporis differētias.

III. Æternitas non admittit temporis differentias.

contra Goslavium.

Quid absurdi est si dicamus æternitatem esse durationem præsentem præteritam & futuram: Non igitur hæc est vel maxime temporis distinctio in æternitate? ait Gosl. p. 2. c. Kecker. c. 8. At vero id absurdissimum est, *Photiniane, in duratione naturâ indefectibili reperiri durationem natura defectibilem? Ἀνηκέστον ἐν προσκειμένῳ:* Æternitas enim contradistin-

gui-

guitur tempori. An nondum satis absurditatis, *æternitatem præteritam dicere vel futuram.* Præterita duratio est, quæ fuit & non est amplius. Futura quæ nõdum est, erit tamen deinceps: ita *æternitas jã nõ erit quia præteriit, & quia futura est.* Annon satis monstrosum, *eandem rem præteritam dicere & præsentem & futuram?* Deo applicetur qui sine dubio æternus est, imo æternitas Dei est ipsa Dei essentia. Ergo in *Deo & ipse Deus est prius & posterius.* Ergo in *Deo est mutatio & Deus est mutabilis.* Prius enim & posterius *temporis* sine mutatione ne quidem cogitari possunt. At vero essentia Dei est indivisibilis, interminabilis, immutabilis, tota simul existẽs omnem temporis successionem excludens. Quum ergo differentiæ temporis Deo assignãtur in sacris, notanda venit *D. Thomæ regula p. 1. q. 10. art. 2. Verba diversorum temporum tribuũtur Deo, in quantum ejus æternitas omnia tempora includit, non quod ipse varietur per præsens præteritum & futurum. Ideo* dicitur æternitas coexistere omnibus differentiis, non in sensu *conjuncto* quod simul & semel coexistant omnes æternitati, sed in sensu *diviso*, quod æternitas *tota* diversis.

In Deo non sunt differentiæ temporis.

Quomodo æternitas coexistat differentiis temporum.

ac sibi invicem succedentibus temporum partibus coexistat. Aliud proin est *Deum coexistere tempori, aliud Deum esse in tempore. Ita ἀϑεωποπαϑῶς* Deus *dicitur heri & hodie, non quia fuit in heri & hodie, sed quia fuit quando heri & hodie fuit, nec Deus hodie plus duravit quam heri, sed solum plus temporis duravit cum Deo hodie quàm heri.* Vnde observat *Clarisf. Dn. M. Clotz.* quod *quando vocabula successionem temporis denotantia de Deo dicuntur sub ratione affirmationis solum (non verò negationis, quâ alias ut in creaturâ reperiuntur involvũt) illi tribui debeant. disp. 5. Pneumat. §. 20. & Arnisæ. ex Hieronym: Epit. Phys. p. 67. Deus fuit hoc est nunquam desuit, Deus est, hoc est, semper est, Deus erit, hoc est nunquam deerit.*

Æternitas quomodo contineat omnem tẽporis differentiam?

Continet ergo in sese *æternitas omnem temporis differentiam* saltim *eminenter*: Nã durationem quam habet *tempus imperfecto modo* cum perpetua successione præteriti præsentis & futuri, eam habet *æternitas modo perfectissimo*, hoc est, tota simul sine ulla innovatione. Est enim *æternitas mera uniformitas*, quia nulla ibi successio, nulla varietas, quanquam præcise non est idem *uniformitas* & *æternitas*. Ista dicit identitatem ejusdem rationem sui ipsius:

uniformitas & æternitas non sunt idem.

sius : hæc negationem terminorum : illa omnimodam identitatem innuit, quod de hac formaliter non videtur dicendum.

IV. In æternitate nihil prius nihil posterius.

In æternitate nihil prius, nihil posterius.

Distingue *prius temporis & ordinis*. *Istud* nequit consistere cum æternitate qua tali ; *Hoc* non repugnat eidem. *Vtrumq; patet: prius* ê *præced: potium. quod scil. differentiæ temporis non habeant locum in æternitate:* & confirmatur: quia *duratio finita non est confundenda cum infinita, tempus cum æternitate; sed quam impossibile est infinitam durationem evadere finitam tam impossibile est tempus cadere in æternitatem.* Et cum de ratione rei simpliciter æternæ sit, ut nulla intra eam sit variatio seu successio quomodo in ea prius & posterius temporis cogitari fingive potest? Quum ergo ipsi tribuitur *prius & posterius* ratione *coexistentiæ temporis*, id contingit saltem per *denominationem extrinsecam* à creatura existente in tempore, cujus fundamentum non in Deo est, sed in re temporali, *adeoq; secundum relationem rationis. Hæc* vero denominatio & modus concipiendi nil in-

Quomodo prius & posterius temporis æternitati adtribuatur?

fert in re ipsa, V. G. concipio eundem parietem modo ut dextrum, modo ut siniſtrum, licet non ſit diverſus à ſeipſo, & ſic in omni denominatione extrinſeca ac relatione rationis. Cæterum cum in quavis creaturâ *duplex* eſt *ſucceſſio, altera* ratione *eſſe ſubſtantialis*, quatenus poteſt non eſſe vel per *naturam* vel per *divinam potentiam*, altera ratione *eſſe accidentalis* quatenus in accidentibus vel actionibus vel in motu locali poteſt habere durationem ſucceſſivam ob mutabilitatē ſuam: tùm utraq; à Deo alienissima eſt ob ſimplicē immutabilitatem. Ineptus eſt *Vorſtius qui differentiā temporis inter eſſentiam Dei & decreta divina ſomniat*: eo *quod actio dependeat ab agente eoq; poſterior ſit*. At actus divini æterni & interni, neq; dependentiam propriè dictā neq; poſterioritatem quandam temporis inferunt, cum nihil ſit in Deo quod non ſit ipſe Deus: Quid vero aliud ſunt *decreta Dei quam æterni actus divinæ mentis cognoſcentis & voluntatis decernentis de iis quæ velit vel facere vel permittere? uti cognitio & volitio* divina non infert tēporis differentias; ita nec *decreta divina*: cū hæc per *iſtam* definiantur. *Poſterius: Quod*

Duplex ſucceſſio creaturæ.

utraq; à Deo abeſt.

qui differētiam tēporis conſtituit Deum inter & decreta div:

Quid decretum DEI.

Prius & poſterius or

τὸ *Prius*

ri Prius & posterius ordinis non repugnet æternitati, adeoq; quod æternitas non neget omnē prioritatē, edocēt actus *personales & essentiales* in Deo ut & *attributa divina*. Dari enim hic ordinem *originis & naturalis enumerationis* probant *Theologi, qui bene consistere potest cum essentiæ idētitate*. Ita *veritas Bonitate* prior est, quæ tamen ratione *Entitatis* unum quid sunt. Imò posse *actum* quoq; *transeuntem* dari *coævū essentiæ divinæ* concedunt, qui ab æterno creationem possibilem disputant, quo admisso etiam splendor qui gignitur â sole, soli coæternus foret &c.

dinis non repugnat æternitati.

V. Quod æternum est â temporalibus limitari non potest.

Quod æternum est à temporalibus limitari nequit.

Limita id ex antecedenti: Verum est ratione Mensurationis non simpliciter ratione ordinis & conditionis. Clarius: Æternum nequit mensurari temporalibus, cum infinitum per mensuram finitam determinare simpliciter sit impossibile, & in æternitate proprie nil dari queat mensurabile. Absonum vero non est, æternum ordinari ad *eviternū vel ea quæ in tempore existunt, aut supponere conditionem temporalem priorem non quidem ratione præexistentiæ, s. esse actualis in natura constituti, hoc n. iterum impossibile. Sc. realiter quicquam esse prius ipsa æternitate &*

te: sed ratione præscientiæ & esse possibilis vel præbisi, quod nullam infert ἀντίφασιν. Præscientiam rei futuræ æternam ordine antecedere decretum itidem æternum de eo quod rem istam consecuturum est, nullæ est contradictio. Imò quæ in tempore ratione actualis existentiæ sese consequuntur, ea ab æterno ratione divinæ præscientiæ vel omniscientiæ ita ordinantur si ergo sub ista τάξει etiam in æterno decreto spectentur, ut omnino fieri par est, æternum decretum temporalibus ordinatum sive limitatum vere dici poterit. Ordo enim iste præbisionis non expugnat æternitatem: nisi forte etiam ἀντιφατικῶς dici judicetur decretū voluntatis præsupponere cognitionem mentis ob summam identitatem mentis atq; voluntatis divinæ.

Ævum est rerum spiritualium creatarum.

VI. Ævum est rerum spiritualium creatarum.

Intelligendum id 1. definite de τῷ Esse spirituum, non vero de operatione essentiæ spiritualis, nam ut certum est Spiritum creatum essentialiter esse indefectibilem secundum quid & natura sua finem non posse habere, ita non minus certum actiones Spiritus finiti posse etiam natura sua terminari & finem agnoscere: & hac de causa non durant æviternum, sed tempus, quod vocant spirituale 2. Exclusivè, at κατὰ τί ut solis spiritibus adscribatur ævū, non verebus corporeis, exceptis materiâ primâ & cœlo, juxta Aristot.

Sed de bis & de tempore jam plura non licet.

CAPUT VIII.

Disputatio IX.

De Ubietate.

Respond. Georgio Prætorio Revalia-Livono.

Hic notabimus 1. formalem rationem qvid sit? 2. modorum distinctionem, qvi sint illius modi, qvidq; importent singuli?

I. Ubietas est, qvâ Ens denominatur adesse in ubi vel spatio. *Ubietatis definitio.*

Constat heic ubietatem non sumi *specialiter*, prout significat ubi μεχικὸν, & determinatum, qvo sensu *Augustinus negat Deum esse alicubi*, sed *generaliter* pro omni præsentiæ modo: ut *4. Phys. c. 1.* qvi convenit omni Enti: creato & increato, substantiæ & Accidenti. Accidentia, si qvis fortè dubitet, ubi suum requirunt saltim ἀναλόγως, cum juxta *Ciceron. Tusc. 1. si qvid est nusqvam esse non potsit, & si nusqvam sit, ne sit quidem. Conf. Dn. Scheibl. introd. Logic. c. 13. n. 15.* Explicatur a. τὸ Ubi *negativè*, qvod sit talis modus Entis, qvo non esse nullibi dicitur. qvod æqvipollet τῷ adesse in ubi vel spatio. id verò intelligendum in genere de spatio qvocunq;, sive imaginarium sit & fictitium, *Varia acceptio.*

Spatium imaginarium.

sive reale & verum, & de qvovis adessendi modo, qvacunq; ratione illic adesse intelligatur. *imaginarium* spatium voco, qvod extra mundum concipitur, licèt non sit aliqvid. Nam increatum præter Deum nihil est. Creaturæ verò continentur terminis hujus universitatis. cõcipi tamen debet ut aliqvid: adeoq; licèt in se nullam Entitatem habeat, nihilominus aliqva Entitas ipsi attribuitur ab intellectu. Non satis est, ut opinantur *Conimbric. d. 8. Phys. c. ult. q. 2. art. 4. & Fonseca 5. Metaph. c. 5. q. 1.* qvod in ejusmodi spatiis à Deo qvidqvam creari possit, ad esse spatiorum sive reale, sive pluspqvam imaginarium; siqvidem qvæ ante mundi conditum concipiuntur spatia, non inferant aliqvid ultra Ens rationis, ita si Deus annihilaret omne illud, quod nunc est inter cœlum & terram, tum adhuc remaneret spatiũ interjectum inter cœlum & terram possibile impleri, & tamen annihilata erant omnia Entia. Eadem verò illorum & aliorum ratio, qvum saltim per fictionem mentis hodieq; concipiamus infinita spatia extra mundum, qvibus Deus adsit, hac tantùm fini, ne qva cogitemus, *ubietatem*

Spatium imaginarium non est aliqvid reale.

divi-

divinam universi limitibus terminari. Cæterùm aliud est *adesse in spacio vel Ubi*: qvod est vera & realis Entis affectio: aliud *spatium ipsum vel ubi*, qvod, ut dictum, etiam est imaginarium. Transcendentalis n. relatio non semper postulat terminum realem & positivum. *Distinguo inter adesse in spatio & spatiũ.*

Istud verò, in qvo consistat, non convenit inter doctores. Paucis: Ubietas non consistit formaliter, vel in *denominatione merè extrinsecâ*, qvales desumi solent partim ab *actu*, partim *à coexistentia alterius rei.* neutrum hic admittitur. *actus rationis non sunt causa ubietatis*, cum extra mentis operationem verè sit res alicubi; neq; *coexistentia alterius*, siquidem remoto omni extrinseco adhuc sua ubietas intrinsecè conveniat rei, ceu internum attributum, ut *Deo ab æterno, corpori primum condito, & extremo cœlo.* Vel *in operatione transeunte*, ut nonnulli de *præsentiâ angelorum vel divina* loqvi videntur. Probat *Scaliger Exerc. 359. s. 5. tum* qvod operatio non sit comes Entis necessarius. ut ubi, *tum* qvod variata operatione non varietur necessariò *rè* ubi. Et certè operatio transiens à parte rei non est ipsa essentia ut ubietas, ideoq; formalitas ne-

Ubietas nõ consistit in denominatione extrinseca.

neg. in operatione transeunte.

qvit constituere ubietatem. Nam ubietatē non distingui realiter ab Ente, qvod denominat, reqvirit indoles affectionū Entis transcendentium. Quomodo verò Scholastici diversum statuentes explicari possint vid. *Dn. Jac. Mart. part. Metaph. l. 2. s. 14. q. 5.* Hoc restat, ut dicatur consistere, *in relatione ad spatium qvodcunq;*, sicut innuit *descriptio*. Nam qvî aliter explicari debeat formalis ratio Ubietatis, non occurrit.

in qßo consistat formalis ratio Ubietatis?

Ubietatis divisio.

II. Ubietas alia est indefinita, alia definita. ista simpliciter interminabilis, & vocatur Ubiqvitas, estq; Entis infiniti propria. hæc determinabilis, diciq; potest Alicubitas, qvæ est Entis finiti cujusvis.

Probatur.

Modos ubietatis per διχοτομίαν placet proponere, ut eorum oppositio conspicua sit. *Duplex* ergo in genere est Ubietas *è naturâ Entis* promanans, *indefinita & definita, interminabilis & determinabilis.*

Ubi competit omni Enti. idq; essentialiter.

Non existimandum cum *Scal. l. c.* τὸ ubi saltim esse affectum necessarium Entis finiti vel *cum aliis*, non competere Enti finito, nisi accidentaliter, quibus accede-

re

re videtur Dn. *Scheibl. c. 17. l. 1. Met. 18. utriq;* confundūt *ubi Prædicamentale cum Transcendentali.* Et infinito competit suum ubi æqvè infinitum, & rebus finitis non saltim accidentaliter, ut ita loqvar, Ubicatio tribuenda est, cujus gratiâ constituitur Prædicamentum qvoddam speciale Ubi, sed & essentialis. Nam sit qvoddam finitum, omni accidente destitutum, at in essentialibus suis absolutum, id certè ubietatem suam habebit, *cum* esse *alicubi sit proprietas cujusq; Entis actualis,* ut habet *Dn. Scheibl. l. c. n. 7.* Imo ipsum Ubi Prædicamentale, qvia verè Ens, non potest non esse alicubi. Si n. nusqvam esset, ne esset qvidem. Ergo ipsi qvoque competit Ubi transcendentale. *Indefinitam Vbietatem* dicimus *intermi-nabilem,* qvia talis est, ut simpliciter impossibile sit eandem terminari vel terminis definiri. *Vbiqvitas* vocatur, qvia ejus ratione dicitur aliqvid ubiq; esse seu in omnibus ubi; & qvidem ita, *ut non possit non esse ubiq; naturâ suâ, & essentialiter,* ideo *soli Deo competit,* & est ἀκοινώνητον. Nam licèt non repugnet creaturam qvandam esse ubiq;, ideo tamen nondum ipsi competit ubiqvitas, cum

distingv. ubi Transcendentale & Prædicamentale.

Indefinita Vbietas.

Vbiqbitas est.

incommunicabilis & solius Dei.

diversissima sint *ubiq; esse*, & *non posse non ubiq; esse*, ut *deinceps* constabit. *Ubietas definita.* *Altera* Ubietas dicitur *definita* & *determinabilis*, qvæ naturæ finitæ, *qvà tali*, competit, & ab eadem est *inseparabilis*. Proinde non deperdit Ens finitum suam ubietatem etiam cum virtute Entis infiniti ubique præsens sistitur. siqvidem aliud sit *esse determinabile in adessendo seu præsentiâ*: aliud *actu determinatum obtinere adessendi modum*. Vocamus a. determinabilem istam adessentiam *Alicubitatem* pensi habitâ vocis *Etymologiâ*; Nam *alicubi* dicitur q. *aliqvod ubi*, ideoq; vi nominis infert ubi μερικὸν & partiale. Qvanqvam non diffiteamur, qvod generalius & æqvipollenter ad Ubietatem haud ratò sumi soleat. Voces aliæ nos deficiunt, qvibus rem exprimamus. facile ergo veniam impetrabimus.

Determinabilis qbæ esse potest actu indeterminata.

Ubiqvitas qbid?

III. Ubiqvitas est simplex adessendi interminabilitas.

Nomen ubiquitatis à Sacrament. ortũ purgatur ab imperf.

Nomen Ubiqvitatis primitus à clandestinis *Sacramentariis* adhibitum ad designandam *expansionem*, & *localem inclusionẽ*, hic non dubitamus usurpare desecatũ ab omni imperfectione. discernendus

dus est *usus Philosophicus & abusus Sophisticus*. qvanqvā hic sæpe sit prior illo, ut vel hoc exemplo cōstat. Remota ergo sit *expansio*, & *localis inclusio*, & cōcipiatur *simplex adessentia in omnib. Vbi, absolutè interminabilis*. dum v. qvid ubiq; esse cōcipitur, utiq; in omnib. locis præsens statuitur, verùm non συνεκτῶς, ut comprehendatur, sed συνεκτικῶς, ut comprehendat loca omnia, non περιεκτῶς & περιγεγράπτως, sed περιεκτικῶς *præsentia illocali, non locali*. hoc est, qvod veteres dicant: *Deus ubiq; est, & Deus nusqvam est. ubiq;*, in qvantum præsentiâ suâ omnia continet: *nusqvam*, in qvantum à nullo continetur. *Deus est intra cuncta non inclusus, est extra cuncta non exclusus. Scholastici* vocant *præsentiam repletivam*, non qvidem sensu *Physico*, qva crasso corporeo modo impleat omnia, sed *hyperphysico*, qvâ modo divino omnia implendo cōtineat, è *Jer. 23. 24.* Ideo *Thales* dixit, πάντα πλήρη θεῶν εἶναι, ut habet *Philosophus l. 1. de anim. c. 5. t. 85.* Cæterùm ubiqvitas, prout hic sumitur, vocatur etiam *immensitas*, qvod nullo spatio mensurari possit, qvanqvam aliàs *immensum esse, & ubiq; esse*, ἀκριβῶς discernenda sint. non

Ubiquitas dicitur Immensitas.

distinguimus immensum esse & ubiq. esse.

qvod ubiq; est, sed qvod non potest non ubiq; esse, id demum verè immensum est. Explicant a. *Immensitatem* nonnulli *per negationem possibilitatis existendi in spatio finito & aptitudinem existendi in spatiis infinitis*, verumenimvero non tam aptitudinem adessendi, qvàm *actualem adessentiam* dicit ubiqvitas. Et videtur ista sententia supponere, qvod in infinitis qvidē spatiis existere possit Deus, licèt actu existat saltim in hacce universitate. id qvod neutiqvam probamus. simplicius definimus Ubiqvitatem *simplicem ad essendi interminabilitatē*: qvemadmodum *cap. præced.* *Æternitas* definiebatur *simplex permanendi interminabilitas*. Sunt n. *Æternitas* & *Immensitas* duæ q. propagines *infinitatis*, qvæ mutuo sese explicant, qvod *ista* in *duratione*, hoc *illa* in *Ubietate* exprimit, *illic* negantur termini *permanentiæ*, hic termini *adessentiæ*. *Utraq;* est *attributum essentiale Entis infiniti*, ideoq; non distinctum ab essentiâ ejusdem realiter, utraq; est ἀνενέργητος i e. de se formaliter & præcisè, neutra infert operationem, sed simplicem negationem. Ut verò *Æternitas* non saltim *terminorum* in existendo *negationem* dicebat,

Immensitas non aptitudinē adessendi, sed actualem adessentiā in ubi infinitis dicit.

Immensitas explicatur è natura Æternitatis.

Ubiqbitas est attributum essentiale Entis infiniti.

cebat, sed insuper *terminabilitatis negationem omnimodam*, ita qvoq; *ubiqvitas* non solùm negat *terminos* in adessendo: verùm simpliciter omnem adessendi *terminabilitatem*, ut qvod *ubiq;* est *essentialiter*, non possit non esse in spatiis infinitis: vel ἀπλῶς neqveat spatiis finitis terminari. Non n. existimandum est, qvod hujus universitatis ambitu claudatur ubiqvitas; vel qvod in hoc absolvatur immensitatis ratio: qvod *immensum ita sit in hoc mundo & omnibus ejus partibus, ut etiam in pluribus aliis, imo in infinitis mundis, si possibiles essent, esse possit*: Sed qvia nullis spatiis ullatenus definiri potest Immensitas, dicendum, qvod in infinitis spatiis extra hoc universum ipsissimo actu existat immensum. Nam *omnem creaturam instar puncti in se continet ubiqvitas, ait qvidam Patrum. Tanqvam momentum é lancibus est totus mundus coram te, & tanqvam gutta roris descendens manè in terram Sap. 11. v. 23. Conf. Esa. 40. 12.* Qvænam verò ista immensitas, qvæ puncto minutissimo finitur? æqve absurdum est *immensum* spatiis mundi definire, atque absurdū est *æternum* momentis temporis, seu durationis universitatis men-

Immensum est in spatiis infinitis imaginariis.

surare. *Præterea* negari neqvit, Deum, si velit, operari posse etiam extra mundū, aliqvid creando vel producendo: ubicunq; verò operari potest, ibi adsit necessum est. *aut* ergo tum adesse illic inciperet, *aut* nunqvam non adest ibidem. *istud* cum sit absonum, Deum sc. per motum, vel qvacunq; fingas ratione acqvirere aliud ubi, à qvo absens antehac fuerit; necessario *hoc reqviritur*, Deum sc. extra mundum spatiis istis, qvæ dicimus imaginaria, nunqvam non adesse verissime. *Iterum*: Si Deus annihilaret, qvicqvid cœlum inter & terram interjacet, utroq; extremo conservato, qvid dicendum foret, anne etiam ad medium istud interjacens inane & imaginarium spatium se extenderet divina adessentia? qvemadmodum citra dubium ad extrema, utpote qvæ ne supereessent qvidem, sine præsentissima Dei sustentatione. Si negaris, necessum est, Deum concipias à se ipso divisum, qvi terræ adsit, adsit cœlo, medium vero spatium non impleat. Si affirmâris, eo ipso non saltim spatia imaginaria, sed & Deum in spatiis imaginariis præsentem dicis, h. e. tibi ipsi jam contradicis. *Taceo*, qvæ suppeditat

SS,

§S. scriptura argumenta, *qvod cœli cœlorum Deum non capiant*, 1. Reg. 8. v. 23. qvod *Deus altior sit cœlo* Job. 14, 8. *Sphæra definito modo concluditur*, ait Ambros. in c. 3 Eph. *Deus a. non solùm implet omnia, sed & excedit: nec n. clauditur, sed omnia in se habet, ut solus ineffabilis & infinitus habeatur.* Ex his infertur: *Ubiquitatem non consistere formaliter in operatione*, nedum in *transeunte* operatione: siqvidem nulla sit hujusmodi operatio in spatiis imaginariis. Et sanè haud facilè qvispiam inficiabitur, se concipere posse divinam Ubiqvitatem, vel immensitatem præcisè, ceu simplicem adessentiam neqvaqvam terminabilem, ut non involvatur in ejusdem conceptu ipsa operatio. Quinimo Deus ab æterno immensus & ubiq; extitit, qvanqvam nullam operationem extrinsecam & transeuntem Deo ab æterno tribuere liceat. *Affinis Ubiqvitati est omnipræsentia.* Solent hæc persæpe usurpari promiscuè: at accuratius distingvuntur. Nam Omnipræsentia non est propriè Immensitas, sed Immensitatis consequens. *Immensitas* qvippe est *attributum essentiale æternum atq; absolutum: Omnipræsentia extrinsecum, relativum*, qvod in tempo-

Ubiqvitas non consistit in operatione transeunte.

Omnipræsentia distingvitur ab Immensitate.

tempore cœpit, qvia citra respectū creaturarū actu præsentiū nec intelligi, nec definiri potest. *ista est ἀνενέργητος: hæc est ἐνεργητική:* Omnipræsentia n. uti Theologi è scriptura demonstrant, est præsentia non otiosa, sed *negotiosa, operosa & imperiosa:* cum omnipræsentiæ divinę definitio, juxta stylū scripturæ duo contineat 1. *Essentiæ divinæ propinqvitatem* in omnibus πᾶς vel locis, ubi aliqva moratur creatura, 2. *creaturarum omnium sustentationem, ac gubernationem,* ut habet *Dn. Schrod. sceptr. Reg. Chr.* sed nec *immensa* vel *æterna* propriè dicitur omnipræsentia. non *immensa*, cum nec creaturæ, nec illarum loca aut ubi sive magnitudine sive numero sint immensa. non *æterna*: siqvidem ante creationem nec loca nec πᾶς erant, qvorum respectu Deus fuisset omnipræsens, nec creaturæ ullæ qvas gubernasset aut sustentasset. Hoc est: qvod differre dicatur *Immensitas* vel *Ubiqvitas*, & *Omnipræsentia*, ut *prius & posterius, absolutum & relativum, æternū & temporaneum, qviescens & operosum.* Triplici ergo *ratione* distingvuntur potissimum. 1. qvâ *principium* & *subjectum.* *Immensitas* videtur esse *q. radix* & *principium* omnipræsen-

Omnipræsentiæ requisita.

Omnipræsentia non est immensa nec æterna.

Triplici modo differt ab Ubiqvitate.

præsentiæ, ut omnipræsentia resultet ex Immensitate. sanè qvod omnipræsens est, id immensæ utiq; est subsistentiæ: vel certè per Immensam Dei potentiam præsens omnibus ubi sistitur. *Non n. dubium nobis esse debet, Deum per absolutam suam omnipotentiam præstare posse, ut qvæcunq; creatura, sive angelus, sive homo, sive corpus in cœlo & in terrâ simul præsens adsit, etiamsi Vnio hypostatica nulla intercedat,* ait *doctiss. Schrod. l. c.* Hac ergo ratione differunt, ut Immensitas ex infinitate resultet: omnipræsentia verò ex immensitate, sed non *adæqvate:* qvum non qvicqvid ratione qvacunq; omnipræsens est, ideo vel immensum vel infinitum esse debeat. 2. qvâ *terminum & respectum. Immensitas* extendit sese ad spatia infinita, & respuit omnem terminū: *Omnipræsentia* verò refert sese ad rem creatam omnem, adeoq; videtur respicere qvendam terminum. Ratione *istius* Ens infinitum non potest non esse ubiq;. ratione verò *hujus* dicitur res saltem adesse in omnibus Ubi vel spatiis hujus universi. 3. qvâ *formalem rationem & proprium conceptum. Immensitas* absolvitur adessendi interminabilitate. *Omnipræ-*

Omnipræsentia non adæqvatè resultat ex immensitate.

sentiâ

ſentia verò dicit tum ἀδιαστασίαν & indiſtantiam ab Ubi qvovis rerum creatarum, tum ἐνέργειαν & operationem, circa res in ubi conſtitutas: ut hic non ſolum detur *eſſentiæ approximatio*, ſed & *præſentis eſſentiæ operatio*, ſeu præſentia & *ſuppoſiti & virtutis*, ut vocant.

Alicubitatis diviſio.

IV. Alicubitas eſt duplex: vel citra occupationem ſpatii; vel cum ſpatii occupatione. iſta præſentia definitiva: hæc circumſcriptiva dicitur.

Triplex adeſſendi modus.

Hinc juncta *Immenſitate triplex* adeſſendi modus, *repletivus*, *qvi Vbiqvitatis*, definitivus, qvi *præſentiæ ſpiritualis*, *circumſcriptivus*, qvi *localis præſentiæ*. hos Ubietatis modos ſingulos dicimus *intrinſecos & eſſentiales (à poſteriori)* Enti cui competunt, qvantum ad *emanationem* è naturâ ejusdem, ſeu qva *actum primum*, qvanqvam ratione *actus ſecundi* dubium ſuperſit. Sanè *repletivum præſentiæ modũ* præciſe, & ratione actus ſaltem primi, ita ut non inſeqvatur ſed ſuſpendatur actus ſecundus, dari haud facilè dixerim: Cum per repletivam præſentiam res ita dicatur omnia ubi replere, ut non

in Vbiqvitate non licet diſtingvere actũ primum & ſecundum.

poſ-

possit non ipsissimo actu omnibus ubi præsens adesse. Verùm alia ratio de *cæteris Vbietatis modis*, qvam hic jam ulterius attingere non licet. Constat autem ex hisce, qvod *determinabilis præsentiæ*, seu *Alicubitatis* modi propriè non constituant vel absolvant *Vbi Prædicamentale*, utpote qvod istud sit Accidens peculiare, & à re ubicata distingvatur realiter, adeoq; cum illâ compositionem faciat realem: id qvod de modis Ubietatis haud videtur statui debere, qvũ *Vbietas* non differat realiter, sed tantùm formaliter ab Ente qvod denominat æqvè ut cæteræ Affectiones Entis transcendentes. Idem qvoq; de *modis Vbietatis* dicendũ, ut unicuiq; Enti propria Ubietas sit intrinseca & essentialis, citra compositionem, cum eo realem. Cæterùm è dictis facilè distinguuntur *Vbietatis modi* ab invicem. *Vbiqvitas* seu *repletivus adessendi modus est*, qvo Ens *non potest non adesse* infinitis Ubi *indivisibiliter*, & *interminabiliter*, adeoq; non saltim in omni re creata est totum, sed & in qvavis ejus parte totum, & qvoad essentiam & qvoad præsentiam: nec aliter esse potest per impossibile. Hac itaq; ratione tum *essentia*,

Vbi prædicamentale distingũ. à modis alicubitatis.

Qvomodo distinguãtur ubietatis modi ab invicem.

tia, tum *præsentia* ejus, ut ita loquar, non solùm tota est in toto hocce universo, sed tota insuper in minutissimis & abjectissimis ejus partibus, idq; per absolutam necessitatem, exigente ita *Immensitatis* ratione. *Definitiva Alicubitas* licèt inferat *essentiam totam* in qvavis parte spatii, non tamen ponit *totam* quoque *præsentiam* in parte quavis, sed unaquęq; spatii pars exigit proportionatè partem quandam præsentiæ, eâq; ita res constituitur alicubi, ut certo spatio definiatur, citra quidem ejus occupationem, & localem circumscriptionem, attamen extra qvod non sit alii spatio simul & semel præsens, minimè verò omnibus vel infinitis Ubi adesse possit, nedum debeat, vi naturæ suæ.

Circumscriptiva deniq; *qva talis & spatium definitum* requirit, & *occupationem* ejusdem subinfert, quo non possit res tota *natura sua* & in toto spatio & in singulis spatii partibus adesse, sed potius occupet ita spatium, ut qua partes suas partib. spatii commensurari natura postulet, quemadmodum *jamjam* latius explicandum.

Alicubitas. V. Alicubitas definitiva est, quâ

quâ Ens finitum ita natura sua est alicubi, ut totũ sit in determinato quodam spatio, & totũ in qualibet ejusdẽ spatii parte, citra occupationẽ vel circumscriptionem.

definitiva quid?

Esse *alicubi definitivè* aliàs sumitur interdum *generaliter*, pro quovis præsentiæ determinabilis modo, quo significato dicitur de quavis re creata, ut cum *Damasc. l. 2. de orthod. fide c. 3. omnis creatura*, ait, *á creante ipso definitur & determinatur. hoc* vero accipitur *specialiter & propriè*, uti *medio loco* constituitur inter *ubi adesse circumscriptivè & repletivè*, siquidem hi tres adessendi modi omnem ubietatem exhauriant, ita ut *repletivè adesse omnimodo* sit *interminabile*; *circumscriptivè* adesse *omnimodo determinabile*; *definitivæ* v. *Alicubitas* nec simpliciter sit *determinabilis*, nec *interminabilis* simpliciter, juxta quã res ita dicitur esse alicubi, ut nec in Ubi infinitis præsto sit, nec ubi finito circumscribatur, quo minus extra illud esse possit, vel amplº Ubi sibi designare. appellatur ergo *definitiva præsentia*, non sensu *passivo*, quasi definiatur spatio certo, sed *activo*, quod sc ejus sit, quod potest sibi definire Ubi vel spatiũ

Esse alicubi definitivè duplicitèr dicitur.

Quare Boëtius definitiva adessentia?

designare, in quo sit, pro lubitu, sistendo tamē intra limites finitos. Hinc *Scal. exer. 359. s. 5. angelus dicitur ibi per definitionē; per definitionē hunc ad modū inquam, ibi est hic non est.* Et postea concludit, *dicuntur ergo (angeli) esse in loco æquivocè, atq; etiam plus, quàm æquivocè, quia sunt in suo Ubi non per circumscriptionem, quemadmodum mea manus in aëre, sed per designationē.* Ulterius *s. 6. contrahi & diffundi angelos* (ratione Ubi intelligo) *asserta sibi magnitudine* (spatii cujuscunq;) sed *certa finitaq;, verum est. Certam dico, non enim in infinitum sese promoverit, neq; ad puncti ἀδιάστατον sese contraxerit.* Et *sanè tota essentia, in quacunq; parte est sine materia.* Hæc ille. Quæ ritè intellecta ad declarationem *definitionis* nostræ faciunt, in quâ tum *subjectum* innuitur *Ens finitum*: quum affectio finita non sit infiniti Subjecti: tum *Natura* hujv affectionis declaratur à *formali effectu*, qui est ponere Ens finitum 1. *in spatio determinato*, quo discernitur *ab Ubiquitate*, nullis spatiis definita: Determinatio verò ista dependet â libertate ejus, qui sibi definit spatium, eâ qua lubet amplitudine. Natura enim non potest nisi finitum sibi definire spatium.

Formalis effectus Ubietatis definitivæ.

2. ci-

2. *citra spatii occupationem*, ut distinguatur à *circumscriptiva præsentiâ*, quâ determinato ubi res circumscribitur, adeoq; spatium sibi commensurabile occupat. *spatium autem occupare* dicitur, quod ita replet omnes spatii dimensiones, ut juxta se aliud ejus generis ferre non possit. sic *corpus* ita occupat locum, in quo est, ut ibidem nequeat aliud quoddam corpus vel subtilissimum simul morari, ob impossibilitatem penetrationis dimensionum. secus se habent quæ *definitivam* postulant *præsentiam*, ita *anima Ubi* sibi idem *istud definit*, in quo ipsum *corpus statuitur, quo cum eadem est unita. Angelus* ita *alicubi est, ut ab eodem Ubi non excludantur, vel mille alii Angeli*, vel *corpus quoddam Physicum*, cum eorum præsentia non inferat dimensionum περιχώρησιν & penetrationem, ob immaterialitatem. 3. ut *totum sit in toto, & totum in qualibet spatii parte.* Heic distinguendum inter *essentiam & præsentiam.* ratione *essentiæ* petit naturâ esse & in toto, quod sibi designavit spatio, & in quavis ejus parte: non autem ratione *præsentiæ*, sed est hæc ita definita, ut tota quidem præsentia totum ubi definitum requirat, partes a-

quid spatium occupare?

totum in qualibet spatii parte duplicitèr dicitur.

τῷ Ubi singulæ neutiquam requirant totam ejus præsentiam, cum id, quod potis est definitivè adesse, in sese sit *indivisibilis essentiæ*, non verò *præsentiæ* simpliciter *impartibilis*, quantum sc. ad *actualem ejusdem designationem*. Huc videntur collineare *Metaphysici*, quando *totalitatem rei*, alicubi existentis *dupliciter* considerant, *essentialiter* seu ratione *essentiæ & perfectionum*, & *accidentaliter* seu ratione *quantitatis* & *partium*, & de *priori totalitate* admittunt, v. c. *animam totam esse in qualibet corporis parte, totalitate essentiæ & perfectionum suarum*, *de posteriore* negant, cum *pars animæ*, (ita loqui solent) quæ *est in capite non sit in pede*. Verùm commodius id explicatur eo, quo dictum, modo; ut in vicem *totalitatis quantitativæ*, seu *imaginariæ extensionis* surrogetur *totalitas præsentiæ & proportionatæ* ad diversas spatii partes *applicationis*. Nam *Quantitatis* & *partis quantitativæ* nomen incongruè applicatur rebus *spiritualibus*. hoc itaq; πεοσκειμένῳ distinguitur iterum *Ubietas definitiva partim à repletiva*, quæ tota tum *essentiæ*, tum *præsentiæ* ratione est in quovis Ubi μεμιχῳ, vel ut ajunt ubiq; est *enter & præsenter*, partim à *circum-*

totalitas essentiæ & quantitatis.

vel essentiæ & præsentiæ.

quid enter præsenter.

cumscriptiva, quæ neq; *essentiæ*, neq; *præsentiæ* causâ dici potest tota in qualibet spatii parte, cum singulæ partes rei circumscriptæ commensurentur spatii occupati partibus singulis, *ejus* enim ratio *media* est: quia per essentiam tota esse postulat, ubi ubi sit, vel in punctulo spatii, quanquam præsentiâ sua non sit tota in quovis ubi partiali. *Notandum* autē: quæcunq; de effectu formali *Ubietatis definitivæ* hactenus dicta sunt, sistere *naturam* ejus, *quâ talem*, non verò negare, *per divinam potentiam posse impediri actualem ejusdem emanationem*, adeoq; aliâ ratione, quæ sit analoga cæteris adessendi modis, esse *actu* alicubi eidem vendicari, non sublatâ tamen propria Ubietate, seu nativa ad Ubi definitivum *potentia*, utpote quæ eadem est ipsi essentiæ, & proinde *inseparabilis*, atq; *immutabilis*. Inde disputant *Dd.* nullam esse repugnantiam, quo *v. g. Angeli alicubitas assimiletur modo assendi repletivo*, quanquam impossibile sit, ei vel *Ubiquitatem* vel *Immensitatem* vendicari, cum natura sua non sit illimitatus, in adessendo. i.e. posse Angelum virtute primi agentis sisti in pluribus Ubi præsentem, retentâ tamen

actū adessentiæ definitivæ nō pertinere ad definitionem Ubietatis definitivæ.

nativa & sibi essentiali *Ubietate definitiva*. *Duo* ita dicuntur, quæ statuminamus, *1. posse salvari Ubietatem definitivam absq; modo adessendi definitivo*, actu ipsam insequente. *naturâ* quidem hic ab ista resultat necessariò, sed qui *supra naturam est*, efficere potest, ut non resultet. cum enim citra ejusdem actualem concussum nihil valeant causæ naturales, nihilque sit nisi eo dante & concedente, quis dubitet, si Deus influxu suo conservet essentiam angelicam, & quæ ab ipsa non distinguitur realiter, Ubietatem definitivam, adeoq; non concurrat ad τὸ adesse Angeli definitivum, quâ *actum secundum*, quin certo certius relinquatur Ubietas definitiva, absq; actuali definitivæ præsentiæ modo. *2. posse Deum Angelum sistere in pluribus Ubi*, vel *ubiq;*, ostendit Dn. *Cornelius Martin. in Analys.* isthoc argum. quod *nulla involvatur contradictio*, sive *divinam potentiam* respicias, sive *angelicam essentiam: ista* n. cum immensa & infinita sit, ea quoq; præstare noverit, quæ ne intelligendo quidem nos assequi valemus. Unde non satis aptè removent à potentia divinâ *Scholastici*, quæ sunt *inintelligibilia*, siquidem *divi-*

salvari Ubietatem definitivã absq; modo adessendi definitivo.

posse Deum angelum sistere ubiq;.

inintelligibilia

nâ potentia longißimè excedat noſtram intelligentiam. hæc verò nihil involvit quod repugnet, ſed obedire poteſt voluntati atq; operationi primæ cauſæ. Tria ſunt, quæ obſtare videntur, & inferre quandam repugnantiam, putantur, *Unitas, Finitas, & Alicubitas Angeli*, at neutiquam officiunt: *non Unitas*, ſiquidem ea, *quâ talis*, non evertat *Ubiquitatem*, nedũ *actualem adeſſendi Ubiq; modum*, alioquin ne Deus quidem, ſummè unus, ubiq; foret. Nam καθ' αὐτὸ præſupponit κατὰ παντὸς, & à quatenus tali ad de omni optimè colligitur. neq; poteſt obverti *Unitas finita ſeu limitata*, quum ſeſe minimè evertant *finitum eſſe naturâ vel eſſentialiter, & illimitatum habere adeſſendi modum*, ſeu *ubiq; adeſſe*. alii enim ſunt fines *eſſentiæ*, alii *præſentiæ*. monſtret qui poteſt ἀντίφασιν veram, non effictam, agnoſcam. Nec deniq; *Alicubitas definita angelicæ naturæ* propria obſtare videtur; ea enim haud tollitur per iſtam hypotheſin, qua angelus ubiq; ſtatuitur, ut *puncto antecedente* demonſtratum. Non ſunt *termini contradicentes*, *natura ſua poſſe in ubi quodam definito adeſſe*, &, non *adeſſe actu in ubi definito, virtute principii ſupernaturalis*.

gibilia non ſunt ſtatim impoßibilia.

Vnitas non tollit Vbiquitatem.

Finitas & adeſſentia illimitata nõ pugnãt.

Alicubitas non obſtat, quo minus angelus ubiq; ſit.

Oppositio fieri debet ὡς ἁπλῶς, κατὰ τὸ αὐτὸ, πρὸς αὐτὸ. requiritur ergo ad legitimam contradictionem ejusmodi terminorum habitudo; *posse per se & naturaliter alicubi vel in spatio definito adesse, & non posse per se, & naturaliter in spatio definito vel alicubi adesse.* item: *non esse actu in ubi definito, &, non posse non esse actu in ubi definito.* qvum itaq; nulla repugnantia inferatur, indubium est, *divina potentia fieri posse, ut Angelus sit ubiq;* sed ad alia id unum restare videtur dispiciendum, *quibusnam competat Ubietas definitiva naturâ & essentialiter.* paucis me absolvam. videtur: quod *solis spiritibus finitis* è classe *substantiarum* tribui debeat. est enim *Ubietas* ista *finita*, non ergo dubium, quin afficiat & denominet *Ens finitum* non verò *materiale*, cum hoc *natura sua* sit aptum commensurari spatio, seu adesse alicubi cum occupatione spatii, eo quod partes extra partes habeat hinc ei non competit: nec competere potest *ejusmodi Ubietas*, quæ natura sua postulat adesse alicubi citra spatii occupationem & circumscriptionẽ. de *formis substantialibus, materialibus* dubium est, *num ipsis competat Ubietas definitiva, nec ne?*

Quibus cõpetat Ubietas definitiva?

An formæ materiales sint in ubi definitivo?

sunt

sunt enim qui statuunt, *eas esse per Accidens in Ubi circumscriptivo*, quia recipiantur in quanto, & extendant sese ad singulas partes quantitativas, adeoq; unam sui partem ponant extra alteram. alii verò *ubi definitivum* ipsis assignant, ut videre est apud *Fonsecam. 5. Metaph. 15. quæst. 9. s. 6.* in re ambiguâ quid statuam non habeo; sistatur prius in aprico *natura formarum*, & de *affectione* non difficilis erit censura. videtur tamen *immaterialibus & Quantitatis expertibus* naturâ saltem adscribendam esse *Ubietatē definitivam*, puta, *substantiis spiritualibus, Angelis, animæ rationali*, sive in statu *conjunctionis*, sive in statu *separationis* sit; πρώτως; δευτέρως verò *qualitatibus immaterialibus, scientiæ, sapientiæ &c.* quæ sequuntur indolem sui subjecti.

IV. Alicubitas circumscriptiva est, quâ res finita tota esse in toto spatio, partesq; ejus singulæ singulas spatii partes natura postulant occupare. *Alicubitas circumscriptiva quid?*

Res est evidens ex *antegressis*. convenit de cætero hæc *Ubietas* cum *definitiva*: *hoc uno* differe *formaliter* ab eadem, quod *quomodo differat à definitiva?*

naturâ postulet *occupare spatium*, ita *ut singulis sui partibus commensuretur singulis spatii partibus.* ideo nuncupatur *circumscriptiva* ab *adessendi modo*, quem infert: ut res in Ubi sit per *circumscriptionem*, intellige non *internam*, sed *externam*. Duplex n. est *circumscriptio essentiæ*, quæ *interna*, & *præsentiæ*, quæ *externa*. *ista* vel *generaliter* definitur *terminis essentiæ*, ut *omni rei finitæ* competat, & quicquid finitum est, limitibus essentiæ circumscriptum dicatur. vel *specialiter*, prout *partium quantitativè extensarum terminatione* definitur, quo sensu competit saltem *rebus materiatis quantis, partem extra partem habentibus*, & adhuc distincta est à *circumscriptione adessentiæ*. diversa, inquam, sunt, *partibus sui intrinsecè terminatum esse & circumscriptum*, & : *in ubi adesse modo circumscriptivo*. *istud* absolutum, hoc relativum quid. sine *isto* res materialis non est; *hoc* verò ad eandem non requiritur. & perquàm absurdè diceretur, *quid alicubi esse per circumscriptionem internam*, ac si dicerem, *corpus naturale est in loco* (quod eidem extrinsecum & circumstantiale) *dum partes extra partes habet* intrinsecè & essentialiter. præsuppo-

circumscriptio interna & externa.

per internam circumscriptionẽ res non dicitur esse alicubi.

nitur

nitur quidē *interna* circumscriptio partium, ut res ab *extrinseco* ambiente seu continente circumscribatur, minimè v. *illa* censeri debet *hujus formalis ratio*: nec deniq; *illa* sed *hæc*, solummodo describit *Alicubitatem*, de quâ *jam* agimus. distinguendum v. insuper inter *circumscriptionē externā aptitudinalem* & *actualē*, item inter *commensurabilitatem*, & *ipsam commensurationem* rei præsentis ad τὸ ubi. *aptitudinalis circumscriptio & commensurabilitas* hic intelligitur *partim*, quia attributa à potentia non ab actu sunt describenda, *partim*, quia Ubietas formaliter non importat coexistentiam alterius, & actualem ad id præsentiam. *partim* deniq;, quod *alicubitas circumscriptiva* non differat re ab essentia finita circumscriptibili, ideoq; ab eâdem sit inseparabilis: secus verò de *actuali circumscriptione*, quæ omnino potest abesse à re, & proinde realiter distinguitur. exemplo, sit *corpus primo conditum*, & *cœlum extimum*, hic enim nulla actualis circūscriptio *externa*, quanquam circumscribi possint. nullū n. dubiū est, quin & *corpus* πρωτόκτιστον & *cœlum extremū* circumscriptionē externam admittere *possint*. nam licēt

Circumscriptio aptitudinalis & actualis.

Ista hic intelligitur.

hæc abesse potest.

licèt necessariò sit *extremum* aliquod cõcedendum, quod in *quantum extremum*, nequit esse circumscriptum, id tamen *natura sua* tale est, ut ei non repugnet circumscriptio, imo *quantitatis* ratione potius circumscribi postulet. constat ergo, quod *actualis circumscriptio* sit per *Accidens* ad *hancce Alicubitatem*. Quod verò concernit *commensurationem rei* ad spatium, in quo est, haud diffiteor, majorem de ea difficultatem restare. interim judico non requiri *absolutè* ad *alicubitatẽ circumscriptivam commensurationem*, sed sufficere *commensurabilitatem*, ac proinde non dubito, rem finitam singulisq; sui partibus aptam spatio commensurari, idq; *natura & essentialiter*, alio posse *de facto* gaudere adessendi modo, ut citra spatii occupationem, & actualem commensurationem in ubi statuatur; saltem *virtute superioris agentis*, vel per absolutam Dei potentiam: cum nullam implicet contradictionnm; *esse commensurabile spatio*, in quo existat, de se & naturaliter: & *non commensurari actu spatio* eidem, ab extrinseco & supernaturaliter. accedit quod *actualis* ista *commensuratio & circumscriptiva adessentia* sit modus

Extremum corpus postulat circumscribi.

commensuratio per accidens est ad ubietatem circumscriptivam.

ves quanta potest alio quàm circũscriptivo modo esse alicubi.

dus rei à re distinctus *realiter*, ideoque omnino *separabilis*, quum τὸ *posse circumscriptivo modo adesse*, ut & *commensurabilitas* videatur esse quædam affectio rei ab eadem inseparabilis, deniq; *actum secundum, qui non sit idem essentialiter cum actu primo*, quis ambigat *posse ab eo abesse*. ideo notanter addidi in *Definitione*, quod *per naturam* postulet talem adessendi modum, ut spatium occupet, adeoq; in loco sit, quò saltem innueretur *aptitudo & habitudo naturalis*, quam certum est salvari, etiāsi nō sit conjuncta cum actuali spatii occupatione & commensuratione, ut jam expositum. in simili vidi me *theoremate antecedente*. Ex hisce verò manifestum est, quod *Alicubitas circumscriptiva omni*, eiq; *soli rei materiali* & quantæ partes extra partes habenti competat, adeoq; sit *propria affectio corporis*, non *Physica*, qualis est *locus* (si modò hic sit numerandus inter affectiones, cum potius sit circumstantia externa) sed *Metaphysica*, quanquam non diffitear, haud exiguas difficultates superesse, in quibus mihi ipsi non satisfacio.

quibꝰ competat Ubietas circumscriptiva.

Πρόσταξις.

I. Ubietas identificatur Essentiæ.

Ubietas identificatur Essentiæ.

Est

Ubietas & esse alicubi quomodo differant.

Est enim *affectio transcendentalis*, nec cum Ente facit realem compositionem, nec dici potest quicquam realiter distinctum ab essentia, quod ei superaddat Ubietas. adde, quod omni extrinseco & accidentali remoto, intrinsecè & essentialiter rei competat sua *Ubietas*, quanquam alia ratio sit, *actualis adessentiæ*. videntur enim differre ut affectio & modus rei, ut *prius & posterius*, & παχυλῶς loquendo, ut *Potentia & Actus*. Cave E. inferas τὸ esse alicubi rei quoq; identificari, eidem essentiale esse, & ab ea simpliciter inseparabile, alioquin cum *Magistris hæreticorum* in gurgitem errorum te præcipitem dabis.

Præsentia realis esse nequit sine indistantiâ.

II. Præsentia realis esse nequit sine indistantia.

Præsentia suppositi & virtutis.

Requiri ad *præsentiam realem*, quæ est *suppositi* ἀδιαστασίαν licèt ad *præsentiam*, quam sic vocare liceat *habitudinalem*, quæ est *virtutis*, non requiratur indistantia, manifestum est è *theorematibus* & vel ex ipsa *voce & descriptione præsentiæ* constare potest. dicitur *Præsentia*, q *præexistentia*, quod res, quæ præsens est dicenda, sit præ re, cui præsens dicitur, sive

unde dicatur præsentia.

eidem

eidem quàm proxima esse debeat, ideoque vi nominis præsentia vel adessentia vocatur existentia rei cum propinquitate ad aliam, proinde nihil aliud est *Præsentia* quàm *talis ad minimum rerum coexistentia*, ut *altera facilé queat alteram attingere*, ne sc. vel *solidi corporis, interjacentia*, vel *loci distantia* actualem & realem eorum conjunctionem impediat, quæ sibi dicuntur mutuò præsentia. *Fallitur E. Zanchius*, quando *l. 2. de natura Dei c. 6. q. 1. longinquitas, inquit, aut propinquitas non est propria causa, cur aliqua res dicatur & sit præsens vel absens, sed rei κοινώνησις.* Item *Timpl.* cum *2. Metaph. 5. q. 10.* asserit, *illa nobis esse præsentia, quæ sunt præ sensibus nostris, vel interioribus vel exterioribus ab iisq; cognoscuntur & percipiuntur, licèt intervallo locorum à nobis sint remota*, imo, *solem, quando oculis nostris obversatur, corporaliter nobis præsentem esse, etsi longissimo locorum intervallo à nobis omnibus sit dissitus. Fallunt* illi ipsi, quando hisce ficus foliis tegunt nuditatem suæ sententiæ, de *reali absentia corporis Christi, ab Eucharistia*, cum *corpus Christi tam procul abesse* sentiant *à pane Eucharistico, quam cœlum á terrá*, ut cum *Beza Vrsinus*

quid sit Præsentia.

contra Zanch.

Timpl.

Bezam & Vrsinú &c.

2. part. volum. operum Theol. fol. 650. & nihilo secius videri velint *realem* astruere *Præsentiam*. sed mera sunt προφολύχεια, ut vel ex *hocce principio* patet. Ad *realem præsentiam* non sufficit *conjunctio imaginaria*, seu φανταστική, vel *obversatio sensualis*, & αἰσθητική, vel *influxus virtualis*, & *conjunctio* κοινωνική, καὶ ἐνεργητική sed omnino requiritur *realis actualis substantialis propinquitas & indistantia*, sive ea sit φυσική, sive ὑπερφυσική. Conjunctio n. φανταστική non est *præsentia realis*, siquidem illa sit etiam *non existentium*, & dependeat à mentis operatione, quâ cessante, nulla est. ideoq; coexistentiâ *realem* non infert. *imaginationis & fictionis intellectus* tanta non est vis, ut *sola* possit res præsentes sistere; alioquin absentes, idq; *realiter*, non saltem *intentionaliter*, imo nec *fidei* adscribi potest ea *plus quàm omnipotentia*, ut res *verè & realiter* absentes sistere queat, dum adhuc absentes sunt, *vere & realiter* præsentes, ut fingit *Sadeel, volum. oper. Theol fol. 300.* cum hoc ne quidem sub Objecto potentiæ contineatur, quippe apertè contradictoriũ, Hinc accuratè *Dn. Gravv.* si *corpus Christi fidei saltem præsens est sequitur, quod ipsum cor-*

Præsentia imaginaria non est realis.

Calviniani tribuunt fidei potẽtiam supra omnipotẽtiam.

præsentia fidei non est realis.

corpus vere non adsit, sed saltem *imago & species corporis Christi*. sicut n. *color realis* oculo non ineſt, ita animo non ipſum corpus, ſed ὁμοίωμα corporis tantum ſiſtitur, quæ non eſt *præſentia corporis vera & realis*, ſed *ſpeciei, objectiva & intentionalis*. Nam mens noſtra non recipit ipſum Objectum, ſed tantùm ὁμοιώματα, fatente *Saduele, confer. Scal. exer. 307. ſ. 21.* & πίστις non eſt *cauſa* τῶν πίστων, quippe *Objecti ſui. ſicut ſcientia non eſt cauſa rei ſcitæ*; non quia *credimus*, *ideo eſt*, ſed *quia eſt*, *ideo credimus*, de quo *alibi*. *Præterea præſentia* non conſiſtit in *externa circa ſenſus obverſatione*, cum hæc ſit merè *per Accidens* ad præſentiam rerum. *multa* certè ſunt præſentia, quæ ſenſibus non obverſantur, qualia ſunt tum *inſenſibilia*, tum haud rarò *ſenſibilia*, quæ coexiſtere poſſunt, licèt non ſentiantur præſentia. *multa* quoq; ſenſibus extrinſecus obverſantur, quæ tamen ideo non ſunt præſentia, ut vel *ſtellarũ* teſtimonio evincitur. non enim puto quenquam hodieq; inveniri vel inter mediocriter doctos Reformatos, abſurditatis *Timplerianæ* patronum, quæ eſt *ſolem corporaliter nobis præſentem adeſſe*. *Tandem* κοινώνησις & *influxus virtu-*

Præſentia non conſiſtit in obverſatione circa ſenſus.

Timplerus abſurdè ſolem nobis

corporaliter præsentem dicit.

tis minimè facit realiter præsentia, quæ sejuncta sunt locorum intercapedine & distantiâ, nisi fortè iterum cœlum sit dicendum præsens realiter terris, in quas agit per influentias. sc. juxta illud *Jehovæ Esai. 55, 9. sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ viæ meæ à vestris.* Et cur non statuis, *Zanchi, cœlum omnipræsens*, aut cur dubitas, *cœlum ubiq; adesse verè & realiter*, quando nihil certius, cœlum, tanquam *causam universalem* κοινωνικὴ sua & influxu virtuali nuspiam terrarum imo locorum abesse?

Hypothesis Zanchii infert cœli ubiquitatem.

Ubietas nō infert operationē.

III. Ubietas non infert operationem.

Sanè operatio præsupponit & prærequirit præsentiam sive *substantialem*, sive *virtualem*, quum sine contactu nulla fiat actio: verùm non ad omnem adessentiam insequitur operatio, siquidem multa sint alicubi, etiam cum non operantur, res certè esse potest, utut maximè non operetur. E. & adesse alteri: ipsa etiam Dei Ubiquitas non infert operationem quandam ad extrà sc. transeuntem: non modò quod extra mundum huncce nulla sit Dei operatio externa;

quum

quum nihilo secius Deus in infinitis extra mundum spatiis adsit præstò substantialiter: sed &, quod intra universitatem hanc sistendo, Deus omnipræsens sit, atq; maneat, licèt dicatur accedere & recedere operando; quod argumento est, nō adesse Dei non consistere in operatione. Quanquam certum sit, *omnipræsentiam* divinam in sacris non solùm *adessentiâ*, sed etiam *operatione* describi: uti quoq; *speciali* præsentia Dei *gratiosa, gloriosa, hypostatica* definiri solet operatione, de quo Theologi. Verùm observandum, *à præsentiâ universali ad operationem specialem vitiosè concludi*; siquidem ista respiciat omnes res creatas: hæc verò aliquas duntaxat. Nullum ergò robur inest argumento Calvinistico: *quicquid ubiq; est, id ubiq; agit, quod agit*; *aut si aliquid tantùm agit hic vel illic, tantùm præsens est heic vel illic. E. si corpus Christi semper ubiq; fuit, dicendum quod ubiq; natum, ubiq; passum, ubiq; crucifixum, &c. vel si hoc non dicendum, consequens erit, quod nec ubiq; fuerit.* Egregia consequentia! Ab *omnipræsentia ad actionem passionemve specialē* pariter colligerem: si Deus ubiq; est, ubiq; sese revelavit Patriarchis, ubiq; le-

à præsentia universali ac operationē specialem non V. C.

Non quod ubiq; est, ubiq; agit, quæ agit.

gem promulgavit &c. si ὁ λόγος ubiq; est, ubiq; assumsit carnem, & non solùm in utero Mariæ. si Spiritus S. ubiq; est. E. ubiq; visus est in specie columbæ &c.

Ad multiplicationē τοῦ ubi, non multiplicatur id, quod est in Ubi.

IV. Ad multiplicationem τοῦ Ubi non sequitur multiplicatio ejus, quod est in Ubi.

Contra Sadeel.

Sadeel. de Sacr. manduc. vol. oper. Theol. p. 318. Non multiplicato corpore, ait, *non potest multiplicari Accidens præsentiæ & loci in corpore.* quò tendit principiū istud generale, *quod ad multiplicationem vel loci, vel ipsius Ubi multiplicetur etiā illud, quod est in loco, vel in Ubi. V. Scal. ex. 5. G.* Nam hoc esse potissimum argumentum Reformatorū, quo negant, posse corp^s ubiq; vel in pluribus Ubi adesse: existimat *Dn. Cornel. Mart. cap. 6. de anal. mater.* quem omninò vide *pag. 224. seqq.* Nos verbo dicimus: Deum esse ubiq;, animam esse totam in singulis corporis partibus, nec tamen periclitari essentiæ divinæ vel animæ humanæ Unitatem. *D. Luther.* urget, *quod idem sonus fermè ab innumeris percipiatur quod lux se diffundat per universum hemisphærium; quod corpus visibile in infinitum radiet, &c. De corporis præsentiâ deinceps.*

V. Rem

V. Rem finitam ubique esse, non est impossibile.

Rem finitã ubiq; esse, non est impossibile.

Ego verò sic affirmo: nullâ vi fieri posse, ut res creata sit ubiq; ait Petrus Martyr. in dial. de utr. Chri. Nat. p. 6. Atqui rem finitam ubiq; esse nullam infert contradictionẽ. Non ergò simpliciter impossibile. Antecedens probo: Prædicatũ n. non evertit naturam subjecti: *Finita* manet creatura, etiam quæ ubiq; statuitur, & neutiquam evadit infinita. Nam *infinitum quâ præsentiam & immensum est*, quod per naturam suam non potest non ubiq; esse. *Finitũ* v. in *adessendo* est, quod naturâ suâ postulat ubi finitum. quod si hoc ubiq; sistatur per divinam potentiam, *neutiquã desinet esse finitũ: minimè q; evadet infinitũ. Non desinit finitum esse*: siquidem adhuc retinet Ubietatem sibi propriam, id est postulet adhuc *naturâ suâ* ubi definitũ, quamvis ipso *actu* non gaudeat adessendi modo definito. Nam quanquam de facto per virtutẽ superioris principii & ab extrinseco sit illimitatũ in adessendo, & actualib⁹ adessendi terminis careat; minimè tamen *essentialẽ & nativã* istam *habitudinem*, quâ potest in ubi definito adesse, & poscit natura adessendi termi-

Quod ubique est, nõ desinit esse finitum.

nos amittit. sc. *actum illum naturalem impedit supernaturalis potẽtia, & extrinsec⁹ accedens virt⁹, interna v. potentiã nõ plane negat & tollit, verùm magis perficit: ita quidẽ, ut illud subjectũ, quod imbecilliori potentiâ tãtũ in uno erat ubi, jã fortissima & perfectissima illa divina potentia sit in multis vel omnibus.*

neq; evadit infinitum.

Vicissim: potentia Entis finiti & posse illud (adesse in ubi definito) non tollit vel excludere potest actũ superioris potentiæ nempe divinæ: ut sit ubiq;. Deinde *finitũ nõ evadit infinitum hac actuali adessentia indefinita.* Nam id demum infinitũ est, quod non potest non ubiq; esse. *aliud* a. est, non posse non ubiq, esse naturâ & essentialiter, *aliud* ubiq; esse virtute extrinseca, & per dependentiã ab alio, ut *in theor.* expositũ vel, prout alii loquuntur, ubiq; esse ἁπλῶς seu absolutè; & ubiq; esse κατ' συμβεβηκὸς s. καὶ ἀπό. Confer Dn. *Jac. Mart. tract. de loco l. 2. c. 36.*

Quod habet partes extra partes circũscriptibè est alicubi.

VI. Quod habet partes extra partes circumscriptivè est alicubi. Verũ est de actu & statu rei naturalis: at vitiosissimè ex eo infertur, quod Deus omni suâ potẽtiâ nõ possit efficere, ut quod partes extra partes habet, aliter quàm circũscriptivè sit alicubi, puta ut vel in plurib⁹ ubi sit, vel etiam ubiq; citra actualẽ

spatii

spatii occupationē. *Petr. Mart. contr Seln. f. 119. Concludimus ergo Christū nō modo nolle, verūm etiā non posse velle corp⁹ illud verū & πεφραγμον multis simul in locis sistere.* Paria istis habet *Beza Coll. Momp. p. 33. & resp. 1. Germ. edit Basil. p. 38. Bergius in stereom. verb. Chr. &c.* Nos de *voluntate* Christi certi ē script. saltim *facultatē* vendicamus rationibus. Notamus v. partes extra partes habere διττῶς accipi. 1. *essentialiter & intrinsecè*, cum una pars extra aliā est entitativē, ita ut una nō sit alia, sed suā singulæ habeāt essentiā, uti v. c. caput est extra collū, collū extr. ventrē &c. si caput non est collū, collū non est venter. 2. *accidentaliter* vel *extrinsecè*, quā una pars est situata & locata extra alterā: & pars extr. partē spatiū occupat. ut ubi caput est, ibi non est collū vel venter &c. id quod vicissim intelligi potest vel de *actu primo*, vel de *actu secundo*. Hoc ergo est, quod dico: Licet id, quod partes extra partes habet intrinsecè, postulet naturā sua etiam partes extra partes ponere extrinsecè, ratione situs & locationis attamen separari posse actualē ejusmodi situationē, & partiū extra partes locationē, per infinitā potentiā: nam nō est nexus essentialis inter ejusmodi actualē situationē, & rem

partes sunt extra partes duplicit.

ma-

materialē, partes extra partes habentem, sed potiꝰ intercedit id discrimē. quod inter Accidens & Subjectū. Præterea *positio partis extra partē in ordine ad ſpatiū est actꝰ quantitatis.* quis v. ambigeret, actus naturales omnino tolli posse à causis, unde emanant; sicut ab igne tollitur ustio, à gravi actualis gravitatio. Tandem disputāt Philosophi, quantitatem separari posse à corpore naturali, saltem per Dei potentiā absolutam, siquidē distinguantur essentialiter. multò magis adserendum, actum quantitatis ab ipsa tolli posse quantitate eâdē virtute. Notū n est, quod hæc tria sese excipiāt in natura Essentia, Proprietas & Operatio. quodq; longè arctiꝰ propria affectio cohæreat cū ipsa reiquidditate, quàm operatio propria cum ipsa proprietate. Accedit his, quod *Mat. 19, 24.* habetur: *per foramen acus transire posse camelum, animal istud ingens & grandis magnitudinis.* Non n. vel *hyperbolicam* vel *hypotheticam* esse locutionem, sed *Ἰσχυὴν* & propriam, facilè constat, siquidem immediatè subjungatur: apud Deum non est impossibile omne verbum. Unde pórisma: *quicquid mens concipere potest notionaliter,* (verbum mentis) *id Deus præstare potest realiter.* ita ergo, si possibile est, ut camelus ingrediatur per foramē acus, possibile erit à re quanta separari actualem commensuratione ad locum, &c. *Sed hic esto finis Θεωρίας Affectionum Unitarum Entis.*

CLASSIS SECUNDA
Affectionum Transcendentium
Exhibens
DISJUNCTAS.

Disputatio X. publica. Respond. Casparo Mauritio, Holsato.

DE his *brevioribus lineis* agendum erit temporis habitâ ratione. Multa tamen paucis comprehendemus: & ne ἀμεθοδίας arguamur, ordini recepto insistemus: *1. Generaliter* de *Natura & varietate* disjunctarum affectionum. *2. Specialiter* de singulis tractaturi.

SUBSECTIO PRIMA
Generaliter tractans
De affectionibus disjunctis.
CAPUT IX.
De Natura affectionum disjunctarum.

EXplicans, *quid* sint, & *quomodo generatim* dividendæ sint?

I. Affectiones disjunctæ sunt attributa generalissima quæ Ens reciprocè denominant cum oppositi illatione. *Quid sint affectiones disjunctæ?*

De cætero conveniunt cum *unitis*, hoc excepto, quod istæ oppositione quan- *Quomodo differant ab unitis?*

dam includant secus atq; simplices: ideò hic datur reciproca Entis denominatio, sed per membra opposita vel sub disjunctione, ut *Ens* dicatur *causa* vel *causatum* &c: Membra v. ista æquè ut affectiones unitę haud inferunt aliquid ab Ente reater diversum, vel simpliciter à mente cõfictum, sed quod verè & realiter ipsi Enti competat, verùm non nisi sub formali diversitate ab Ente: Quanquam membra opposita inter se differant realiter. Datur ergo in hisce modis *duplex* respectus: alter ad *subjectum*, à quo non differunt magis quàm formaliter: alter ad *membrũ oppositũ*, à quo membrum alterũ fere non differt minus quàm realiter. *Istius* ratio est, quod affectiones nõ inferãt compositionẽ realem cum Ente, quâ tales quum etiam Enti simplicissimo attribuantur: *hujus*, quod oppositæ relationes sibi mutuo incommunicabiles realiter differant ab invicem. Modi igitur quâ tales non important realem diversitatem, sed quâ oppositi utq; mutuo incommunicabiles. *Duo* heic nota *primò*; *Quomodo definienda sint* membra horum attributorum in *actu exercito* sc. 1. *non debent æstimari simpliciter è relatione ad oppositum*

Duplex respectus in disjunctis.

Quomodo definienda sint membra affe-

suum

fuum, sed examinanda sunt cumprimis ex *relatione ad subjectum* seu ipsum Ens, & quomodo id afficiant attendendum. Affectionis enim formale colligitur ê χέσει, quâ habet ad subjectum, ê quo fluit, non præterito, si disjuncta sit, oppositionis respectu. *Adde* quod membrum unum non minus sit obscurum, quam alterum. Ideo vel ex hoc capite rejiciuntur ejusmodi definitiones: *Principium est, unde principiatum* dependet: *Signum est, quod repræsentat signatum.* 2. *Non sunt definienda latissimè* quatenus ad omnia sese extendunt, quæ æquivocè saltim ita dicuntur, sed consideratis prius nominalibus distinctionibus, remotisq; æquivocationibus in adæquata & propria ratione sunt repræsentanda. Hoc observato accuratè discernamus *distinctiones nominales & æquivocas denominationes à divisionibus affectionũ analogicis.* 3. *Quæ propriè etiam rebus mysticis tribuuntur*, taliter sunt describenda, ut κατ' ἀναλογίαν tùm *Eminentibus*, tùm *Prædicamentalibus* formalis ratio tribui possit. *Secundò, Quomodo differant ab Entis divisionibus.* Quod semel atq; iterum monui, hîc est memoriâ recolendum & circa numerum affectio-

tionum disjunctarum.

Quomodo differãt ab Entis divisionibus.

ctionum disjunctarum probè observandum: *ne sc. statuantur affectiones, quæ in inferioribus dicunt ipsam essentiam rei*, seu formaliter id quod est de rei essentiâ designant: sed tantùm quæ Ens denominant, adeoq; non Synonymicè, verùm paronymicè de Ente hoc vel illo enunciandæ veniunt. Inde cognosco *finitum & infinitum, dependens & independens &c.* ad Entis attributa non ad modos quasi contrahentes referri debere. Quia *finitudo & dependentia* non est de Essentia ullius à priori. Diversum est de *subsistentia & inhærentia.*

Quotuplices sint affectiones disjunctæ?

II. Affectiones disjunctæ sunt principales vel minus principales; & istæ immediatæ vel mediatæ. Immediatæ quæ proximè & immediate; Mediatæ, quæ mediantibus unitis ex Essentia fluunt, eamq; denominant.

Principales & minus princip.

Principales affectiones vocant *Essentiales* sc. à *posteriori.* Reliquas *accidentales.* certum est dari attributa quædam universalissima & communissima: quæ de omni Ente quidem disjunctivè dici possint, omniaq; Entis genera transcendant,

at vero non ita intrinsecè Enti insint & è natura Entis resultent, quemadmodum alia, quæ πρώτως Enti attribuuntur. Ideo etiam *ista* à nonnullis dimittuntur *his solis* servatis: Inde nata ista divisio, v.c. *subjecti & adjuncti denominatio* non ita per se competere videtur, Enti, *ut causæ & causati &c.* Quod verò è præcipuis nonnulla *immediatè* Ens denominent, alia *mediatè*, σκέψις specialis edocebit.

Προβλήμα 6.

Modi oppositi differunt realiter.

I. Modi oppositi differunt realiter.

Certum est de *affectionum disjunctarum membris oppositis* quod in Ente unum sint: quia transcendentales affectiones à subjecto non differunt realiter: num vero in *oppositione s. mutuâ* χάσει *unum membrum differat ab altero realiter* non æquè certum videtur. Licet enim non adeo dubitandum de *affectionibus disjunctis præcipuis*, dubium tamen de nonnullis disjunctis *minus principalibus* oriri posset: quùm denominationes quædam à mentis dispositione dependeant. Exemplo est *absolutum & respectivum, subjectum & adjunctum &c.* Quicquid de eo sit id tamen

extra omnem controversiam: *quod dentur modi oppositi*, qui in Ente quidem unum quid sint realiter, attamen à se invicem distinguantur *realiter*: ut *caussa & caussatum* non differunt ab Ente realiter, licet à se invicem differant, caussa à caussato. Redarguuntur ex hoc principio tum *Keckermannus*, qui modalem saltem distinctionẽ posse intervenire inter oppositos modos existimat: tum *Photiniani*, cum pro oppositis habent: Essentiæ identitatem, & modorum personalium in eadem essentiâ realem diversitatem. Atqui nulla est contradictio: non distingui modos essentiæ ab essentia realiter: & distingui modos à se invicem realiter: istud n. est, quod modi identificentur essentiæ: hoc, quod sint oppositi, & mutuò incommunicabiles. Modos vero oppositos incommunicabiles in essentia communi licet eâdem numero dari non est absurdum.

Disjunctæ affectiones exhauriant Entis latitudinẽ.

II. Disjunctæ affectiones exhauriant Entis latitudinem.

Omnis enim *affectio* adæquata debet esse *subjecto* suo: ideoq; disjuncta affectio membris suis disjunctis necessariò exhaurit

haurit universam Entis latitudinẽ. Observandum vero non esse necessarium, ut *1. ad quemvis Entis statum applicentur*: Essentiam modificant, & denominant; non vero Entis statum quemcunq;. Ita *Enti in statu universalitatis nequeo tribuere denominationem causæ vel causati, &c.* Eadem fere est observatio *Dn. Gutkii*; quando vult *membra affectionum disjunctarum* non *nisi ad præsens objectum restringenda esse*: unde infert: *causam & causatum bene statui affectionem disjunctam*, licet Deus ab æterno neq; causa fuerit, neq; causatum, siquidem causa & causatum adæquentur Enti, quâ Enti, quâ primò exhibetur Ens, id est conceptus generalissimus à DEO & creaturis abstractus. Quanquam hac in re videatur potius distinguendũ esse inter *causam & actualem causalitatem s. potentiam ad causandum & actu causari.* *2. Cuivis Entis modo vendicentur*: cum affectio non sit modi rei sed rei ipsius: Ita frustrà colligis de modis, v. g. *Entis infiniti subsistentibus*: sunt vel *finiti vel infiniti*: Sunt enim realiter saltim unicum istud infinitum & formaliter non differunt ab eo ut aliud quoddam infinitum, vel distincta En-

tia infinita: sed ut modi subsistentes ejusdem Entis infiniti. Similiter colligerem: *Unitas, Veritas, Bonitas,* vel sunt finitum vel infinitum quid: pessimè: sunt n. *Entis,* quod præscindit à finito & infinito, *modi uniti, &c.*

SUBSECTIO II.

Specialiter proponens Affectiones disjunctas.

Tres ordines affect. disjunct.

CLassem affectionum disjunctarum in *tres* series vel ordines dispescam: juxta divisionem jamjam propositam, *prima* series proponet affectiones disjunctas *principales Immediatas. Secunda Mediatas. Tertia* affectiones *minus principales.* Sit ita:

SERIES PRIMA

Affectionum disjunctarum

in quâ sunt

Principales immediatæ.

Divisio affect. disj. princip. immediat.

HÆ sunt *duplices.* Quædam enim resultant immediatè ex natura Entis, quâ *absolutè* spectatur, uti *actu est & actus:* aliæ in quantum eadem *relatè* consideratur. *Illic* sunt modi tùm *actualitatis,* à quibus Ens denominatur. *1. Necessarium* vel *contingens. 2. independens* vel *dependens. 3. increatum* vel *creatum:* tùm *activitatis,* prout dicitur. *4. actus* vel *potentia. Hic* sunt denominationes. *5. principii & principiati, 6. causæ & causati.* Quum n. *Ens actuale* sit obje-

objectum Metaphys. patet quod essentia absolutè spectata duplici modo affecta sit: tùm ratione *esse* sui *actualis*, quod diversimodè habet: tùm ratione *operationis* in quantum operatur vel operationi subjicitur. *Istud actualitatem* rei exprimit, prout vel summè actualis est, vel secus sese habet: ideo necessariũ vel contigens dicitur: & quæ his cognatæ sunt denominationes. *Hoc activitatem*: Cujus ratione Ens dicitur actus vel potentia. Porro respectivè considerata essentia infert *relationem originis & emanationis*, inde principium & principiatum, causa & causatum. de quibus ordine.

CAPUT X.

De Necessario & contingente.

RAdix *Necessitatis est summa actualitas*; *contingentiæ* vero *potentialitas*. *Utraq.* in rebus datur: adeò ut quicquid est, vel summè actuale sit & necessarium. vel potentialitatis quid agnoscat & contingens sit. Explico vero hæc Necessarium *1. distinctivè. 2. definitivè. 3. divisivè* inde *contingens* facilè *quid & quotuplex* sit? innotescit.

I. Necessitas designat vel indigentiam s. calamitatem: vel violentiam s. coactionem: vel invariabilem convenientiam s. immutabilitatem: vel expedientiam s. utilitatem. *Necessitatis distinctio.*

Præmitto ante omnia, necessarium *quot*

modis dicatur. Mitto vero distinctionem necessarii in *complexum & incomplexum*: quorum *istud* est vel *connexionis*, in *propositionibus necessariis*, sive *formaliter*, ut in modalib⁹, sive *materialiter*, ut in *enunciatis essentialium constituentium* itemq; *affectionũ transcendentiũ*, nec non *propriorum accidentium*, quæ necessitatem habent ratione *convenientiæ*, licet nõ ratione *actualis existentiæ*, quõ spectat *triplex* necessitatis gradus κατὰ πάντος, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρώτου. Et *consecutionis*, ut in *argumentationibus*. Hoc vero in *rebus simplicibus* quæ necessitatem habent vel in ratione *essendi*, dum existunt necessariò vel in *afficiendo*, quæ subjectum afficiunt: vel in *operando*, quæ necessariò ad certam operationem determinantur: Constat enim, quod *prius* necessarii genus ad *Logicam* spectet & *posterius* hujus loci sit unicè.

Necessitas indigentia. Sumitur autẽ necessitas πολλαχῶς, 1. Notat *indigentiam* s. *calamitatem*, quæ talis est, ut in eâ sublevandâ *non sit cessandum*, unde *nomen* à *cessando* nonnulli deducũt. *Græci* vocant hanc necessitatem χρείαν.

Violentiæ. 2 significat *violentiam* & infert *coactionẽ*. Ita necessario ad patibulum abit, qui eo trahitur. Solet in hoc significatu opponi ne-

neceſſitas *violentiæ* neceſſitati *naturæ*: hujus cauſſa eſt *naturalis & intrinſeca*: ut *ignis neceſſariò urit*: *iſtius extrinſeca* vis contra naturalẽ propenſionẽ. Nam violentia infert *patientis contranitentiã*. Hac enim deſiderata violenti ratio expirat, ut *animæ ſeparatæ ſtatus*, licet ab externo ei competat, *haud* tamen dicitur *violentus* ob negatam contranitentiam animæ. Et *ſpeciatim violentia* dicitur *coactio* cum infert *diſplicentiam* ejus quod patitur. 3. Deſignat *immutabilitatem convenientiæ*, u bi neceſſarium ſignificat id, quod aliter ſe habere nequit Idq; vel ἐξαιρέτως quomodo *ſolus Deus* eſt Ens *neceſſariũ & ſimpliciter immutabile*: vel γενικῶς ut ſe etiam extendit ad res creatas neceſſitas immutabilitatis, ut *hoc loco* ſumitur. Ita *homo neceſſario rationalis dicitur neceßitate immutabilitatis*: ubi nulla coactio. 4. denotat *utilitatem* quæ dicitur neceſſitas *expedientiæ*: Ita *Logica neceſſaria eſt ad alias diſciplinas* addiſcendas conf. *Ariſt. 3. Met. c. 5.* Hujus loci quoq; eſt diſtinctio *neceſſarii* ratione *exiſtentiæ* & ratione *efficientiæ*. Ita *bona opera* dicuntur *neceſſaria ad ſalutem* ratione *exiſtendi*, non cauſandi, quà *præſentiam* non *efficientiam*: quia

Immutabilitat.

Utilitat.

fidem

fidem necessariò comitantur, quamvis salutem juxta cũ fide non promoveant.

Necessarii definitio.

II. Necessarium est, quod non potest aliter esse.

Ita Philos. 1. c. ἀναγκαῖον ἐστι τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν. Ideo necesse dicitur, quod *nec esse* quidem aliter potest. *Zabarell. 1. de Nat. Log. c. 2. necessarias*, inquit, res *voco eas, quæ ipsæ per se semper sunt, & nunquam fiunt, tum eas quæ fiunt quidem non tamen à voluntate nostra sed à natura per certas causas operante.* Dn. *Scheibler*[9] necessitatis *formale* constituit *immutabilitatẽ*. In contrarium urget *Dn. Scharffius* non *omne necessarium esse immutabile*, quia *contingens omne non sit statim mutabile!* ut *actiones Dei contingentes sunt, licet Deus non mutetur.* Sed jam anteid diluerat *Scheib.* explicando quam *mutabilitatem & imperfectionẽ* inferat contingentia, & quod utraq; sine incommodo dici queat de *operationibus Dei transeuntibus*; sc. essentia divina in se est immutabilis, licet actiones transeuntes sint mutabiles, i. e. possent si Deus vellet, non esse. Sed major difficultas videtur esse quà *actus Dei immanentes essentiales* (quas vocant Theologi)

An formale necess: sit immutabilit. an invariabilit.

logi) ceu sint *decreta divina*: nam inprimis certum est quod *decreta ἀνηκεστέως* considerata sint *libera* adeoq; *contingentia*: duriùs vero videtur ipsis tribui mutabilitas. Idcircò acquiescimus in explicatione *Aristotelis*: quod necessarium sit, *quod non potest aliter esse*, non urgentes præcisè sive *immutabilitatem* sive *invariabilitatem*.

III. Necessarium est vel absolutè necessarium: vel hypothetice. Istud tum simpliciter omnimodâ necessitate, ut solus Deus. vel secundum quid necessitate Physicâ, quæ æstimatur è cohæsione effecti & caussæ. Hoc necessarium est tum ob actum essendi s. existentiam, tum ob caussam quandam extrinsecam. *Necessarii divisio.*

Explico: Necessarium *absolutum* est in se invariabile quod *πεφύκως* Deo competit: quippe qui solus est summè necessarius & invariabilis naturâ, & uti *non potuit non esse* quia *primum Ens*, ita *non potest deficere*, quia *omnipotens*. Ita quoq; *actus* Dei *personales* summè necessarii sunt; nec aliter se habere possunt, cum non sint

sint ab *essentia divina realiter diversi*: nec non *actus Essentiales* vel *decreta ratione principii & ἁπλογικῶς* considerata: cum *nihil in Deo quod non sit ipse Deus.* δευτέρως invariabilem necessitatem obtinent in creaturis, quæ necessitate *Physicâ* cohærent cum suis causis immutabiliter. *Physicâ* inquam, necessitate, quæ confundi non debet cum simpliciter *absoluta*, siquidem *hæc* omnibus legibus exemta sit: *Ista* vero cedere possit atq; debeat agenti superiori, si quà velit, ideoq; limitata est, Ita *ignis necessariò urit Physicâ necessitate*: quæ tamen modum habet à voluntate summi agentis, ideoq; *aliquando non urebat in fornace Babylonica* sc. natura sibi relicta semper eodem modo agit, nec aliter agere potest. unde ista *Physica necessitas*, quò refer & *Necessitatem*, quæ est ratione *præscientiæ divinæ infallibilis*, seu ex *hypothesi actus existendi*: quia Deo omnia sunt præsentissima, ideoq; uti sunt, ita Deo cognita sunt, ut non possint non esse, quemadmodum Deus prævidet. *Ut* v. causæ variant ita quoq; diversa est necessitas: *Externa* seu ratione *efficientis*, quando Effectus indissolubili nexu cohæret cum efficiente, ut solis elevatio supra

Necessitas Physica nō est absoluta.

Necessitas ratione præscientiæ divinæ.

Necessitas quà causas Efficient.

pra Horizontem necessariò efficit diem. *Finem.*
Ratione *Finis* non datur necessitas nisi
saltim hypothetica. Ideoq; ea hic prętermittenda. *Interna* est partim respectu
materiæ, è qua resultat infallibiliter id, *Materiæ.*
quod necessarium dicitur, ita quantitas
materiæ ratione necessaria est corpori:
partim respectu *formæ*: unde duplex *ne-* *Formam.*
cessitas: *constitutionis* ſ. *definitionis* & *con-*
secutionis, vel synecdochicè *demonstra-*
tionis. juxta *illam* immutabiliter rei competit, quicquid ad definitionē vel constitutionem spectat. juxta *hanc* propria
formam insequentia, vel quæcunq; ad
essentiam à *posteriori* faciunt, necessaria
dicuntur. *Istam* majorem hâc esse qui- *Necessit.*
vis videt, qui naturæ momenta, *constitu-* *definit. &*
tionem & consecutionem, discernere novit. *demonstra-*
tion.
Necessitas *hypothetica* (quæ in sese omni- *Necess. hy-*
no admixtam habet *contingentiam* & sal- *pothetic.*
timi ita dicitur) ob aliquam conditio- *ab existen-*
nem mutabilem; quæ desumitur vel ab *tiâ.*
existentia ut vulgò omne quod est, eo
ipso dum est necesse est esse. Impossibile
enim est idem esse & non esse; ita si *Aristoteles disputat, quando disputat, non potest*
non disputare. Vel ab aliqua causa externa: *à causa ex-*
puta vel à *causa efficiente* non *naturali* *terna Effi-*
ciente.
(natu-

(naturalis enim Physicè absolutam infert necessitatem) sive *supernaturali*, cui omnia obediunt, sic *Deo jubente solē stare, sol stat necessariò* ex hypothesi voluntatis divinæ: sive *præternaturalis*, quæ est *coactionis*, quando contra voluntatē agere cogimur ab externa vi; aut *violētiæ* cum res naturales cōtra propēsionē nativā, ab extra impellūtur, ut quod patiuntur, ex hypothesi concursus istius patiantur necessariò, vel *simpliciter saltim consecutionis*, ita necesse est venire *scandala* ex suppositione conditionis humanæ, quia homines proclives sunt ad scelera. Vel *à fine.* Hinc iterum duplex hypothetica necessitas resultat, *una* è suppositione finis, *simpliciter*, s. *ratione sufficientiæ*, sic respiratio ad vitam est necessaria, scriptura S. ad religionem Christianam: *Altera* ratione *expedientiæ* non tàm ad esse quàm ad *bene esse*: sic homini necessarium est studere bonæ diætæ; ad Theologiā necessarii sunt habitus organici. Dicitur & *necessarium dispositivū* & *instrumentale*, & quidem vel *dispositione positivâ*, quomodo agricolæ necessarium est agrum bene disponere ad fruges: vel *dispositione privativa*, quæ fit per remo-

Fine.

motionem impedimentorum: ita necessarium est tollere zizania. Huic affinis est distinctio necessitatis *consequentis* & *consequentiæ*. Siquidè *ista* absoluta sit necessitas, *hæc* verò hypothetica, *istam* vocant alii *præcedentem & simplicem*, *Hanc sequentem & conditionalem*. Logici *consequens necessarium* dicunt conclusionem absolutè & in se spectatam vi nexus prædicati & subjecti perpetim necessariam: *Consequentiæ* necessitatem vocant, quâ è præmissis sive necessariæ sint sive contingentes infertur conclusio *necessariò*; quæ de se quidè contingens esse potest, & est sæpissimè, vi autem illationis syllogisticæ è positis præmissis nascitur necessariò. Hinc *Metaphysicis consequentis necessitas* est *absoluta immutabilitas rei*, sive independens, sive è causarum nexu immutabili dependens. *Necessitas consequentiæ* est condionata immutabilitas, qua positâ conditione res aliter se habere nequit. *Istâ* remota omni connexione, res in se præcisè spectata est necessaria: *hâc* non nisi per connexionem cum aliis necessaria dicitur. *Ista* tollit contingentiam & in necessariis tantùm locum habet. ut Deus necessariò est immorta- *Necessitas consequentis & consequentiæ.*

lis: homo rationalis, &c. *hæc* non tollit contingentiã cum sit in rebus ipsis contingentibus. ut necessario discit, qui vult doctus evadere. Hinc dicimus: *Quicquid Deus prævidit id est necessarium necessitate consequentiæ, non vero consequentis.* Sicut *enim necessarium est, quem ego scribentem video, ut is necessariò scribat*, licet scribat contingenter, cum possit scribere & non scribere. ita *quia Deus omnia videt in uno nunc & præsentialiter*, ut *Scotus* loquitur, *in Repert. super 1. dist. 39. & 40. quæ ipse ita videt necessitate consequentiæ eveniunt*, sed *tamen contingenter, quia & non erant, antequam fierent, & partim postea iterum futura non sunt.* ait *Dn. Arnisæus Epit. Met. p. 241.* prçscientia Dei non affert rebꝰ immutabilitatem à *priori* sed à *posteriori*, h. e., quando Deus videt rem esse necesse est eam esse, interim in natura sua & respectu causarum suarum aliter poterat esse, & tunc Deus aliter præsciviſſet. Non à scientia res, sed à rebus scientia dependet. *Quemadmodum visus rebus nullam infert necessitatem, licet dum videntur aliter se habere non possint, ita etiam Deus providentia sua omnia intuetur & conservat, ut creata sunt, verùm novam illis necessitatem*

Quod Deus prævidet necessariũ est ratione consequentiæ.

rem non confert, ait *Euseb. libr. 6. de præp.*

IV. Contingens est quod aliter esse potest.

Contingēs quid?

Contingens ita dicitur vel ratione inhærentiæ, & cui aliquid contingit inesse, quando rarò inest: vel ratione *caussæ originis & dependentiæ.* quod ita contingit, ut necessaria ejus caussa detur. Ita *contingens* ratione *caussæ est, piscatorem reperire tripodē aureū, contingens* ratione *subjecti* est, *Lunam pati Eclipsin,* licet *ratione caussæ* sit *necessarium.* Deinde contingentia datur in *Essendo* ejus, quod aliter se habere poterat: in *afficiendo*: quomodo *accidentia cōmunia* contingenter afficiunt subjectū: in *operando*: ita *actiones hominum* sunt *contingentes. Contingentia in genere* nihil aliud dicit, quàm δύναμιν ἀντιφάσεως potentiam contradictionis & ejus quod esse vel non esse potest. *Alii* contingentiam describunt, quod sit *talis caussæ cum effectu cohærentia, ut positâ caussâ effectum poni non sit necesse.* sed optimè è *natura necessarii* describitur *contingens.* ut enim *necessarium* est, quod *non potest aliter esse*: ita contingens *generaliter* est, *quod aliter esse potest.* Non autem eodem modo sese habe-

Ratione subjecti.

Causæ.

bent contingentia *ad esse & non esse*: sed quædam *æqualiter*, ἐπ' ἴσης, quæ tam esse possunt quàm non esse: ut actus liberi: quædam *inæqualiter*: sive ut magis sint quàm nō sint. Dicuntur contingentia ὅπ' τὸ πολύ: *ut hominem nasci bipedem*: sive ut *magis non sint quam sint*, dicuntur *raro contingentia*, s. quæ *per accidens fiunt*: ut *hominem uno pede nasci*. de quibus dicitur: *contingentium nulla est scientia*, qualia sunt *casualia & fortuita*.

Contingentia quotuplex?

V. Contingentia alia est externa ratione principii externi; quâ aliquid ab externo principio potest mutari. alia interna ratione principii interni; quod agere potest & non agere.

Sunt causæ, quæ ex sua natura non sunt determinatæ ad certum effectum producendum; aliæ quæ definito modo agunt, sed nonnunquam ab ordine præscripto ob externum impedimentū recedunt. *Inde* dicunt esse *intrinsecam*: *hinc extrinsecam* contingentiam & *istam* opponi necessitati *coactionis*, *hanc necessitati immutabilitatis*. Verum nō datur tantum *extrinseca contingentia in causis naturalibus*

ralibus & ad certum effectum atq; agendi modum determinatis. sed quoq; in liberis, utpote quarum actiones etiam impediri possent. Ita de *actionibus voluntatis* cōstat. quæ sunt in duplici differentia, *elicitæ & imperatæ*. *Istæ* impediri nequeūt: *hæ* v. omnino externis obstaculis possunt impediri. Distinguendum tamen inter actiones hasce: quædam à *sola voluntate* atq; ejus nutu & imperio perficiuntur. Quæ raro & difficulter impediuntur, ideo *Ethici hominem bonum dicunt* περιχώρητον: *Quædam externis adjumentis indigent*, antequam ad effectū perducantur: ut quæ *ab artibus proficiscuntur*, conf. *Dn. Jac. Martin. Exerc. Metaph. l. 1. exer. 5. th. 11.* Hinc ergo infero *contingentiam intrinsecam* non nisi in agentibus liberis reperiri; *extrinsecam* vero non solum ratione *agentium naturalium* sed & *voluntatis liberæ* definiri debere; imò potius *huic* quàm *istis* adscribi: siquidem non ita facilè naturales actiones impediantur, ut impediri solent voluntariæ. Quamvis enim homo pro arbitrii libertate possit vel actionem suspendere, vel agere, innumera tamen ipsi sæpissimè obstacula objici solent. Cæterum ut hoc

Extrinseca contingentia non solùm agentibus naturalibus tribuenda.

Libertas contrarietatis & cõtradictionis.

paucis addam *libertas* alia est *contrarietatis* seu quo ad *specificationem*, quâ facultatem habemus eligendi è pluribꝰ quod lubet, alia *contradictionis* seu quoad *exercitium* quum objecto certo proposito agere & non agere possumus E. G. *sit qui addiscere cupit artificium*; *habeatq3 libertatẽ eligendi quod libuerit* dicitur libertas *contrarietatis*: potest n. vel hoc vel illud eligere: ubi v. unicum proponitur artificium relinquitur saltim *libertas contradictionis* ut id addiscat vel non: De cujus distinctionis *usu in Theologiâ* consule alios. Solent quoq; distinguere inter libertatem *absolute perfectã* quæ ad bonũ tantum adstricta est, & *secundum quid perfectam*, quæ æqualiter ad bonum & ad malum sese habet. verum isthæc propriè non sunt hujus loci. Ad

Libertas absol. perfecta, & secundum quid?

Ποεήσματα.

Quicquid est necessarium est vel contingens.

I. Quicquid est necessarium vel contingens est.

Stoici omnem contingentiam è rebus sublatam voluere, ut refert *Cicero de divinat*: *Epicurei* ex adverso omnium rerum eventus fortuitos dixerunt. *utriq3* à veritate aberrarunt *Stoicos* refutat non modo

Stoic. & Epic. sentẽt.

modo *rerum naturalium & actionum nostrarum conditio.* Siquidem *istæ* potentiã contradictionis obtineant. ad esse & nõ esse; *hæ* à principio libero, voluntate proficiscantur: hinc ἐξουσίαι προαιρέσεις & αὐτεξούσιαι dicitur *Patribus Græcis; Latinis libertas & potestas arbitrii;* (quam sublatam qui cupiunt quid aliud agunt quam ut eadem opera omnem *deliberationem & consultationem,* omnem *virtutem* atque *vitium, præmiorum* item *promissiones pœnarum constitutiones* quantũ in se est, tollant; *fatalem* proinde *necessitatem* introducant, *Deumq; autorem peccati* faciant, quæ absurda omnia & blasphema;) verum convincit etiam eosdem *ipsa sensualis observatio:* cum videamus multa in rerum natura sic se habere ut aliter esse & non esse fieri & non fieri possint: evidentissimum sensuum testimonium hocce qui negat non tam argumentis redarguendus quam ad consilium *Scoti 1. sen. dist. 29. tam diu tormentis exponendus & cruciandus est donec concedat se posse nõ cruciari:* sed & ipsi Stoici rei evidentia convicti excepere, si *August. l. 5. de C.D cap. 10.* credimus à necessitate fati quam alias in rebus naturalibus adserebant *humanam*

Quomodo refutandi Stoici?

Præscientia Dei nõ tollit rerũ contingentiam.

voluntatem. Nec vero divina præscientia tollit rerum contingentiam; siquidẽ *ea non sit causa rei sive proximæ:* alioquin omnes res præscitæ forent necessariæ imo peccatum quoq; Deum autorem haberet; sive *remotæ.* non n. propterea quia præscit Deus aliquid, evenit, sed quia futurũ est, præscit. Quod exemplo *Astrolog. & Medic.* illustrari potest cum *iste* prævideat, tempestates, *hic* eventum morbi, neuter verò rebus prævisis necessitatem inducat. *Præscientiæ divinæ effectus est, non ut res ita fiat* sed *videre quod res ita fiat. Esse* autem *rei* est *à voluntate* atq; *potentia* Dei: non vero vult & producit omnia quæ fieri videt, nec quæ vult & producit omnia talia sunt ut cum suis causis nexum habeant absolutè necessarium. Præscit ergo ita ut *res sunt in seſe:* Adeoq; cum contingentes sint etiam à Deo tales prævidentur. *Epicureos* refellit *cum* pulcherrimus ordo rerum & effectuum naturalium nexus cum suis causis, tum omnium confessio qui monstrũ errorem naturæ appellare solent. Quin. diceretur aliquando aberrare si omnia ejus effecta *fortuita & Erronea?* Et cum sublata omni necessitate, nulla relinqua-

quatur scientia, Pyrrhonismus inducatur atq; Academica incertitudo postliminio revocetur, nullus hodiè facile est qui stet à partib⁹ Epicuri. Quare ratum, & firmum esto. *Quicquid* est vel *necessariũ vel contingens est*. Opponuntur n sibi isthæc immediate & contradistinguũtur integris essentiis ut loquitur *Scal. ex. 39.* ut non posse non esse, & posse non esse, quicquid sit de sententia *D.D. Conimbric.* qui *mediũ* quoddam conantur introducere inter *necessarium & contingens*; ejusmodi dicunt esse *actus Dei liberos* qui ex necessitate quidem constantiam accipiant ex contingentia vero possibilitatem aliter se habendi. 8. Physic. c. 2. q. 5. Art 1. col. m. 391. A. E *D. Thom. in 1. dist. 43. q. 2. Art. 1.* Cæterum actus Dei sunt vel *intervi* vel *externi*: & isti vel *personales* vel *essentiales* ut Theologi loquuntur. *Personales necessarii* sunt uti bene *Conimbric. ibid.* cum notant bifariam *aliquod agere ex necessitate naturæ: Uno modo: quia agens solo naturæ impetu citra omnem intellectus & voluntatis actum in rem fertur ut ignis cum calefacit*: altero: *quia etsi per intellectum & voluntatem agat non tamen ex delectu & libertate operetur* sed *ita ut actio-*

Nullũ datur mediũ inter necessarium & cõtingens.

Bifariam dicitur agere ex necessitate.

nem suspendere aut inhibere neutiquam valeat. Sicq; *Pater in divinis per actum intelligendi generat filium, Pater & filius per actum amandi spirant Spiritum S. Essentiales actus* appellitant actus intellectus & voluntatis divinæ qui in essentia terminantur, ceu sunt *decreta divina*, quæ sunt *libertatis* non *necessitatis*; ut & *actus externi* qui juxta ea quæ Deus decrevit peraguntur. in *utrisq;* libertas arguit *contingentiam.* Quæ n. sunt liberi arbitrii possunt non fieri. Idcirco licet constantiam quandam habeant neq; mutationem aliquam inferant, non tamen contingentium censu eximuntur. Siquidem ad *contingentiam præcise satis sit aliter* esse *posse.* Sane *contingentia extrinseca* non est tribuenda Dei actionib⁹ non tamen deneganda *intrinseca*: hæc n. ex parte *agentis* non *imperfectionem* arguit sed *perfectionem* quia libertas omnino est *perfectionis*, quanquam ex parte *actionum* quædam implicetur *imperfectio scil.* quod possint non esse vel *esse*, atqui non est absonum, *actionem Dei tantæ non esse perfectionis quantæ est ipse Deus.* Siquidem *hic* existat *necessitate immutabilitatis* ut non possit non esse, *istæ* vero possint etiam non esse. Deus n. est

Actiones Dei non sunt ut ipse Deus perfectæ.

ens

ens neceſſarium non v. ſimpliciter agens neceſſarium. ſed notandum *neceſſarium* in *agendo* duplex eſſe: *abſolutum* cujus actio impedimentū vel ſecundum quid vel ſimpliciter perpeti nequit; & *determinatum* quod uno eodemq; modo agit, nec aliter poteſt. *Illa* neceſſitas oritur ex *perfectione hæc* ex *determinatione cauſæ ad effectum* uno eodemq; modo producendum. *iſta* opponitur *contingentiæ extrinſecæ* & negat *coactionem hæc* vero *contingentiæ intrinſecæ* & negat *libertatem*. *Iſta* divinis actionibus tribui poteſt; ſed *hæc* planè aliena eſt à Deo: quum omnia à Deo liberè & contingenter contingentiâ ſc. intrinſecâ ſint creata, & etiamnum conſerventur. Sed & *iſta* neceſſitas non uno modo ſeſe habet. Aliter enim *Creationi* adſcribitur, aliter *conſervationi* rerum. Nam ſine externo obſtaculo, ſimul atq; voluit Deus immutabili neceſſitate extiterunt omnia; quia abſolutæ Dei voluntati nemo reſiſtere poteſt; in conſervatione verò quia Deus non abſolutâ, ſed ordinatâ operatur potentiâ, non ſimpliciter locum habet immutabilis neceſſitas, ſed qualis ordo eſt in cauſis ſecundis, qualis cum effectu cohærentia talis

quoq;

quoq; judicari debet necessitas & contingentia.

Ens absolutè necessarium nō est nisi unum.

II. Ens absolute necessarium non est nisi unum.

Necessariū incomplexum tantum unum est.

Necessarium aliud est *complexum* aliud *incomplexum: hoc* impræsentiarum intelligimus & quidem quod *absolute necessarium* est κατ' ἐξοχὴν seu quod per essentiam suam non potest non esse & simpliciter repugnat τῷ non esse. Tale quoddam ens dari, & quidem unicum saltim esse posse dicimus. *Datur* enim *ens* aliquod *primum*, quod non potest non semper fuisse & non potest tamen non esse, *Deus* scilicet ἁπλῶς *immutabilis*. Vide *Dn. Scheibl. l. 1. Met. c. 17. n. 41.* nec præter Deum quicquam ita absolute necessarium dari potest. Quicquid enim est præter Deum id poterat non fuisse & aliquando potest non esse cum nihil eorum sit absolute immutabile. Quæ hic objici possunt de *angelis & animabus rationalibus* de *corporibus cœlestibus* de *materia prima*, de *universalibus &c.* expedita videas apud *doctiss. Scheibl. l. 1. n. 47. ac seq.* Quod attinet *necessitatem complexam* quæ est propositionum. itidem existimo *eas* solum

Necessitas complexa

propo-

propositiones quæ *de Deo & attributis divinis* sunt esse primò *simpliciter immutabiliter independenter absolute necessarias*: quanquam simplicem absolutam *necessitatem secundariò* quoq; admittam de aliis *propositionibus*, tum *negativis* in quibus manifesta *terminorum* repugnantia vel *oppositio* tum *affirmativis* in quibus conspicitur identitas extremorum & maxima *cognatio* ut quum prædicatum vel repugnat subjecto ideoque de eodem necessario negatur vel non differt realiter à subjecto ideoq; de eo necessario affirmative enunciatur: ut fit perpetuo in *primo dicendi modo per se* & nunquam in *secundo, ubi* scil. *transcendentales affectiones de subjecto prædicantur* quippe quæ identificantur essentiæ. Cætera verò *quæ à subjecto realiter differunt* neutiquam gignunt absolute propositiones necessarias. *Dn. Philipp. in Dialect. facit duplicem* necessitatis *gradum, primus* inquit, hic est: *Necessaria necessitate absoluta seu simpliciter necessaria dicuntur quorum opposita sunt simpliciter impossibilia, Tales sunt propositiones de essentia & virtutibus Dei, Deus est; Deus est essentia intelligens, verax benefica justa, casta liberrima. Secundus gradus est,*

tantũ habet in divinis locũ.

Quænam propositiones sint necessariæ?

Duplex necessitatis gradq; juxtà Philippum.

Neces-

Necessaria sunt necessaria necessitate definitionum & demonstrationum, ubi si fingatur oppositum fit implicatio contradictionis ut si Trigonus non habet tres angulos non est trigonus, si virtus non est congruens quoddã cum regula mentis divinæ non est virtus. Rectissime discernuntur gradꝰ necessitatis. Certum n. est non dari necessitatẽ, quæ *planè similis sit independẽti Dei necessitati* adeoq; necessitas quæcũq; alia inferior est absolutissima Dei necessitate cui soli πρώτως convenit absoluta necessitas. Nam necessitas rerum qualiscunq; ea *sit* dependet à Deo ac proinde eo gradu non est absoluta quo necessitas eorum quæ Dei sunt, & simpliciter impossibile est *Deum* aliter esse quam est. *Creaturæ* vero quanquam necessario ita sunt uti Deus eas esse voluit adeo ut postquam à Deo conditæ sunt non possint non tales esse citra contradictionis implicationẽ, prædicata tamen eorũ essentialia non assequuntur eum necessitatis gradum, *qui divinis attributis competit:* nec dici potest *quod independens sit illius cohærentiæ necessitas*, sed omnino à Deo dependet quanquam vigore *bonitatis* & *sapientiæ* suæ eam *immutare* non *possit*: quum *Deus sibi ipsi contra-*

Probatur discrimen necessitatis.

tradicere non *poßit* : & erroris ſit atque malitiæ fingere contradictiones. *Definitionis* vero & *demonſtrationis* non omnino eadem eſt neceſsitas , licet non ſim neſcius quod nonnulli hæc Synonyma faciant hac de cauſa : quod *accidentia de ſubjecto demonſtrentur per propriam & ſimpliciter proximam cauſam ſive definitionem*, at accuratius diſcernuntur, & conſtituunt diverſos gradus neceſsitatis, nam ſine iis quæ ad definitionem ſpectant res ſimpliciter eſſe non poteſt: omnino autem eſſe poteſt ſine his quæ de ſe demonſtrantur ceu ſunt *affectiones propriæ* quæ *realiter diſtinguuntur à ſubjecto*. Harum ergo reſpectu dicitur major eſſe neceſsitas definitionis quam demonſtrationis. Non enim dubium eſt, *Deum poſſe formæ influere actum quo ſit forma & informet materiam etiamſi non influat eidem vim efficiendi qua in compoſito producat affectiones*. Et quæ eſſentialiter à ſe invicem differunt ea certe per Dei potentiam ſeparari ab invicem poſſunt adeoq; tanta iis nō intercedit cognatio & cohæſio quanta eſt eorum quæ ſe mutuo definiunt & conſtituunt, nec à ſe differunt realiter. major ergo his quam illis neceſsitas interce-

Definitionis & demonſtrationis non eſt eadem neceſsitas.

tercedit quod contra Calvin: observandum.

Necessitas physica non est absoluta.

III. Necesſitas Phyſica non eſt abſoluta.

Nam ut tota rerum natura dependet à prima cauſa ita & ordo effectuum & cauſarum naturalium phyſicè neceſſarius. *Deus non eſt alligatus cauſis ſecundis* ſed quando vult naturæ metas transgreditur & quæ ſupra naturam ſunt peragit. Quæcunq; ergo eſt cauſarum naturaliũ neceſsitas ea ſubdita eſt potentiæ divinæ; ab eâdem dependet & ad nutũ ejusdem paret; Eo jubente *Sol ſubſiſtit* Joſu. 10, 3. & *regreditur* Eſai. 8, 8. *ignis non urit* Dan. 3, 94. aer *inſtar columnæ, aqua inſtar muri conſiſtit* Exod. 14. v. 22. *Terra dehiſcit* Num. 16, 31. *ferrum in aquis ſupernatat* 2. Reg. 6, 6. adeoq; *cœlum, elementa* aliaq; *naturalia* omnia ejus ſubjiciuntur potenti imperio.

Neceßitas hypothetica non negat contingentiam.

IV. Neceſſitas Hypothetica non negat contingentiam.

Optime id declarat *Dn. Philip. in Dial. ubi neceſſaria neceſsitate conſequentiæ* ait ea eſſe; quæ *ſunt quidem re ipſa mutabilia ſed non mutantur vel quia ſic à Deo decreta ſunt,*

sunt, vel quia sequuntur ex causis quæ non mutantur, cum tamen mutari potuissent, vel quia cum fiant, contradictoriæ simul veræ esse non possunt: ut necessaria est resuscitatio mortuorum quia Deus edidit decretum. Necesse est puniri genus humanum magnis calamitatib⁹ quia causæ nō mutantur, id est quia multorum scelera irritant iram Dei. deniq; omnia cum sunt ideo tunc necessaria sunt quia contradictoria non possunt simul esse vera ut cum Plato sedet, contradictoria falsa est, Plato non sedet: Quibus verbis *triplex* constituitur *Hypothesis* è qua resultat *hypothetica necessitas*, primo *decreti & præscientiæ divinæ*; secundò, *causarum contingentium suppositio*, tertio *rei factæ existentia*; neutra ex his infert simplicem necessitatem, sed cum contingentia optimè consistit. de *præscientia divina* visum est ante. Et *contingentia ita eveniunt uti sunt à Deo præcognita. Causæ contingentes* ratione *existentiæ*, non *causalitatis*, si sint in actu positæ necessario producunt quidem effectum, sed qui in sese est *contingens*, ut ipsæ causæ. *Actus* deniq; *existentiæ* non facit ut res contingentes desinant tales esse & evadant necessariæ, nam in natura sua res contingentes manent (quæ-

Triplex hypothetica necessitas.

cunq; videlicet poterant aliter esse) licet uti determinantur ad tempus hoc, jam non possint non existere: Ideo de *hypothetica* saltim *necessitate* loquitur illud πολυθρύλητον: *Omne quod est quando est necesse est esse*, scilicet quoad *actum existentiæ* non ratione *dependentiæ* à causis *necessariæ*.

Contingẽtia non nisi ex proximis causis est æstimãda.

V. Contingentia non nisi ex proximis causis est æstimanda.

Causæ remotæ non dant per se necessitatem & contingentiam; eò quod possit aliquid esse contingens si maxime sit necessarius influx⁹ causæ remotę. Ita *contingens est hominem ridere, doctũ esse* licet *requiratur* concursus causæ primæ necessariò. Et *ratio* est manifesta. quicquid non influit proxime in esse, id non potest causa esse ut hoc sit tale vel non tale, ut aliter vel non aliter se habere possit: vel quodcunq; indeterminatum est ad producendum quodvis, id non potest hoc vel illud ad hanc naturam vel hanc existendi rationem, puta *contingens* ut sit vel *necessarium* determinare. Et: unde quid *proximè* suam naturam obtinet, inde habet, ut sit vel *immutabile* in suâ naturâ,

turâ, vel etiam *mutabile*. Rectè proin *Thomas*: *Licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter proximam causam contingentem. Illatio causæ superioris modificatur in causâ secundâ secundum modum ipsius causæ secundæ, adeò ut causa remota semper concurrat, cum necessariis necessariò, cum contingentibus contingenter. Sicut lumen uniformiter prodit ex sole, & tamen pro diversitate nubium abit in varios colores, ita unus semper est influxus, sed determinatur à causis recipientibus*, ut benè *Dn. Scharf. in transc. ph: p. 711. 712.* Nō ergò probari possunt, quæ habet Alsted: cum *Encyclop: Metaph. c. 41. R. 7. Radix necessitatis*, ait, & *contingentiæ in rebus creatis est voluntas primæ causæ.*

VI. Contingentia intrinseca non tollit omnem neeessitatem.

Contingentia intrinseca nō tollet omnem necessitatem.

Seu *libertas stare potest cum necessitate quâdam.* Tollit enim saltem necessitatem *coactionis*, non verò *hypotheseos*; Ita *bona opera* sunt *& necessaria & contingentia s. libera. Libera* quidem *ratione causæ liberæ, à quâ proveniunt adeoq; nō necessaria* necessitate *coactionis*: necessaria tamen ex *hypothesi*, non quidem *meriti* aut *prostean-*

dæ vel *conservandæ* salutis gratia, sed *ordinis, conscientiæ, & debiti.*

CAPUT II.

De Independente & dependente.

PRimò, quid *sit*? Et *quotuplex dependentia*? posteà quid *independens* sit? declaratur.

Dependentia quid?

1. Dependentia est modus denominans Ens, quod est alio posteriùs essentialiter à quo fluit.

Synonyma dependentis:

Termini isti *dependens, ab alio, per participationem, finitum, creatum, potentiale contingens* æquipollenter solent accipi: at *melius* distinguuntur, quum licet coincidant *materialiter* & sese mutuo explicent, diversos adhuc *formales* conceptus gignant. *Contingens*, quod aliter se habere potest. *Potentiale*: quod aliquid potentiæ admixtum habet, nec actus purus est: *Creatum*, quod è nihilo productum. *Finitum*, quod essentiæ limitibus definitum. De *isto cap. præcedenti*, de *hîs in seqq.*

Per participationem & ab alio.

Per participationem & ab *alio* opponitur ei quod est *per se* & à *seipso*. *Dupliciter* v. accipitur 1. *Spetialiter id* dicitur *ab alio per participationem* quod aliunde dependet effectivè. 2. *Generaliter*, quod per *essentiæ communicationem* ab alio est, sivè in-

interveniat *dependentia & efficientia* ſive non, quo ſenſu *Filius Dei negatur à ſe, quia non eſt ſine emanatione à Patre*; dicitur proinde *à Patre eſſe* per *participationē ejusdem divinæ eſſentiæ*: citrà tamen *effectionem*: ut *origo* indicetur, non verò *dependentia* inferatur. *Dependens* verò eſt, quod præ requirit aliud in ordine præſuppo- nendi. Duo ſunt dependentiæ requiſita *1. Præexigentia alterius præſuppoſiti*, ſivè *reſpectus & ordo poſterioris ad prius. Poſterioritas* a. iſta *naturæ* eſt & *eſſentiæ*; unde infertur, nullam dari *dependentiam in myſterio S.S. Trinitis*, adeoq; *Filiū à Patre, & S.S. à Patre & Filio non dependere*, ſi ἀκριβολογεῖν velimus. de quo pluribus in *diſput. noſtrà de dependent. Regiomonti Poruſſ. habitâ probl. ſingular. 2. Influentia præſuppoſiti ad eſſe dependentis*, ſeu *prioris in poſteri⁹*. In quantùm *influentia generaliter* notat communicationē vel concurſum ad eſſe alterius, ſine quo dependens eſſe nequit. prout τὸ *Eſſe* ſimul complectitur τὸ *fieri* & *conſervari* rerum. Ex his l. c diduximus *Relatum propriè non dependere á correlato contrà Combach.* & qui eum ſequuntur. Nolumus τὸ παχὺ θὲν πλάττειν.

Dependentiæ requiſita.

Dependentia quotuplex?

II. Dependentia est realis, vel intellectualis: Realis est, qua res in essendo dependet. Intellectualis, qua in cognoscendo. Ista iterũ est gemina; Effectiva & inhæsiva, sive causalis & subjectiva.

Ad hosce modos referri possunt, quæcunq; dependere *proprie* dicuntur. Scio quod alii *dependentiam* faciant *quadruplicem: Effectivam, Subjectivam, Objectivam & Fundamentalem* sive *relativam.* Sed quum *ultima* non sit proprie dependentia; reliquæ verò non incommodè revocentur ad prædicta membra, placuit διχοτομεῖν. *Fundamentalis dependentia* solet dici ea, *qua relationes pendent à proximo fundamento*, ut *paternitas à generatione*, sed quum omne dependens debeat distingui essentialiter ab eo, à quo pendet, relatio verò non distinguatur à fundamento realiter, constat, quod hæc *proprie* non possit dici dependentia. *Realis Effectiva dependentia* est, quâ *causatum prærequirit aliquid, à cujus influxu pendeat.* ita *creaturæ* pendent à Deo, & *effectus* quivis à causâ cumprimis *efficiente. Inhæsiva* est *habitudo accidentis ad suum subjectum*, sine

Fundamẽtalis Dependentia impropria est.

quâ

quà planè esse nequit. Itaq; omnia *accidentia* dependent à *substantiis*. *Intellectualis* aliis *objectiva* est, *juxtà quàm nostra cognitio dependet à rebus*, quomodo *omnes disciplinæ dependent ab objectis*, item *omnis notitia è principiis cognoscendi*; ut *articuli fidei dependent è divinâ in script. revelatione, naturalis nostra cognitio è rerum cognatione*: Ita quoq; dicuntur dependere *disciplinæ subalternatæ à subalternante*; *mensuratũ à mensurâ* per quam cognoscitur.

III. Independens est, quod non eget alio se essentialiter priori ad suum esse, à quo sit. *Quid independens?*

Ita *solus Deus est independens simpliciter & absolutè*. ab eo *res omnes* dependent, quà *Esse & cõservationẽ partim, partim* quà *causarũ secundarũ applicationem*, aut *directionem*, aut *determinationem*. Ipse verò Deus pendet à nullo; nulloq; planè eget ad suum esse. Cæterum *independens* dici quoq; potest *substantia*, sed *definitè*, scilicet *inhæsivè*, quia est independens à subjecto: Ita dicitur etiam *Angelus independens*, sed cum addito, à *corpore*.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

Quicqnid est dependens est, vel independens.

I. Quicquid est, dependens est vel independens.

Intelligendum de *Entibus ipsis*, non de *modis Entis*. Cum *affectiones* Entis sint, nō modorum Entis. *Independens* dari ostendit *causarum series* in quâ deprehendere licet, quod omnia obediant potentiæ superiori à quâ originē trahunt: hæc itaq; vel alii diviniori virtuti ortum adscribit suum, vel per sese esse obtinet: si illud: ea iterùm dependet; & sic aliquid adhuc superius requiret. & sic porrò in infinitum. Ut ergo hic progressus evitetur, subsistendum in aliquo, quod *à nullo factum sit*, à se & per se existat, αὐτῶντον, quod ipsum est *independens*.

Dependens est finitum, &c.

II. Quicquid dependens est, id est ab alio, Finitum, creatum, Ens per participationem, potentiale & contingens.

Hæc enim *materialiter* eadem esse facilè constat ex iis, quæ *th. 1. dicta*. Id verò accipi debet de *dependente πρώτως* ita dicto, quod à *reali* dependentiâ denominatur. Nam quum *realis dependentia* vel in-

inferat, vel certè præsupponat *efficientiã*, *hæc* verò non saltem arguat aliquid esse ab *alio* per *participationem* sed & *finitum*, *creatum*, *adeoq; potentiale & contingens*, manifestum est, quod hæc omnia eadè sit dependenti. Est ergò nomen dependentiæ in propriâ acceptione nomen *multiplicis imperfectionis*.

Dependentia est nomen imperfectionis.

III. Nihil est à se ipso.

Nihil à seipso.

A *se* esse dicitur *dupliciter*: *Negativè*, quod non est ab alio per influxum *positivum* aut *efficientiam*. Sic *Deus à seipso esse* dicitur. Et *Patres* ajunt; *Deum sui originem esse, suæq; causam substantiæ*. *Positivè*, quod seipsum *effectivè* producat: quod simpliciter impossibile, si enim produceret se è non esse ad esse; ageret antequam esset, quod ἀδύνατον.

A se esse dupliciter.

IV. Quicquid ab alio dependet in essendo, illud simul ab eo dependet in operando.

Dependens in esse dependet in operari.

Operatio enim sequitur *indolem Essentiæ*. Non ergò potest *independenter* operari res *ulla creata*, eò quod dependeat in essendo à creatore. Hinc stabilitur *concursus divini necessitas* ad omnem *actionẽ* causarum

Nulla creatura agit independenter.

sarum secundarum, adeò ut ne tantillum quidem possint *independenter à causâ primâ operari*, quanquam suoptè studio quædam possint *in agendo deficere*; non verò tollitur influxus causarum secundarum. Nam *rerum omnium à primâ causâ dependentia non excludit causarum principalem efficientiam*, secus atq; videtur sentire *Alstedius:* qui dubitat *generationē homini tribuere* tanquam *causæ principi*, hac de causa, quod omnis creatura dependeat à Deo ratione *essentiæ & conservationis in Encycl. Met. c.16. R.1.* quamvis sine dubio hæc respiciant *creationem animarum*, hypothesin Calvinisticam.

At peccat in agendo.

Alsted. negat hominē esse causam princip generation:

Dependens & id à quo pendet differunt numero.

V. Quicquid dependens est, oportet habere essentiam saltem numero diversam, ab eo, à quo dependet.

Ita *Suarius disput.12. Metaph. 2. n 5.6.* Intellige de eo, quod *porprie dependens* dicitur: id *quod alio indiget ad suum esse, quo essentialiter est posterius.* Ideoq; aliud sit dependens, aliud à quo dependet necessum est. Unde licet *Filius Dei* sit à *Patre ratione originis*, cum eandem habeat cum Patre essentiam, *dependens* dici nequit.

Filius Dei non dependet à Patre.

quit. Non enim persona una divisa est ab aliâ essentialiter, sed ita generatur Filius à Patre, ut tamen ab illo non aliud, sed ipsummet esse numero, quod est Patris, recipiat: Esse nimirum independens. Quamvis enim persona à personâ realiter distinguatur, tamen realis distinctio volvitur in unâ simplicissimâ essentiâ divinâ, quam vocare & dependentem & independentẽ implicat. Scio quod nonnulli distinguant inter *dependentiam hypostaticam & effectivam*. Sed hoc est, quod nego, *dependentiam hypostaticam* concedendam esse. Nam dependentia est propriè *essentiæ* non ὑποστάσεως: vel *modi subsistendi*. Quod n. communicatur, & quod dependens dicitur, *primo* & per *se*, id non est *Esse relativũ*, ut sic, sed *esse absolutum*. Unde ab *hoc* etiam non *ab illo* denominationem sortitur. Ita *generatio Christi hominis* non dicitur *divina*, licet personalitas ejus sit divina, sed *humana*, ob naturam verè humanam. At quomodo *dependens* dici potest *Essentiæ divinæ* absolutè *independens*? Prætereà *dependens* est *naturâ posterius eo*, à quo *pendet*. At verò Dei Filius non est ordine naturæ, vel essentialiter posterior patre:

li-

licet quoad originem sit à Patre. Filius & Pater sunt *relata*, & in divinis quidem *relationes subsistentes*; sunt ergo *simul naturâ*. Proin *origo* ista nullam infert *dependentiam*, vel *effectionem*, sed est *longè eminentioris sortis* nobis *inexplicabilis*. Conf. *disp. citat.*

CAPUT III.

De Creato & Increato.

Quid creatum?

I. Creatum est, quod è nihilo productum est.

Creatio.

Creatio juxta *Dn. Gutkium* est *productio rei de nihilo in effectum*. De *nihilo*: ubi tum excluditur omnis *concursus materiæ è quâ*, tum removetur omnis *processus successionis, via per quam & terminus*, qualè in aliis motibus est deprehendere. Ideoq; hoc ipso distinguitur & *à generatione*, quæ est *è præexistente materia*, & à cœteris *Physicis motib⁹*. qui *successionem* requirunt. In creatione nulla supponitur materia: adeoq; dicitur *Ex nihilo* non *designando causam materialem, sed ordinem saltim*, ut *Thomas* notat: nec vero *potentia objectiva* infert *reale* quid, alioquin *creatio* proprie non esset Entis *è nihilo ἀπλῶς* sumto & *negativo productio*: sed *traductio ab Esse rea-*

Distinguitur à generatione & motibus physicis.

reali objectivo ad *Esse reale actuale*. Nulla requiritur *successio*, ac proinde creatiõ non est *motus* aut cum *motu*. Motus est *actus imperfectus* cum *potentia* junctus ut semper sit in *fieri*, & fit per *successionem continuam*, dum procedit à *termino* ad *terminũ* estq; *divisibilis*, at *creatio* act⁹ est *perfectus* sine *successione* & *termino* à *quo* atq; *indivisibilis*. *Qualũ* v. sit *actio* creatio? non immeritò dubitatur. Certum est, quod non sit è censu actionum vulgariũ, quæ communiter fiunt in natura, sed *inusitata extraordinaria & planè singularis*. Nonnulli putant esse *actione* quandã *mediam* inter *immanentem & transeuntem*: quod scilicet sit *actio transiens* per *emanationem*, & *utramq;* imitetur, *immanentem* per *emanationem* ideò quod prodeat ab ipsa *immediatè* Essentia divina, non ab aliqua virtute media; *transeuntem* verò in eo, dum non recipitur in *agente* sed terminatur in *re creata*. Verũ nihil importatur incommodi, si maximè dicamus, creationẽ esse *actionẽ transeuntem*. non quidem *vulgarem*, sed *singularem*. *Actionis* enim *transeuntis*, non est ea ratio formaliter, ut *mediante virtute* quãdam accidentali proveniat ab agente, sed ut *adextrâ* transeat. Ita quoq; null⁹ dubito constituere *actionẽ*

Creatio nõ est motus.

Utrũ creatio sit actio immanens an transiens?

nes immanentes singulares in divinis. Cæterùm quod in *definitione* addit *Dn. Guth.* quod creatio sit productio rei è nihilo *in effectum* ut distinguatur *creatio à generatione Filii Dei*, necessarium non judico. Siquidem jam ea distinctio satis constet, quando creatio dicitur *è nihilo: generatio* ista ex *essentiâ divinâ*. Plura de *creatione*, & cognatis, *conservatione, cooperatione & concursu Dei* qui cupit, præter alios legat *disp. 7. Pneumatic. Rever. & Præclariss. Dn. D. Clotzii, Præcept. & Promot. honoratiss.*

Quid Increatum?

II. Increatum est, quod non est ab alio productum è nihilo.

Alii ita; *Ens increatũ est id, quod in se habet negationẽ omnis dependentiæ, ordinatum* v. ad hoc, ut ab ipso omnia *pendeant, quæ sunt extrà ipsum.* At licet *increatũ & independens materialiter* idem sint, *formaliter* tamen non coincidunt, sed distinguuntur diversis conceptib⁹. Nec includitur in *formali ratione Increati respectus dependentiæ aliorũ* quæ sunt extrà ipsum: quin potius ipsi planè est extrinsecus. Cum τὸ *Esse increati*, prius sit τῷ *Esse Creatoris*: & *illud absolutum, hoc relativum: illud simplicem* dicat *negationem; hoc respectum rationis* inferat.

Πορίσματα.

I. Omne quod est, creatum est, vel increatum.

Omne quod est, creatū est, vel increatum.

Tò creatum & increatum opponuntur sibi *contradictoriè*. Non ergò admittūt *mediū*. *Creationem possibilē* arguit ratio, è *divinâ* ut in *esse*, ita & in *operari independentiâ*, quâ à *concursu causæ materialis* independēs est, nec nō *infinita potentia*, quod omnia possit, quæ non involvunt repugnantiā. Et cum Deo non sit difficile, *omnia è non nihilo ad nihilum deducere*, suspendendo saltim suum influxum, quidni potuerit *omnia è nihilo ad non nihilū deducere*? Nam *non est minor virtus rem annihilandi quàm creandi*. *Creationē factā* præter ea quæ habet *Arist. l. 2. de gener. & corrupt. c. 10. t. 59. l. 12. Met. c. 8*, docet *impossibilitas processūs in infinitū*. Quū n. nō possint *generationes esse actu infinitæ*, sistendū tandem in aliquo. quod *non sit genitum*; sed è *nihilo productū*. *Increatum* agnoscit *ratio sana triplici* modo: 1. in *ratione virtualis continentiæ*; 2. *actualis efficientiæ*: 3. *finalis concupiscentiæ*; cum aliquid sit à quo omnia dependent tanquā à *causâ exemplari, efficiēte, finali. v. 1. Mart. Combach. &c.*

Creatio possibilis.

Creatio facta.

Increatum triplici viâ agnoscitur

II. Omne creatum est ab increa-

Omne cre-

to;

atum est ab increata.

to; increatũ v. à se sit necessũ est.

Prius sensu *positivo*; *posterius negativo* intelligitur. Quod creatũ sit ẽ nihilo productũ non à se, sed ab alio eoq; increato: omne n. creatum est finitũ, ideoq; finitæ potentiæ; ad creationẽ v. requiritur virtus infinita, quum virtus finita nequeat spatiũ infinitũ percurrere, quale est inter nõ Ens, & Ens, ubi nulla proportio, nulla analogia. Viciſſim, quod increatum à nullo sit creatum, ideoq; à se ipso sit, & per se existat.

Solus Deus est increatus.

III. Solus Deus est increatus, cætera omnia sunt creata.

Nam *increatũ* est ἀυλωτὸν. Hoc v. soli Deo cõpetit. Reliqua v. quæcunq; sunt; à Deo sunt *immediatè* per *creationẽ materialia* quidem & *corruptibilia* saltim quà *speciẽ*, quoad *numerũ* a. ſ. *individua* mediante *generatione* (δύναμις n. πλαστικὴ est à Deo in primævâ creatione, per benedictionẽ divinã, & actus ejusdẽ per rerum creatarum *conservationẽ*, quæ est *continuata* quædã *creatio* & *immediatum* tùm quà *virtutẽ*, tùm quà *suppositum* ad generationẽ concursum) at *immaterialia*, ut & *corpora cœlestia incorruptibilia* & quoad *speciem*, & *quoad numerum*. *Timpleri* errorẽ, quem cum *Hermogenianis* seu *Materiariis* communẽ habet, quando negat *mundũ esse conditũ ẽ nihilo*. cõfutatũ vide apud *Dn. Meisn. in phil. sobr.*

CAPUT XIII.

Disputatio XI. publica. Respond. Alexandro Hodikio Trentsch. Pannonio.

De Potentia & Actu.

Circa utriusq; considerationem occurrit primò Nominis *juxtà* distinctiones æquivoci, *Secundò* rei *juxta* definitiones & divsiones *exodatio.*

Potẽtiæ distinctio

I. Potentia dicitur vel positivè, prout est potentia agendi aut patiendi; vel Negativè; in quantum est saltim negatio impossibilitatis: cujusmodi potentia gemina est: Objectiva, qua aliquid à naturali agente produci potest: & Obediẽtialis, quà produci aliquid potest ab agente intellectuali.

Ens in potẽtia: & potentia.

Distincta sunt: *Esse in potentiâ, & virtute causæ: & potentia* seu ratio agendi, patiendive. *In potentia dicitur* esse quodcunq; verè nondum est, seu ut sit, non implicat contradictionem. Idcircò Ens in potentiâ hoc significatu opponitur verè Enti reali, quum illud saltim reale sit, quod actu est, quo de *in superioribus circa nominales Entis distinctiones.* Potentia verò

Potẽtia passiva

est attributum verè denominãs rem actu existentem, in quantum eadem quid, piam agere potest, vel pati. Et hæc est *propria* potentiæ acceptio: quum scilicet *positivè* sumitur. Alioquin solet ὁμωνύμως accipi *negativè*, prout est nõ aliquod reale in subjecto, seu intrinsecè afficiens, sed nuda tantum impossibilitatis negatio objecto tributa *per denominationem merè extrinsecam*, quum non tam sit in subjecto possibili quam in agente aliquid producere valido, adeoq; non meretur dici affectio Entis. Quid enim aliud est? quàm *respectus rei possibilis, ad agens suum*, à quo *produci potest, qui ratione tantum concipitur.* Nam si Ens nondum est, quomodo potest habere in se potentiam aliquam realem? Ea a. *potentia duplicem* accipit denominationem in ordine ad *principium* à quo actuatur. *Objectiva* dicitur, quum principium istud est agens *naturale.* Ita *tribuit potest omni generabili potentia objectiva, quod actu nondum est, generari autem possit, idq; per naturam.* Potest a. *Objectiva potentia tripliciter* accipi, 1. pro *non repugnãtia ad* produci quomodo *rosa generanda dicitur in potentia ad generandum.* Et hæc potentia datur ante omnes res generandas:

Negativè

Objectiva.

Triplex acceptio potẽt. Object.

das: quia quod est, potuit, antequam esset, sine implicatione contradictionis esse. 2. pro *respectu quodam superveniente* utriq; *potentiæ* tam *passivæ*, quam *activæ*, *per quam referantur ad objectum, quatenus est possibile existere*: quo sensu fortean accipienda est *Scoti sententia 2. Sent. dist. 12. & 16. q. 1. 3.* pro *potentia reali contradistincta à potentiis passivâ & activâ*. Et sic *merum* est *figmentum*: non enim est vel *productum* aliquid, vel *improductum*. Nam si *hoc*, esset Deus. *Si illud*, esset antequam esset. *Obedientialis* nominatur, quum principium est agens *intellectuale*. Est q; hoc vel DEUS vel *Angelus*, vel *homo*. Ratione *Dei* quodlibet potentiam habet, ad quodlibet, ac potest ex quovis fieri quodvis, dūmodò nō involvatur repugnatia. Ideò hæc *potētia* solet dici *nō repugnantiæ*. Ita *ex aqua potest fieri vinū*: *è petrâ educi potest aqua*. *è lapidibus produci filii Abrahæ*. Hoc modo dicūtur *venti & mare Christo obedire*. *Matt. 8. 27. & Luc. 17. 6. arbores obedire credentibus*. Quæ *obedientia* non est *positiva*, sed *negativa* seu *non repugnantiæ*, à qua ritè denominationem accipit *obedientialis* ista *potentia* secundum quam res est apta *obedire potentiæ superiori*. Notandum a. quod

Quomodo potent: Object: sit figmentum, & Obedientialis, ratione DEI

quod obedientialis potentia comparari possit vel *ad agens superius* cui obeditur: & tum habet *sese passivè*, vel ad actum ad quem habet respectum: & sic alia *est activa: ut quam asinus ad loquendum habet, propheta ad prædicendum futura: alia passiva*, ut *lapidis ad panem &c.* Minimè tamen referri debet *ad potentiã activam vel* passivam, cum saltim *æquivocè* sit potentia Ratione *Angelorum* tribuitur *potentia obedientialis rebus* quæ ab angelis fieri possunt: *ut corpora possunt obedire angelicæ Naturæ ut assumantur, variè figurentur, moveantur &c:* quæ itidè est merè potentialis obedientia. Ratione *hominũ* datur etiam quædam *potentia obedientialis tùm quà Objectum artificiale. in quo sit non repugnantia suscipiendi formam artificialem:* qualem habẽt *res naturales ratione artificum: ut ferrum ad gladium, argilla ad ollam. Tum quà Objectum Notionale*, in quo *sit non repugnantia recipiendi formam intentionalem*, quomodo *primæ notiones dicuntur habere potentiã ratione secundarum.* Ita *possunt rebus imponi Notiones Grammaticæ, Rhetoricæ Logicæ. Ita & quantitas dispositionẽ habet ad certam figuram*, quæ illi potentiæ affinis est. Ita in *Mathematicis* dicitur *linea esse*

Angelorum

Hominum quà objectũ artificiale

notionale

in

in potentia ad quadratum, non ut aliquid positivi notetur sed virtus quædã imaginaria, per quam linea nata est ita multiplicari. Ita *agit liber secundus Euclidis de potentia lineæ &c.* Ad *nominũ evolutionem* pertinet quoq; distinctio non omnino absimilis: in potentiam *Subjectivam, Objectivam & resistitivã*. *Subjectiva seu Physica* est in Subjecto receptivo formarum, quomodo *materia dicitur habere potentiã ad formam susc ipiendam*: eaq; potentia est *Universalis* & *indefinita* ut in *materia prima* ad formas quascunq;; vel *particularis* & *definita* ut quam ad formam certam *materia secunda* habet. *Prior* potentia æterna est nec unquam exhauritur, facitq; ut materia exuat formam nobilissimam, & induat vilissimam: quoniam indifferenter omnes formas appetit. *Posterior* verò subindè cum forma mutatur & tot habet varietates, quot in materiam introducuntur formæ. *Et hoc respectu potentia verum est attributum rei.* *Objectiva* verò *seu Logica* non item: quippe est saltim per non repugnantiam: & non in ipsis rebus ea attenditur, sed in connexione terminorum inter quos non datur repugnantia: ut *angelus est ubiq;*.

Potentia. *Subjectiva.* *Universal.* *Particul.* *Objectiva.*

Resistitiva. Formaliter. *Resistitiva* sumitur vel *formaliter* pro immediatâ repugnantiâ, quatenus impeditur subjectum ne alia forma vel actio in istud introducatur. Ut in *bruto est resistentia ad virtutes:* vel *radicaliter* pro diminutione alterius virtutis, idq; magis propriè, ut *calor ignis resistit aquæ frigidæ. Prior* non est potentia sed *impotentia: Posterior* reducitur ad *activam* potentiam.

Radicaliter.

Potentiæ definitio & divisio. II. Potentia est quæ aut recipit actũ aut largitur actum. Estq; activa, vel passiva. Hæc est *vis* patiendi ab alio; illa *vis* agendi in aliud, in quantum aliud.

Ita *definitur* & *dividitur* potentia *positivè* dicta, eaq; non *prædicamentalis*, quæ species quædam est qualitatis, sed *transcendentalis* quæ sola est verũ & reale Entis attributum. Non potest autem ea satis commode describi nisi sub *disjunctione* quod solemne est in affectionibꝰ ejusmodi, quæ ob generalitatem suam latissimè patent & difficillimè ad unum formalem conceptum revocantur. Describunt quidem *alii* potentiam, *quæ potest actuari.* Sed quum id applicari debet ad potentiam *quæ est ad non esse* valdè æquivocè

vocè explicandū venit. Idcirco lubet sub disjunctione *potentiam* describere, quæ ad agendum vel patiendum ἀναλόγως se habet: aut largitur actum aut recipit. *Illius* exemplum habemus in Deo; *hujus* in materię potētia: distinguitur ergò *potentia* in *activam* & *passivam* ē 5. Met. c. 12. *Tertia* non datur. *Activa potentia* definitur *Aristot. l. c. principium transmutationis in altero aut prout alterum est; passiva principiū transmutationis ab altero aut quatenus alterum est.* Sed quum non adeò commodè possit *transmutatio* attribui potentiis, quæ sunt ad actus immanentes: multo minus potentiæ divinæ, quæ creans & infundens. dona gratiæ sine transmutatione agit: simpliciter ab *actione* describo activam potentiam: quod sit *vis agendi in aliud, in quantum aliud.* Dicitur 1. *vis* seu *facultas agendi*, non quod sit accidens superveniens rei, sed vis radicalis, quæ est ipsum Ens, quod à potentiâ denominatur. *Nam potentia non distinguitur realiter ab essentiâ rei:* nec accidentibus tantum, sed maximè substantiis cōvenit; quia illa sunt principia, ut Quæ; accidentia sunt principia, ut Quibus. Ita cum dicitur ex potentia & actu fieri unum

Activa potentia.

num in Substantiâ, non potest id intelligi de *potentiâ Accidentali*, quia ex illâ & actu substantiali non fit substantia, nec unum per se. Ergò de *potentia substantiali*. Intellige verò per vim agendi id *quod primò & formaliter*, seu *immediatè est agendi principium*, non autem *efficienter*. Nam *efficienter* agit id, quod habet potentiam: *formaliter* verò ipsa potentia. 2. *In aliud*, quod accipiendum 1. *ample*, ut extendat sese etiam ad negativum: ita *potentia creandi agit in aliud, dum in non Ens agit.* 2. *reduplicativè, in quantum aliud*: reduplicatio a. isthæc non infert vel *extraneum suppositum* ab agente divisum, vel saltim *partem suppositi aliam*, & essentialiter diversam ab ea, cui tribuitur potentia: satis est: *si diversus agentis & patientis sit respectus*: ut *in actionibus immanentibus* contingit *v. c. velle, & à voluntate producitur, & in voluntate recipitur.* Ita quoq; *ignis seipsum movet. alius tamen ejus respectus est, ut movet, alius ut movetur.* Quare licet possit esse in re una potentia agens & patiens, tamen diversus est uniuscujusq; respectus: quia passionem recipit formaliter, actionem autem efficit eminenter vel virtualiter. E quo promptè

in-

intelligitur *quid sit passiva potentia.* Cæterum *activa* potentia vel est *summa*, vel *sub summa. Illa est infinita & solius Dei: hæc finita, & creaturarum. Potentia divina* est *absoluta* vel *ordinata. Absoluta* ad omnia possibilia sese extendit: *ordinata* verò includit simul Dei voluntatem. *Illa* ergò definitur, quâ Deus potest omnia, quæ non involvunt contradictionem. Non verò quod Deus omnia potest quæ *vult*, quanquam n. Deus omnia possit, quæ vult, potest tamen etiã ea quæ non vult. Nam *voluntas* Dei, ut refertur ad ea, quæ sunt extra eum, semper infert esse verum ac reale, *potentia* verò saltim possibile. Ejus *Objectum* est omne *possibile.* Potest autem *dupliciter* intelligi *possibile*, juxta D. *Thomam 1. part. Summ q. 25 a. 3. è 5. Met. 1. respectivè, per ordinem ad aliquam potentiam: quomodo si dicatur quod Deus sit omnipotens, quia potest omnia, quæ sunt possibilia suæ potentiæ, erit circulus in manifestatione potentiæ hoc n. non erit aliud, quam dicere quòd Deus sit omnipotens, quia potest omnia, quæ potest. 2. absolutè de ea quæ non habet in se repugnantiam ut esse possit: quam ex habitudine terminorum æstimandã censet: quum prædicatum non repugnat Subje-*

Potentia summa.

Absoluta.

Quid sit possibile? Dupliciter dicitur.

cto. Probat a. hanc *absolutam Dei potentiam* ita: *Esse divinum super quod ratio divinæ potentiæ fundatur est esse infinitū, non limitatum ad aliquod genus, sed præsentans in se totum esse perfectionum, unde quicquid potest habere rationem Entis continetur sub possibilibus absolutis respectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi Entis, nisi non Ens, hoc igitur repugnat rationi possibilis absoluti quod subditur divinæ omnipotentiæ, quod implicat in se esse & non esse simul: hoc n. omnipotentiæ non subditur, non propter defectum divinæ potentiæ, sed quia non potest habere rationem factibilis neq; possibilis.* Unde infert *convenienti'* *dicitur quod ea non possint fieri, quam quod Deus ea non possit facere.* Ordinata verò Dei potentia est, quâ *Deus jam se creaturæ obligavit & non aliter agere vult, quam creaturas disposuit. Multa* itaq; potest absolutâ potentia facere, quæ ordinatâ potentia fieri non possunt. Finitæ potentiæ divisionem proponit Philosoph' 9. Met. t. 31. cum dicit: δυνάμεων αἱ μὲν εἰσιν ἄλογοι αἱ δὲ μετὰ λόγου: *aliæ sunt rationales aliæ irrationales. Rationalis dicitur etiam voluntaria & libera, est q; ad utramq; contradictionis partem indeterminata,* ut in *Angelis* & homi-

Ordinata potentia.

Finitæ potentiæ. Rationales.

hominibus libertate agendi præditis. Tribuitur a. denominatio potentiæ *rationalis formaliter & radicaliter intellectui* ac voluntati, quæ *facultates* sunt *rationales per essentiã; consequenter & per concomitantiam & participationem facultati* motivæ, *sensitivæ & appetitivæ* in *homine*: *Irrationalis* potentia quæ & *naturalis* dicitur est, *quæ determinata ad unum agendi modum est in rebus ratione carentibus.* *Irrationalis.*

III. Actus variè distinguitur. 1. in signatum & Exercitum. 2. Actum primum & secundum. 3. Entitativum & Formalem. 4. Actum Essentiæ & Subsistentiæ. *Actus distinctio.*

1. *Signatus* dicitur; *quo res in universali repræsentatur. Exercitus secundum quem res in singularibus multiplicatur.* Ita dicimus aliquid considerari vel *in actu signato s. Universaliter*, cum *definitur & dividitur*: vel in *actu Exercito* seu *singulariter* prout ἐν ἀπείρῳ existit V. C. *Contingentium non datur scientia in actu exercito; datut tamen in signato, quum in Metaphysicis definitur, dividitur.* 2. *Actus primus* est *forma rei vel potentia*, sive *substantialis* quomodo *anima est actus primus corporis*, sive *acci-* *Actus signatus.* *Exercitus.* *Primus.*

accidentalis, ut habitus scientiæ intelligentiæ &c. sunt actus primi. *Actus secundus* est *operatio proveniens à forma rei*, vel *potentia ejusdem*, ut *ratiocinatio* dicitur *animæ rationalis actus secundus*, *risus risibilitatis &c.* Potest verò uterq; actus etiam potentiæ passivæ & actui ei respondenti tribui, quomodo actus primus est posse calefieri; actus secundus calefieri. Proinde distinctiones synonymicæ sunt *potentia & actus*, itemq; *actus primus & secundus*.

Secundus.

Quid Arist. per actum prim. & secund. intelligat?

Quanquam *Aristoteles 2. de Anima text. 5.* aliter usurparit distinctionem; & per *actum primum formam operantem*, per *actum secundum formam non operantem* intellexerit. *3. Actus Entitativus* est quo *res extra nihilum ponitur* ideoq; competit omni Enti; & est *ipsa rei Entitas*. Quare nulli potentiæ opponi potest, quæ etiam causa est quod inter *distinctiones nominis* referatur. Nam & omnis potentia posita est extra nihil. *Formalis* actus est, qui rem corpoream actuat; Uti *quævis forma*. Ita dicunt *Materiam primam obtinere actum Entitativum sed non formalem. 4. Actus Essentiæ* est, *quo aliquid constituitur in esse suo actuali, seu est ipsa Existentia. Actus subsistentiæ* est, *secundum quem res subsistit. Prior*

Actus Entitativus.

Formalis.

Actus Essentiæ.

rebus

rebus omnibus communis; Posterior Substantius proprius est.

IV. Actus est quo Ens denominatur complere potentiam. Estq; purus, qui nihil potentiæ passivæ admixtum habet; vel impurus, qui aliquid potentialitatis involvit. *Actus definitio & divisio.*

Actus ab *Aristotele 9. Met: t. 31.* non describitur aliter nisi *quod sit rem existere non ita, quemadmodum dicimus potestate.* Debet ergo cognosci ex oppositâ *potentiâ* quod scil: *denominet Ens ceu complementum potentiæ.* Et porrò *quotuplex* erat *potentia, tot actus* erunt. *Potentiæ non repugnantiæ* correspondet *actus essentiæ. Potentiæ passivæ* respondet ipsa *forma* tanquã ultimus terminus: *Activæ* deniq; *operatio.* Est autem *actus primus* vel *Entitativus* duplex *purissimus*, qui expers est omnis potentiæ passivæ, ideoq; perfectissimus, qualis in solo DEO. Quanquam *secundum quid* etiam *Angeli* & *animæ rationales* dicantur *actus puri* ob *immaterialitatem.* *Actus purus.*

Mixtus & *impurus*, qui confusam habet quandam potentiam propter adhærentem *Mixtus.*

tem quandam materiam qualis reperitur in formis ad materiam propendentibus.

Πορίσματα.

Objectiva potētia nulla est.

I. Objectiva potentia nulla est.

Loquor de *Objectivâ potentia* in *genere*, prout simul *obedientialem includit*, & nihil aliud est, quam *negatio impoßibilitatis*. Eam itaq; dico *nullam*: Non quod ejusmodi non repugnantiam ante res producendas dari simpliciter negem: sed quod negem eandem esse aliquid reale & positivum. Mera enim negatio, quomodo potest esse res positiva! Plura in hanc sententiam Vide *tractatu* 1. *cap.* 5. *p.* 172. *seqq.*

Quodlibet potest fieri è quolibet.

II. Quodlibet potest fieri è quolibet.

Non quidem *potentiâ Physicâ & Positivâ*; sed mere *Logica & Negativa*. Idq; ab *agente Virtutis infinitæ*. Nam potentiæ activæ infinitæ correspondere debet passiva potentia; Vel certè non repugnantia. Hic ergo sensus est, quod *primum & independens principiū, è quovis poßit producere quodvis*; sed *quousq; non implicatur contradictio*.

Id

Id quod exemplis benè multis evidentissimum reddit *sacra pagina.*

III. Potentia activa non infert necessario mutationem in agente, sed in subjecto. *Potent: activa nō infert mutationem in agente*

Scilicet, nec in *exercitio*, s. quando se exerit in actum, nec in *supposito*, s. quatenus emanat è naturâ rei, & ad intra consideratur. Nam & subjecto competere potest, absq; ejusdem sive mutatione, sive melioratione, & in actum deduci, citra motum & transmutationem etiam si ad extra transeat: Ita *potentia in DEO est ipse DEUS, & actus ejusdem extra DEUM in DEO nihil mutat, sed in Objecto.* Proinde novo actu ipse nunquam redditur mutabilis; secus sese res habet in actibus creaturarum. Conf. *cap. 2. de Perfect: Poris: 2. p: 2 56.*

IV. Quæcunq; non involvūt contradictionem fieri possunt. *Quæcunq; non involvunt contradictionem.*

Puta à *principio infinito, per absolutam* fieri possunt ejus *potentiam.* Quod enim ex intrinseca sua ratione potest esse, id etiam DEI potentia esse potest, & sic est Objectum ejusdem, alias enim defectus esset, non in re

re producibili sed in producēte, sive potentiâ agente quæ illud producere nō possit. Infinita a. potentia nullus est defectus. Atqui omne quod non involvit repugnātiā ad esse id intrinseca sui ratione esse potest E. illud omne per DEI potētiam fieri potest. Hinc ergo datur intelligi. *Virtutem infinitam posse ea facere quæ supra Naturam, sivè quo ad fieri & esse simul & ea, quæ sive quoad fieri & modum producendi tantū.* Unde Plato: *quæ sunt impossibilia naturæ ea sunt possibila DEO.* Quod si perpenderēt nonnulli, non tam frequenter DEI potentiam in dubium vocarent, & fidei mysteria impugnatum irent. Benè *Aretius part-1. probl. 2. Quæ est illa petulantia divina mysteria communibus naturæ legibus obnoxia facere quæ cum sint omni ratione humana inexplicabilia, adoranda potius quam ventilanda.* Et *Goclen. in advers. p. 48. anathemia neganti DEUM natura superiu principium, & ponenti terminum & limitem omnipotentiæ DEI in regulis Physicis, addo etiam Legicis.*

Virtus infinita potest supra Naturam, sive quo ad fieri & esse simul & ea, quæ sive quoad fieri & modum producendi tantū. sunt supra naturam.

Impossibilia posse est non posse.

V. Impossibilia posse est non posse.

Nam *impossibila* sunt quæ *simpliciter à nulla potentiâ fieri possunt propter intrinsecam*

Quænam impossibilia?

secam repugnantiam adesse. Posse ergo impossibilia nulli planè competit potentiæ, quia est manifesta contradictio. Proinde est summæ impotentiæ. Huc facit quod habet *Augustinus contra Faustum: Quisquis ita dicit: Si* DEus *omnipotens est, faciat ut quæ facta sunt facta non fuerint, non videt hoc se dicere; Si* DEUS *omnipotens est faciat, ut ea quæ vera sunt eo ipso quo vera sunt falsa sint.* At cavendum ne judicetur statim impossibile, quod noster intellectus apprehendere nequit, qui planè est improportionatus ad infinitam omnipotentiam adæquatè cognoscendam. Et intellectus noster non est mensura mensurans impossibile, sed potius mensuratur ab illo. Non enim quia intellectus cognoscit impossibile, ideo tale est, sed quia aliàs impossibile esse præsupponitur ab eo etiam ita cognoscitur. *Non objectum ab intellectu nostro, sed intellectus ab Objecto dependet.* Notanter *Polanus l. 2. Syntag. Theol. c. 29. p. 187. Divina potentia non est coarctãda ad angustias nostri intellectus. Multa potest* DEUS *facere, quæ hominis ratio nequit comprehendere, cujusmodi est incarnatio & λόγε & alia fidei mysteria.*

Intellectus noster non est mensura impossibilis.

VI. Passiva potentia est quædam impotentia.

Passiva potentia est quædã impotentia.

Nam per eam res pati potest ab alio. Non ergo omnipotens est, sed manifestè impotens. Quod contra *Plinium* notandum, qui *lib. 2. Natur: hist: c. 2.* impiè *negat DEUM omnia posse, quia in* DEUM *non cadat passiva potentia puta moriendi, vel mentiendi &c.* Contrà quicquid immune est ab omni passiva potentia, id est actus purus, & nihil nisi activa potentia. Proinde simpliciter omnipotens.

Actus sequitur rationem formæ.

VII. Actus sequitur rationem formæ.

Vel *quantum habet quidvis Essentiæ, tantũ habet & potentiæ.* Et *Operationes sequuntur conditionem Essentiæ :* Nam unicuiq; Essentiæ respondet suum Objectũ proprium, ratione illius actus in quo fundatur potentia activa, sicut *potentia urendi refertur ad proprium Objectum, nempè τὸ ustibile.* Uti ergò *Deus in Essentiâ perfectissimus, ita & in potentia.* Et *Finiti actus finitas saltim habent operationes.* Nam divinæ potentiæ ratio fundatur super esse divino quod possidet omnem perfectionẽ. Finita potentia super esse finito quod habet admixtam quandam imperfectionem. Ita *omni creaturæ impossibile est terram*

ram movere; Utut *Archimedes* demonstrationis robore fretus coram *Hierone* dixerit Δὸς ἐμοὶ πᾶ στῶ καὶ κινήσω τὴν γῆν. DEO verò id perquam facilè.

VIII. Actus primus antecedit secundum.

Actus primus antecedit secundum.

Nam est velut principium secundi, & habet se ad eum ceu potentia ad actum. Atqui omnis potentia prior est actu. Hinc consectaria. *1. Posito actu primo non infertur continuo secundus.* Potest enim impedire potentia, ne se exerat in actum, idq; vel ratione *Objecti*, vel ratione *superioris principii*. Ita *tollebatur actus secundus gravitatis à ferro, quando ferrum natabat. Actus ustionis ab igne, quando ignis in fornace Babylonica non urebat*: sive quod Objectum munitum erat adversus ignis vim. sive quod inhibebatur actus urendi per subtractionem concursus primi agentis, &c. *2. Negato actu secundo non semper est negandus actus primus.* Primus enim se habet ut forma, secundus ut operatio. Potest a. esse forma licet non operetur, si modo sit principium operationis possibilis. Ita *non auferebatur à Sole actus primus motus, etiam cum actu secundo non mo-*

Posito actu primo non infertur secundus.

Negato actu secundo nō semper est negādus primus.

veretur. Petri *ambulatio super aquas non erat argumentum negatæ propensionis nativæ ad locum.* Imperitè ergo colligunt, qui colligunt, *Corpus Christi in Sacra Cœna neq; palpatur neq; videtur. E. ne est quidem in Sacra Cœna. A Negatione actus secundi ad negationem actus primi.* Quanquam adhuc alius hic committatur paralogismus. Concluditur enim à *negatâ extrinseca quâdam denominatione, ad negandam ipsam rei præsentiam,* sed de hoc *alibi.* 3. Posito actu secundo necessario præsupponitur actus primus. Nam omnis actus præsupponit potentiam. Hinc rectissimè: *Ab actibus omnipotentiæ humanæ naturæ Christi sæpenumero in sacris attributis* infero *humanæ Naturæ non posse denegari omnipotentiã,* adeoq; ἐ κ τοῦ colligo κατὰ πᾶσιν. 4. *Negato actu primo non potest non negari secundus.* Ita *denegata humanitati Christi omniscientia* non potest eidem competere *scrutatio cordis & rerum.* Proinde nec *judicium universale.* Item *negato actu primo Deitatis ac divinæ omnipotentiæ invictè* colligitur negari, quod *homo actu secundo Deus sit vel omnipotens, &c.*

Posito actu secundo necessariò præsupponitur actus primus.

Actus primus unius

IX. Actus primus unius rei, alteri

teri non est simpliciter incommunicabilis.

rei non est simpliciter incommunicabilis alteri.

Ita statuo contrà *Alstedium* qui in *Metaph. Encyclop. cap. 15. part. 1. n. 8.* hunc fabricavit canonem. *Actus primus nunquam est alterius rei, sed intimus suo subjecto.* Quo fine? non opus est divinatione. Ipse enim mox inde colligit, humanæ igitur Christi naturæ, neq; primus neq; secundus actus est natura divina. sc. ita solent homines isti, præconceptū errorem fundamenti instar ponere, super quo exstruant principia & quum hæc exstructa fuerint, illa ipsa ceu immota venditare ad istos statuminandos h e. studiosè circulum committere & principium petere Sophisticè. Vide sis in hocce *Pseudotheoremate 1. Vanam oppositionem.* Nam opponuntur sibi τὸ *Esse alterius rei*, & τὸ *Esse intimum suo subjecto.* ἀπαιδεύτως. cum non desinat statim intimum suo subjecto esse, eidemq; competere ἀσιωδῶς καὶ καθ' ὑπαρξιν quod communicatur alteri sibi unito συνδυασικῶς καθ' ἕνωσιν ut *Vita animæ non desinit esse intima animæ*, quando corpori communicatur. Alia enim est communicatio κατὰ μετέχεσιν alia κατὰ συνδύασιν. 2. *Nullam probationem.* Falsa

enim hypothesis quod *forma & proprietates* sint incommunicabiles pro fundamento substernitur, sed id plane ruinosum est. Nam *formam seſe communicare materiæ* qui negat, universam subvertit Physicam. De *proprietatum* communicatione in propria sede agam. 3. *Nestorianam applicationem. Essentia divina & omnipotentia nullius rei creatæ actus fieri potest vel primus vel secundus.* Hoc simpliciter si intelligatur planè *Nestorianum* est & *falsissimum.* Argumentor ita: *Nullus actus primus est rei à se diversæ intimus. Quidam actus primus est rei à se diversæ intimus.* E. *Quidem actus primus non est actus primus.* Conclusio est absurdissima & cõtradictoria. E. vel *major*, vel *minor.* Non *minor*, quod probo: *Subsistentia* ξ λόγϖ *est actus primus. Subsistentia* ξ λόγϖ *est intima humanitati Christi à* λόγϖ *diversæ licet non sejunctæ.* E. Quidam *actus primus est rei à se diversæ intimus.* Utrum hic negabitur? An quod subsistentia ξ λόγϖ sit actus primus? atqui nihil eo certiùs, quam *subsistentiam esse actum rei subsistentis.* Non a. est *actus secundus*, cum non sit operatio. E. erit *primus.* Adde quod λόγϖ *subsistentia* non differat ab ejus *Essentia.* An verò, quod

quod subsistentia τ̃ λόγ῾υ sit intima humanitati Christi; sed id facilè est probatu. Quâ *subsistentiâ quid subsistit ea ipsi est intima. Actus enim subsistentiæ non potest non esse intimus subsistenti.* sive per *Essentiam* sive per *Unionis gratiam.* At *humana Christi* natura *subsistit subsistentia* τ̃ λόγ῾υ. Nega *Alstedi* & dicam, te in castra *Nestorii* transire. E. *hæc illi intima.* Quum itaq; *minor* vera sit, relinquitur *majorem esse absurdissimam.* Castigo ergo *Alstedii* effatum, quod *Essentia divina nullius rei creatæ actus primus fieri possit*, distinguendo inter *Essentialem μέτεξιν* & *Personalem συνδύασιν.* Nam uti certum, *Essentiâ creatam nunquam evadere Essentiam divinam*, adeoq; eidem nunquam competere *Essentiali participatione* actum primũ ipsius DEI. Ita falsissimum *Essentiam divinam* ne quidem *personali κοινωνίᾳ fieri actum primum rei creatæ.* Cur enim non posset divina Essentia sese *participativè* communicare rei creatæ, cum eidem subsistentiam suam communicare potuerit. Nam quid aliud est *subsistentia* nisi *ipsa Essentia charactere hypostatico determinata?*

X. Actus primos in uno Ente plures dari non repugnat. *Actus primos in uno Ente plures dari nõ repugnat.*

Actus *primus* est vel *Substantialis*, vel *accidentalis*. De *accidentalibus* nullum est dubium, quin diversissimi dari possint in uno eodemq; Ente: cum eidem Subjecto diversissimæ attribuantur facultates. Hæ enim nihil aliud sunt, quam ἐνεργημάτων suorum principia, adeoq; actus primi. Cæterum major difficultas esse videtur de *actibus primis Substantialibus*. *Distinguendum* autem inter actus distinctos *distinctione reali*, & qui *differunt saltim ratione*. De *his* expedita est responsio: quod etiam *in Ente simplicissimo* liceat *diversos actus concipere Substantiales*. v.c. *actũ Essentiæ & Subsistentiæ*. De *illis* v. *diversæ sunt* sententiæ. *Zvvingliani* negant *plures re distinctos actus primos in uno Ente dari posse*: ut elidant distinctionem inter *actũ naturalem & personalem in articulo de Christo*. Ita *Sadaël vol. oper. Th. p. 179. Quod nonnulli dicunt duplicem esse actum primum corporis Christi: unum naturalem alterum personalem nisi commoda interpretatio adhibeatur stare non potest. Quia unius ejusdemq; rei esse duos actus primos simul, & quod gravius est, inter se oppositos ne fando quidem auditũ est.* Nos *primò distinguimus* inter *Unitatem Essentialem & Personalem*. Nam uti *unitas Essen-*

Sadaël cõvellit actus Naturalis & Personalis dist.

Essentialis salvari potest in *pluribus suppositis*: ita vice versa non pugnat *unitas personalis* cum *pluralitate essentiarum seu naturarum. Istud ex art. de Deo Triuno; hoc ex Articulo de Christo Biuno* utrinq; certũ est. De *personali* unitate nulli ambigimus, posse cum eadem consistere diversitatẽ actuum primorum substantialium: imò dicimus: *Si persona sit σύνθετος & è diversis naturis constet, non posse non esse in eadem plures actus primos substantiales realiter distinctos.* Quælibet enim natura est actus primus proprietatum & operationum. Proinde in Θεανθρώπῳ uti duæ sunt naturæ; ita necessario concedendi sunt duo actus primi. idq; est extra omnem controversiam. Verum quæstio est de *Essentiali unitate; Num uni naturæ possint competere & adscribi plures actº primi substantiales!* Heic iterum distinctione opus est. Diversimodus n. naturæ status esse potest; ita ut *ipsa vel* terminetur propria substantiâ sibi natura debita: *vel* hypostasi propria destitutâ, alienâ opus habeat subsistere. In *priori* statu dicitur ἀνυπόστατος, καὶ ἰδιοσύστατος, in *posteriori* verò ἐνυπόστατος καὶ ἐνυπόστατος. *Prior* status naturæ *connaturalis* est & ubivis obvius:

posterior verò *præternaturalis*, quem jam ceu ὁμολογούμενον suppono, probaturus eundem ξ. θ. in parte speciali ὀντολογίας nostræ. Nec inficiari possunt saniores ex adversariis naturam humanam Christi propria destitui hypostasi, terminari autem hypostasi ξ λόγε. vide præ cæteris *Alsted. Encyclop. l. 11. p. 1. c. 3. reg. 9.* *Natura eadem in statu naturali duplicem actum primũ subsistent. habere potest.* *Natura* itaq; in *statu naturali*, *propria gaudens hypostasi geminum potest habere actum substantialem. Alterum Essentiæ, alterum subsistentiæ.* Unde & diversa attributa, *naturalia & personalia* s. singularia. Constat id inde, quod natura & ex eâ promanans subsistentia possunt esse realiter distincta. Non enim sunt inseparabilia ut ex *mysterio incarnationis* docetur. Ubi ergo natura & ejus propria subsistentia distinguũtur realiter, ibi sunt distincti actus primi substantiales. Quod verò concernit naturam ἀνυπόστατον, s. quæ alterius subsistentiâ actu gaudet: (ut *humana natura* τε λόγε) de qua potissimum controversia est, asserimus; *eam necessario cõstare duob⁹ actib⁹ primis Substantialibus à se realiter distinctis.* Animadvertendũ v. quod de natura loquar non abstractè sed concretè, quatenus ὑποστάσει & in ista ὑποστά-

Natura ἀνυπόστατος necessario

σει

habet duos actus primos Substantiales.

ut consideratur. Asserti veritas manifesta est. Nam in natura ἐνυπόστατῳ datur primò *actus primus Essentiæ*. Natura enim est principium proprietatum & operationum suarum. Id autē & non aliud est actus primus. Datur secundò in eadem *actus primus Subsistentiæ*: eo quod sit ἐνυπόστατον. Nam licet proprium ac connaturalem actum subsistendi non habeat, habet tamen, ne planè sit ἀνυπόστατον subsistentiam alienam, sibiq; præternaturalem. Quid verò est subsistentia, nisi *actus primus subsistentis*. Quocirca *duo* hîc dantur *actus primi substantiales in eadem naturâ*. Unus *Naturalis*; alter *Personalis*. Id si adhuc negat Sadaël, sic ad ἀδύνατον adigi potest, & *absurditatis* convinci. *Quicquid solum actum essendi habet, id nullo modo habet ultimum subsistendi actum, adeoq; est ἀνυπόστατον*, quod ex ipsis terminis constat, *Quædam substantia habet solum essendi actum*, ut cogitur concedere *Sadaël*: si negare pergat, humanā naturam Christi præter actum primum Essendi, ullum alium habere actum primum. E. *Quædam substantia nullo modo habet ultimum subsistendi actum adeoq; est ἀνυπόστατον*; quod est manifeste *contradictorium*.

ctorium. Esse verò *actus istos distinctos realiter* haud facile quisquam negaverit, quum *actus primus subsistentiæ* jam supponatur *præternaturalis*. Sine quo esse possit actus primus *Essentiæ*, scilicet si in *statu naturali* consideretur, & *propriam Subsistentiam* obtineret. Apertissimè ergo evictum non saltim quod plures actus primi substantiales realiter distincti in eadem natura dari possint, sed quod in natura ἐνυπόστατῳ necessario concedendi sint.

CAPUT XIV.

De Principio, & eo cujus est principium.

Fluere *affectiones immediatæ absolutæ*: sequuntur *relatæ*: quibus Ens dicitur *principium* vel *principiatum*, *causa* vel *causatum*: quæ optimè excipiunt *actum* & *potentiam*, quum *ratio principii* & *principiati* ex *actu* & *potentia* oriri videatur. *Ista a. prior*: quia *principium* generalitate suâ *causam* excedit. Explicandũ hèic venit 1. *Principium* tùm *nominaliter* tùm *realiter*, quà *conceptum formalem* atq; *analogicam restrictionem*. 2. *id quod* est *à principio*.

I. Prin-

I. Principium est complexum vel incomplexum. Complexum est propositio, è quâ per se notâ dependent conclusiones. Incomplexum verò Ens ejusmodi dicitur, â quo aliquid vel est vel cognoscitur. *Principii distinctio.*

Quanquam diversimode accipiatur ista distinctio: solemnior tamen est ejus usus juxta datam explicationem. *Principium complexum* ergo est non *res simplex*, sed *enunciatio per se nota*, quæ virtute plurimas continet conclusiones; cujus προσκείμενα sunt, *prioritas, veritas, necessitas.* Ita dicitur, *oportet disputantes convenire in certis principiis: contrà negantem principia non est disputandum*: de his principiis ait *Basil. in Ps. 116.* Ἀνάγκη ἑκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι δόχας τοῖς μανθάνουσι. *Necessum est cujuslibet disciplinæ principia discentibus adeò certa esse, ut non debeant sub examen vocari.* Paulò aliter accipitur *principii* vox, cum *S. S. Theologiæ* dicitur *principium revelatio, vel S. S. Scriptura.* sc. designantur *collectivè omnes veritates Theologicæ primæ*, è quib⁹ ceu ὀικείῳ *principio, quicquid Theologicum est*, cognoscitur: Cæterum *Principii complexi.* *Principii*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0537
DFG

complexa quotuplex:

rum *principia complexa* sunt vel *prima*; vel *orta*. *Ista* non modo sunt πρῶτα, sed & ἄμεσα, ἀληθῆ, ἀνυπεύθυνα, ἀνυπόπτα, ἀναμφέρητα καὶ ἀναπόδεικτα. Suntq; *Theoretica, Practica & instrumentalia*. De quibus *volente Deo*, aliquando *ex professo in nobilissimo isto Noologias vel intelligentiæ habitu*. *Hæc* sunt sive de *Ente communissimo*, qualia heic in *prima Philosophia*: sive de *Ente determinatæ quidditatis*; ceu sunt *principia in disciplinis inferioribus & aliis Philosophiæ partibus*. *Generaliter* v. dicuntur principia esse vel *assertiva*, vel *petitiva*. *Assertiva* vel *definitiva* vel *axiomatica*. *Petitiva* vel *postulata* vel *hypotheses*. *Ista* dici queũt φυσικῶ quod per se nota: hæc θετικὰ quia assumuntur ad notificandas cõclusiones. Ideoq; *ista* πρώτως; *hæc* δευτέρως principia vocari merentur. Et quidem definitiones ἐξαιρέτως & *principaliter*, axiomata ἐπομένως & *consequenter*. Nam in *definitionibus* potissimum relucet *affinitas & cognatio rerum*, vel *subtilitas*, quæ summam & omni exceptione majorem arguit certitudinem; & conciliat evidentiam, ut eâ animadversâ non possit non intellectus assensum præbere. Atq; utinam hic non essemus cæci! sanè tam fœcun-

Definitiones primò dicuntur principia.

fœcundi haud essent errores. Axiomata enim cœtera nihil aliud sunt quam πεύσματα, quæ ê *definitionibus* resultant & eliciuntur. Ideo placuit eadem in hac στοιχειώσι ita appellitare. Sed *de his in prædicta disciplina accuratius.* Patet verò *principium complexum non pertinere propriè ad affectiones Entis:* nec aliter huc revocari, nisi ut *vox principii explicetur*, siquidem *affectio Entis incomplexa esse debeat.* Ideoq; unicè de *incomplexo* agemus *principio.*

II. Principium est, quod est origo processionis alterius. *Principii definitio.*

Quod principium Enti superaddit, & in quo consistit ejus *formalis ratio*, est *relatio originis & emanationis alterius*, quocunq; modo eadem sese habeat: Unde *Dn. Gutkius* definit *principium id à quo aliquid procedit vel emanat quovis modo, sive ratione originis; sive sit sensibilis sive intelligibilis processio, seu alio quovis modo contingat. Aristotel.* disjunctivè describit *principium*, ut oportet in hisce *transcendentibus* persæpè &c. quemadmodum colligitur ê 4. *Met. c. 1.* πασῶν κοινὸν τῶν ἀρχῶν, τὸ πρῶτον εἶναι, ὅθεν ἔστιν ἢ γίνεται ἢ γινώσκεται. *Omnibus principiis commune est esse primum* *Quæ sit formalis ratio principij.*

mum unde quid est, aut fit, aut cognoscitur. Equo colligunt alij ejusmodi *generalem descriptionem: Principiũ est unde est aliud; quæ si ritè explicetur* nõ rejicitur. Sed notetur 1. *terminus à quo vocula unde* indigitatus: quæ insinuat tum *prioritatẽ principii* in ordine ad id quod est à principio, tùm *Consecutionẽ hujus ad istud.* Quod enim aliunde & ab alio est, id aliqua saltim ratione istud præsupponit; cum terminus à quo prior sit; & quidem ita, ut aliqua interveniat connexio: Ideò observetur 2. *processio*, quam insinuat verbum *est*: quod generaliter accipi debet, ut tum esse *reale* tum *Objectivum* s. *cognitum*; tùm *in fieri* comprehendat, adeoq; non tantùm *esse*, sed & *fieri* & *cognosci* designet. Ita *quocunq; modo* unum *fit ab alio*, principii denominatio resultat; s. ut Philos. *Unde aliquid est, id est intrinsece & constat & constituitur: aut fit*, sive *à quibus producitur*, aut *cognoscitur*, s. *à quo dependet rei cognitio.* Inde principia *Essendi, fiendi, cognoscendi.* 3. *Terminus ad quem: Aliud.* Vox est amplianda; ne importet præcisè alietatem in *Essentia*: cum non differat principium & principatum necessariò *essentialiter*: sed *quamcunq;*

Principium est, unde est aliud.

Quid vox unde notat?

Quæ processio requatur ad principiũ?

Tò Aliud explicatur.

cunq; aliet atem, quæ ſufficit ad rationem principii, ſi cætera adſint *requiſita*. Optime ergo dico principium, formaliter dicere *originem proceſſionis alterius*: ut *duo* ſint ejuſdem πρωτείμωα. *Principii requiſita.*

1. *Prioritas.* Debet enim principium eſſe quoddam primum. Intelligenda verò eſt quæcunq; *prioritas*, quæ vel *ordinis*, vel *temporis*, vel *naturæ*. *Prioritas ordinis* æſtimatur ſive ab *origine*, quâ *Pater prior eſt Filio*; ſive à *poſitione*; quum *ordine* diverſa vel *numerantur*, vel *locantur* vel *explicantur*, & *proponuntur*. Inde ordo *enumerationis*, quomodo *prior* eſt *quicunq; prior numeratur*: *locationis*: ita prius quod *ratione loci vicinius*; *docendi*; hoc modo *faciliora priora ſunt difficilioribus qua cognitionem*: *dicendi*: ita *exordium prius narratione in oratione &c.* ſive à *dignitate* æſtimetur vel pretio vel inſtituto humano, quomodo *aurum prius ſtanno & Rex ſubditis prior* dicitur. Deinde *prioritas naturæ*: juxta quam aliquid in naturali eſſendi ordine antecedit, quomodo *cauſa prior eſt cauſato*. Duplex verò hoc *prius*: *Reciprocans* cum quo convertitur poſterius, ut *Sol ratione luminis*; *rationale & riſibile*: vel *non reciprocans*. Sic *univerſale particu-*

1. Prioritas.

Quotuplex?

Ordinis.

Naturæ.

lari, Genus Specie species Individuo, causa remotior, vel non adæquata tantum sufficiens suis effectis, totum partibus dicuntur notiora, priora non reciprocè. Prioritas deniq; Temporis. temporis vel durationis tribuitur ei quod aliud tempore antecedit & in rebus inanimatis vocatur παλαιότερον in animatis verò πρεσβύτερον. Eo etiam reduci solet prioritas quæ in æternitate ratione temporis. Ita decretum in creatione mundi æternum prius est ejusdem executione: In æternitate vero ipsa nulla prioritas temporis locum habet, sed ordinis tantum: Ita unum decretum altero ordine prius dici potest, tempore prius dici non debet. 2. Consecutio: vel habitudo ad id quod procedit. Non sufficit ad rationē principii prioritas, cum multa antecedant quadam prioritate quæ tamen non sunt propriè principia, prout heic principium relativè sumitur. Ita quæ prius numerantur vel locantur; vel producta sunt & existunt, non statim sunt principia ratione aliorum; sed necesse est ut interveniat habitudo consecutionis, processionis vel emanationis. quæ consecutio non est necessario effectiva vel Causalis; sufficit, si talis sit, ut unum ab altero verè procedat, quemadmodum è divisione patescet. Prius re-

2. Consecutio alterius.

Qualis cō secutio!

requisitum vocant nonnulli in dubium: qui sc. ex *Thomâ* concedunt *in mysterio S. S. Trinitatis principium*, negant autẽ *prioritatem*, tum ob *Essentiæ identitatem*, tùm *ob relationum proprietatem*, quæ *simul sunt naturâ*. Sic *Damascenus l. 5. de Orth. fide c. 4: si dicimus Patrem principium Filii, non tamen eo priorem esse ostendimus.* *Alii* agnoscunt & hic quandam *saltim rationis* seu *intellectus prioritatem*, vel *originis & enumerationis*. ut apud *Dn. Scheib.* legere est, quæ *prioritas non præcisè à ratione nostra dependet, sed transumitur ex ipsa naturâ*, hoc sensu, *quod à Patre sit Filius per processionem.* Unde *August. l. 3. cont. Maxim. 14. inter personas divinas* ait *ordinem dari naturæ*: Quod verò non accipiendum, quasi *natura filii posterior sit Patris naturâ* cum *sit una & indivisa natura, sed* quod *in divinâ naturâ Pater sit prima persona & Filio prior* qua *originem*, quum *Filius per æternam generationem sit à Patre.* Ubi observandum quod *Schvaretz.* habet *disp. 12. Met. s. 1. n. 10. Non est mirum, quod sicut ratio principii in illis personis singularis est, ita & modus prioritatis sit peculiaris, & longè alterius rationis, ab omnibus, quæ in creatione reperiuntur. Posterius* requisitum non attendit

De prioritate Patris in mysteri. Trinitat.

Goslav. vult id omne principium habere, quod habet se prius.

dit *Goslav. c. 10. p. 3. refut. Kekerm.* quando adserit, *quicquid, se prius habet aliquid, principio non caret.* Verum à *prioritate* ad *principii* rationem non valet consequentia. Dantur enim multa aliis priora, quæ tamen ob id non sunt eorum principia, eo quod deficiat ratio *consecutionis* vel *processionis*: ut *qui heri natus* est, *prior est tempore eo, qui hodie nascitur, non tamen ejus principium, &c.*

Principii divisio.

III. Principium aliud est sine dependentia & principiati illatione: aliud cum dependentia ac principiati illatione, idq; vel in cognoscendo vel Essendo. Cognoscendi principium est unde aliud cognoscitur. Essendi à quo aliquid fit aut habet ut sit.

Non omne principium infert dependentiã principiati.

Certum est, *non omne principium inferre dependentiam principiati*, secus atq; putant *Alstedius, Goclen. Timpler. Terminus* n. *latissimè* patet, & de se non importat nisi *consecutionem* seu *emanationem* alterius, sive eam emanationem comitetur dependendentia propriè ita dicta sive non; & hoc quod emanat sive fit principiatum, sive saltim respiciat *principium*, ut *id quod est à prin-*

principio. Videtur enim principiatum quandam dicere dependentiam, quæ nō est de formali ratione ejus, quod est à principio. Cæterum principia sine *illatione dependentiæ & principiati*, saltim δευτέρως ita dicuntur & per Analogiam, πρώτως verò & *absolutè* cætera. Suntq; *ista* in quibus principii ratio datur. 1. *Communiter* puta *quâ dignitatem* quomodo *Rector dicitur principium Academiæ*, vel quâ *locationem, ſ. naturalem, ſ. arbitrariam* qualia ſunt principia dicendi docendive: ut *Principia diſciplinarum.* Ita quoq; dicitur *Exordium principiū Orationis:* Hâc ratione *fundamentum* eſt *principium domus, &c.* vel quâ *rationem*, ita principium indigitatur id à quo aliquid movetur: ut ſunt *principia magnitudinis, motus & temporis:* quo refer *principium transmutationis, privationem Phyſicam.* Hæc enim alia ratione non eſt vel dicitur principium, niſi quâ antecedit generationem &c. minimè verò importat *realem influxum ad eſſe corporis naturalis.* Uti τὸ *nihil negativum principium creationis* dicitur, quia creatio eſt, productio rei è nihilo: Ita τὸ *nihil privativum eſt principium & terminus à quo generationis*, quia generatio eſt produ-

Principia ſine illatione principiati.

Communiter.

Quomodo privatio ſit principiū?

ctio rei naturalis è nihilo privativè seu *progressus à non esse ad esse 1. Phys. c. 1.* de quo *alibi. 2. Eminenter* dicitur principium sed absq; principiato & dependentia: ratione *simplicis originis* in eadem Essentiâ: qua analogicâ eminentia *Deus Pater* salutatur *principium Filii & Filius (principiū de principio) una cum Patre Spiritᵘ sancti.* Tametsi *Thomas 1. Sect. q. 33. art. 1. ad 2.* meminit *Græcos* dicere *Filiū & Spiritū S. principiatū.* Ita *Damascenus l. 1. O. F. c. 13. Esse ἀναίτιον Patri, αἰτιατὸν verò competere Filio & Spiritui S.* Et *Euseb. l. 4. demōstr. Evang.* Filiū dici ὁσιάμωμον *Essentiatū*: sed isthanc παῤῥησίαν loquendi præstat non imitari. *Principiū* quod infert *dependentiam* & *principiatum* geminum est. *Cognoscendi & essendi.* Principium *cognoscendi* est, â quò dependet aliquid in cognoscendo. Ejus ergo correlatum non est res, sed cognitio rei. *Ita non Dei sed cognitionis divinæ s. Theologiæ datur principium.* v. c. *immortalitas cognoscitur ex æternitate, æternitas ex infinitate &c. æternitas* ergo est *principium* non *immortalitatis*, sed *cognoscendi* seu notificandi immortalitatem, & sic *de cæteris.* Sunt verò *principia cognoscendi* non saltim *causæ demonstrativæ*, sed & *rationes in-*

Princip. Eminent.

Principiū quod dependentiā infert Cognoscendi.

inferentes quævis, è quibus alia inferuntur tanquam magis nota; ita non modò *causa est principium cognoscendi effectum*, sed sæpenumero *effectus est principium cognoscendi causam. Principium essendi est*, à quo aliquid fit aut esse habet: Estq; tàm *causale*, sive *quod* & *principale*, s. *quo* & *medium*: de quo *cap. sequenti*; tùm *non causale*, quo refer *rationem emanandi*, ut *Ens est ratio emanandi affectionum suarum*. Falsò autem dicitur hoc loco *principium non causale privatio Physica*, quum nullam planè inferat *dependentiam*, ut è *superioribus* manifestum est.

Essendi.

Causale & non causale.

IV. Id cujus est principium est, quod procedit ab alio quocunq; modo.

Id cujus est principiū.

Quum non omni principio respondeat *principiatum*, rectius ei contradistinguitur *id cujus est principium*. Quod *totidem* modis dividi potest: *quot modis* distributum est *principium*. Usitatissimè verò dicit *relationem ad principium cognoscendi & Essendi*. Et locum habet non saltim in *naturalibus*, sed & *mysticis*: quomodo *Filius Dei est ea Persona in Deitate, cujus principium est Deus Pater. Spiritus S. est ea Persona*

cujus principium est Deus Pater & Deus Filius. Naturalium verò quoddam est *creatum*, ut *primi parentes*: quoddam *genitum*, ut *posteri*, quoddam *arte factum* ut *res artificiales*: hæc enim omnia sua agnoscunt principia. Reliqua è *præcedentibus* constant.

Πορίσματα.

Principia sint omni exceptione superiora.

I. Principia sint omni exceptione superiora.

Hoc unum saltim delibare placet de principiis complexis. Nam est ea doctrina propriè *Noologica*, non hujus loci. Loquitur autem Porisma de principiis *primis*, non de *secundis*. Nam illa verè sunt ἀνυπευθυνα, adeò ut contra negantem prima principia non sit disputandum. Sive enim eadem pateant ipso *sensu & inductione*, quod disputat *Zabarella 2. post. t. 106. & seqq.* sive *solius intellectus lumine, prævia terminorum apprehensione*, quemadmodum rectius statuerunt *Thomas 1. Sec. q. 51. art. 1. Soncin. &c.* ita manifesta est ipsorum veritas, ut simplici intelligentia in eadem feratur mens nostra. Ideo non potest iis assensum denegare. Quod si verò contingat, ut quis præfractæ

ctæ frontis neget prima principia, quomodo cum eodem agendum? Sanè *à priori & directè convinci* non poterit; quū principiis primis nihil possit esse prius: poterit tamen *à posteriori & indirectè* eo adigi, quo veritatem agnoscat. *Geminus est* disputandi modus, unus κατ' ἀθρωπον cujus exempla habes etiam in Sacris. *vide sis Matth. 19. v. 17. Tit. 1. v. 12.* Alter κατ' ἀλήθειαν, vel ut Philosophus distinguit: Aliud est ἀποδεῖξαι, & aliud ἐλεγχπκῶς ἀποδεῖξαι, *Confer l. 2. de Cœl. c. 12. t. 80.* Si ergo juxtà illum nihil obtineas adversus pertinacem antagonistam, alia insistas via necessum est, & è concessis, quæcunq; illa tandè sint, sive vera sive falsa, ipsum convincas. *De quo alibi.*

Quomodo disputandū contra negantem principia?

II. Principium est prius eo quod est à principio.

Principiū est prius eo quod est à principio.

Istud enim habet sese ut primum, hoc ut secundum. At omne primum prius est secundo. Intelligendum a. est proportionaliter ita: Principium *naturæ* s. per *dependentiam* est prius *naturâ*: *Principiū temporis tempore* prius est; *ordinis ordine*: simplicis *originis origine &c.* Non verò existimandum, quod principium *formæ-*

liter inferat prioritatem naturæ vel temporis. Possunt enim *principium* & id *quod est à principio tempore* imò naturâ simul esse. Ita *solis radii soli coævi sunt*: Et *simul natura sunt*, vel rectius ejusdem naturæ *Pater & Filius* in divinis, licet ratione personalitatis propriæ ordo non negetur. Declarari idem potest exemplo *attributorum in Deo*. Unum enim altero prius, ejusdemq; principium sano sensu dicitur: quum tamen natura simul sint; imò eadem natura divina.

Principiũ infert processionẽ alterius.

III. Principium infert processionem alterius.

Malè loquuntur, qui dicunt *principium* de sese *non inferre nisi respectum priori ad posterius; & in hoc consistere formalem rationem principiorum* judicant. Ad eundem modum *Goslavius* quem *supra* audivimus. Contrà. dari omninò potest aliquid quod se habet prius, ut tamen ideo non habeat principium, s. ut illud prius non statim sit ejus principiũ. Nam præter *prioritatem* ad principii rationem requiritur *processio s. consecutio alterius*, ut *ibidem* expositum. Quod si prioritas ad principii naturam sufficit, reliquæ creaturæ

turæ sex diebus à Deo conditæ principia forent hominis primi, quia priores. Id verò absonum. Hinc ita: *Omne principiũ habet aliquam connexionem cum eo quod est à principio. Quoddã quod prius est altero nõ habet ejusmodi connexionem cum eodem, ut exemplis doceri potest.* E. *Quoddam quod prius est altero non est principium ejusdem.*

IV. Nullum prius constituitur per posterius.

Nullum prius constituitur per posterius.

Dist. 1. prioritatem *temporis, naturæ, doctrinæ & excellentiæ. De naturæ & temporis prioritate* verum est: non *de doctrinæ & excellentiæ.* 2. Tò Posterius dicitur dupliciter: *Secundum quid & simpliciter.* Quod posterius est simpliciter, nunquam constituit id quod prius est: At quod secundum quid posterius est, potest constituere alterum se essentialiter prius. Nam partes integrantes longe sunt priores & auctiores postquam vivens accrescit quam ante accretionem: & nihilo secius iisdem constituitur vivens. Usus est *contra Sadaelem?* qui *vult quantitatem constituere corpus humanum.* Atqui ipse negare non potest *corpus humanum naturâ prius esse quantitate. Sed fatetur: Si ipsa Essentiæ*

ratio

ratio consideretur, quantitatem esse ipsa substantia posteriorem τῇ φύσει. de Sacr. mand. corp. 1. Chr. c. 4. Obj. 14.

Primum principium à nullo alio pendet.

V. Primum principium à nullo alio pendet.

Veriſſimum eſt de dependentiâ *propriè dicta*, quum implicet, eſſe primum & habere ſe prius τῇ φύσει, quod ad dependentiam requiritur. Sed peſſimè inde colligit *Keckermann.* quod electio divina nullatenus dici poſſit dependere à fide præviſâ, quum Deus ſit primum principium. Nam quod *DEus reſpiciat fidem in Prædeſtinatione* non evertit ipſius *independentiam.* Independentia enim Dei eſt ipſius Dei Eſſentia. Prævisio vero fidei non tollit Eſſentiam Dei. Quis enim diceret, Deum non eſſe Deum, quia eligit ad vitam non niſi eos, quos præcognoſcit credituros! Et notandum, quod diſtinctiſſima ſint, Deum in eſſendo ſimpliciter eſſe independentem à Creaturâ, & Deum in agendo *nullâ ratione dici poſſe dependere à creaturâ.* Nam quum Deus ſe ipſum q. alliget ad certum ordinem in agendo, & ad τάξιν mediorum, quidni hac ratione poſſit dici dependere quadantenus

Keckermann negat fidei præviſ. quia Deus eſt primum principium.

nus ab ordine quem sibi ipsi præscripsit in agendo.

CAPUT XV.

De Causâ & Causato.

DE Causâ agemus tùm *generaliter*, tùm *specialiter*. *Generaliter* explicaturi vocis distinctionem & *Causæ rationem*. *Specialiter* verò partim *modos causæ communissimos*, partim *ipsas quasi species Causarum* considerabimus. Demum quid *causatum* sit, & quotuplex? docebimus.

I. Causa est vel propriè dicta; vel sine quâ non. Hæc saltim est conditio quædam prærequisita. Illa verò Causalitatem veram exercet. *Causæ distinctio.*

Causa sine quâ non dicitur, quæ *propriè non habet agendi Naturam*, nec *ad opus quicquam confert, neq; pertinet ad ejus constitutionem*, ita *tamen prærequiritur, ut eâ absente impediatur*. Ita in *curatione vulneris causa sine quâ non est remotio puris. Apertio librorum est causa sine quâ non lectionis, dimissio valvarum est causa sine qua non illuminationis conclavis*. Rectius dicitur *Conditio sine qua non. Propriè* enim non exercet Causalitatem. Ideò ad *æquivocas distinctiones* referri debuit. *Causa sine quâ non.* *Propriè non est causæ.*

II. Cau-

Causæ definitio.

II. Causa est quæ influit in esse causati.

Tria occurrunt circa causam, 1. *Entitas* cui denominatio causæ convenit. 2. *Influxus seu actualis causalitas*, quæ est consecutio causati à causa. 3. *Relatio*, quâ causa ad causatum refertur; vel *Subjectum*, *Fundamentum*, & *respectus*. *Subjectum* est res quæ causa dicitur. *Respectus* consequitur causam. Ideoque in causalitate unicè consistit *formalis ratio causæ*. Dicitur & *Causandi ratio*: quæ absolvitur *influentia in esse Causati*: quâ unaquæque causa in suo genere actu influit esse in effectum; eidemque esse communicat, sive ratione *productionis*, sive ratione *constitutionis*. Aliis *causa* definitur *principium, unde aliud pendet*. Nam differunt *principium & causa*, ceu *latius & angustius*: quum omnis causa sit principium. Non verò omne principium causa sit. Ita *punctum est principium lineæ, privatio principium corporis naturalis; terminus à quo principium motus*, &c. in quibus tamen ratio *causæ* locum non habet. Itaque *dependentia* restringit quasi indeterminationem *principij* ad esse *causæ*. Ut scilicet principiũ causa sit, quod consecutionem dependentiæ infert. Ideo

Causandi ratio.

Non omne principium est causa.

vetant

vetant *Patrem in divinis dicere causam Filij, licet sit principium*, quia hoc non interveniat *dependentia*. Conf. Scheibl. & *alios*.

III. Causa 1. quâ ordinem agendi distribuitur in Universalem & Particularem; & illa est vel simpliciter universalis, vel secundum quid; hæc vel remota, vel propinqua. 2. Ratione finis, in ordinariam, vel extraordinariam. 3. Ratione virtutis agendi, in adæquatam & inadæquatam. *Causa dividitur juxta modos communissimos.*

1. *Universalis* est, quæ *ex se non est determinata ad certum causatum*: estque *simpliciter universalis*, ut Deus omnium rerum Causa universalissima. Vel *secundum quid*, ut *Cœlum*. Non enim concurrit ad omnes actus rerum sublunarium, licet concurrat ad plurimas res producendas, adeoq; respectu *generationis* causa *Universalis* dici possit. Ita *promanant affectiones è subjecto citra influxum cœli*. *Particularis*, quæ *ad certum quoddam causatum determinata* est. Eaque est *remota* vel *proxima*. *Illa* concurrit ad Causatum aliis *intervenientibus*; hæc *proximè* cohæret cum effectu. Et est *Causa universalis simpliciter. secundum quid. Particularis. Remota. Proxima.*

vel

Simpliciter proxima in suo genere.

vel *simpliciter proxima*, vel in *suo genere* proxima. *Exempla* occurrunt in *quibusvis causarum generibus.* Ejus indolis ferè est divisio causæ in *primam* & *secundam.* *Prima* dicitur vel *causandi primitate*, quæ & *suprema* dicitur, & primò agit, eique subordinantur, si quæ sunt, cæteræ.

Causa prima & suprema.

Estque tum *prima simpliciter*, quæ nullo respectu secunda, ut *Deus*, tum *secundum quid*, quæ in certo saltim ordine prima, ut *Cœlum* in ordine causarum *Physicarum.*

Prima & proxima.

Vel *causandi proximitate*, quæ & *proxima* dicitur, eo quod primo & immediatè attingat causatum. *Ista* dicitur prima, quando à causis *descendimus* ad effecta: hæc, quando ab effectu ad causas *adscendimus.*

Causa secunda.

Causa secunda est, quæ à primâ dependet. 2. *Causa ordinaria* est, quæ ordine naturæ consueto agit. *Extraordinaria*, quæ in agendo non servat naturæ ordinem.

Causa ordinaria.

Extraordinaria à fine.

Desumitur autem *à fine* hæc distinctio, nec attendit adeò *modum agendi*: Nam hoc secundum objectum ipsorumque adeò effectuum differentiam variat, ita ut inter causam & effectum alioquin plures intercedant causæ intermediæ, alioquin pauciores, alioquin omnino nullæ, quod in hac distinctione

ctione non consideratur. 3. *Adæquata causa* est, quæ cum effectu suo recurrit; ita ut causâ positâ effectus quoque poni debeat, & vice versa, ut *rationalitas ratione risibilitatis*: *Inadæquata* quæ non recurrit, & quâ positâ non est necessum effectum poni. Sic *posito sartore non statim ponitur vestis.* *Adæquata.* *Inadæquata.*

IV. Causæ specificè distinguuntur in internas & externas. Internæ sunt Materia & Forma. *Causarum specifica distinctio.*

Notandum *rò internum* & *externum* hic sumi non ratione *Subjecti*, scil. Entitatis quæ à causâ denominatur, sed ratione *Causati*, s. ejus quod est à Causâ. Nam ad hocce concurrit causa vel ratione *productionis*, & ab *extrà*: *ut fiat*: vel ratione *constitutionis*, & ad *intrà*, ut *sit*. *Internæ* ergo *Causæ* sunt, *quæ Essentiam causati ingrediuntur*. *Externæ* quæ *causatum extrinsecus producunt*, *ipsam verò essentiam non ingrediuntur*. Cæterum *interna causa* est *duplex*: Nam vel habet sese tanquam potentia actum suscipiens, & sic est *materia*: vel tanquam actus potentiam informans; & sic est *forma*. *Causa interna.*

Materia.

V. Materia est ex quâ aliquid fit, ita ut hæc ei insit.

Materia subjectivè.

Sumitur materia 1. *Subjectivè*; pro materiâ *in quâ* uti *anima* dicitur *materia in qua, vel subjectum facultatum, Substantia accidentium suorum.* 2. *Objectivè* pro materia *circa quam* puta quæ *sit Objectum potentiæ vel scientiæ.* Ita habet *potentia sensitiva, visiva, &c.* suum *Objectum*: *potentia* item *intellectiva* suum, quod in *genere γνωστὸν* dicitur: habent deniq; & *disciplinæ* ac *scientiæ* quæcunq; sua *Objecta*. Nota hic; quod non *idem simpliciter sit Objectum intellectus, sive Theoretici, sive Practici, sive Poëtici, & Objectum disciplinæ.* Non n. sunt hæc ἀντίστροφα licet sint ἀνακρέφοντα. *Omne Objectū disciplinarum est Objectum intellectuale*; sed non *vice versa.* siquidem ad *illud* sufficiat *conceptus realis*; ad *hoc* verò requiratur insuper, ut *in nullâ disciplinâ conceptus iste sit vel affectio, vel principium, vel modus contrahens.* Ita *homo* est objectum intellectus, sed non absolvit objectum disciplinæ. Aut certè distinguendum erit inter *Objectum disciplinæ generale & speciale*; ita ut de quovis conceptu dicatur, quod sit objectum alicujus disciplinæ sc. *generale*; considerari enim debet

Objectivè.

Objectum disciplinæ & intellectum differunt.

debet alicubi: non verò *speciale*: quia non est statim fundamentum disciplinæ. Sed de his in *Gnostologicis*. 3. *Constituti-vè*: pro materia *ex quâ* scilicet res constituitur. Ita *materia* est principium internũ & pars rei constitutæ quæ diverso modo considerari potest, *in fieri* s. ratione *generationis*; hinc *materia, ex qua fit* s. *generatur materiatum*, ut ex *semine fit corpus*: & in *facto esse* seu ratione *constitutionis*, unde *materia*, ex *quâ constat materiatum*: Ita *creaturæ è nihilo conditæ* nullam habebant materiam ratione *productionis*: at quæ ex iis materiatæ erant, omninò ratione *constitutionis* materiam habebant. *Svaretz* aliter exponit istam distinctionem, & tribuit *secundum diversa munia causæ materiali* diversas istas appellationes. Ut dicatur *ex qua* per ordinem ad *compositum*, quod ex ea constituitur, *in qua*, per ordinem ad *formam*, quæ in eâ recipitur, & *circà quam* per ordinem ad *efficientem*, quæ in ea disponenda occupatur. Consistit autem *Causalitas materiæ* in eo, quod ex ipsa aliquid fiat, & ita quidem, ut eadem illud intrinsecè componat. Et *actu causare* dicitur potissimum *recipiendo actum formalem* ac cum formâ totum componendo. VI. *Constitutivè.*

Materia est prima vel secunda.

VI. Materia est prima vel secunda.

Materia præcognoscenda est in metaph.

Quanqnam hæc distinctio *propriè* sit *Physica*: debet tamen heîc præcognosci in *Metaph.* Nam quum Physica sibi ipsi nõ probet principia, nec probare possit, adeoq; ceu præcognita supponat, certè nullibi alias quàm heîc πρόγνωσις instituenda est materiæ primæ. Hæc n. est rerum Physicarum principium. Primæ inquam materiæ. Non adeò *secundæ*; ut potè quæ jam principiatum est, & è primâ ceu principio constat. Ideo enim dicitur *materia secunda* quia *habet priorem*, adeoq; est compositum quoddam. *Duo* autem pertinent ad istam πρόγνωσιν. Quid *nominis*! explicare, & *quod sit* probare. *Istud* sine difficultate intelligitur, quid materia prima dicatur; sc. ea materia, quæ est *prima* in γενέσει, licet postea *sit ultima* in ἀναλύσει, s. primum illud è quo inexistente res naturales fiunt, & in quod ultimo resolvuntur. *Hoc* non caret difficultatibus: quum sint, qui *cognitione saltim mentis* dari primam materiam existiment, inter hos nomen suum profitetur *Keckerm.* Verum *distinguendum* inter *materiam primam existentem seorsim*, & *inexistentem*

Quid nominis!

Quid sit?

stentem compositio, seu quæ existit *conjunctim* cum formâ & sub formâ. *Priori modo* non datur materia prima, sed *posteriori*. Inde tamen minime inferre licet, quod non sit amplius *prima materia*. Aliud enim est *esse sub formâ*, aliud *per se informe esse*: Ipsa materia prima per se *informis* est, licet nunquam sit *sine forma*. Ita *substantia creata nunquam est* sine accidentibus, neq; tamen ob id substantia per se importat τὸ subsistere accidentib^s, etiam creata, nisi *aptitudinaliter*. Sed pro *materia primâ duo* militant *principia*. 1. *Quia natura non potest agere in nihilum*. Est enim finita. E. non è nihilo, sed è materia fiunt, ut & resolvuntur non in nihilum, sed in materiam. 2. Quia *processus non potest fieri in infinitum*, in *causis subordinatis*. E. subsistendum in aliqua materia, quæ sit prima in generatione, & ultima in resolutione.

Probatur quod sit materia prima.

VII. Forma est, per quam res materiales sunt id, quod sunt.

Formæ definitio.

Forma *nominis* ratione variè distinguitur. 1. in *substantialem* & *accidentalem*, quod intelligi potest vel *absolutè*; ut formæ *substantiales* sint substantiarum tan-

Nominales distinctiones formæ, 1. in sub-

stantialem & accidentalem

tùm, *accidentales* ipsa accidentia: vel *relatè* in ordine ad subjectum, quomodo *Essentialis* forma est, quæ rem constituit quamcunq; sive sit substantia, sive accidens, *accidentalis* verò quæ non spectat ad constitutionem rei. 2. in *Physicam & Metaphysicam.* Hæc est ipsa rei quidditas, *illa* est altera pars corporis naturalis. *Altera* & Enti immateriali competit; & ipsam materiā quoq; implicat. *alera* v. solis materiatis competit, & materiæ contradistinguitur. 3. in *formam totius & partis*, quæ distinctio *dupliciter* accipitur. 1. ut Forma totius sit Metaphysica, forma partis Physica. 2. ut forma totius sit forma compositi totalis: forma partis v. vocetur forma partialis, i. quæ est alicujus partis. 4. in *assistentem & informantem.* *Illa* est quæ extrinsecus rei adsistit, ejus motū & operationem dirigit, ipsam v. Essentiā non ingreditur, ut *navis, assistens forma dicitur nauta*, orbium cœlestium *juxta Arist. intelligentiæ.* Hæc est per quem res constituitur in suo esse: & dividitur iterum in *genericam & specificam.* *Generica* dat actum imperfectū, & cum potestate junctum, s. esse commune potentiale; dicitur *subordinata*, nec *propriè* for-

2. *in Physicam & Metaphys.*

3. *in formam Totius & Partis.*

4. *in Assistentem & informantem.*

Genericam & Specificam.

forma est, A forma enim petitur distinctio. At conceptus communis non distinguit; adeoq; potius materiæ respondet, quàm formæ. *Specifica* dat ultimum essendi actum, s. esse proprium & specificum: dicitur ideo *ultimata*. Et *hæc* in *Theor.* definitur. *Arabes* juxtà *Pererium* definiunt *formam*, quod *sit participatio primi actus impressa rebus*. *Platonici*, quod sit *divini exemplaris imago expressa in materia*. Clarius forma est, per *quam res naturales sunt*, *id quod sunt* seu quæ dat esse ultimũ rebus naturalibus, non *efficienter*, non *substantialiter*, sed *formaliter*, id est, *materiam actuando, compositum in certa specie constituendo & operationes specificas edendo*. Nam formæ est informare *materiam*, & *compositum*. *Materiam* saltim informatione accidentali. Non n. largitur ipsi actum primum Entitativum. *Compositum* verò informatione substantiali: quia id per se habet formã, & ab ea intrinsecè constituitur. Atq; ita satis præcognitum est principium hocce Physicum quoad quæstionem *quid sit? quod sit forma*, jam probandum. Probatur v. eum *directè*: quia principium operationũ assignari debet in composito; id verò

Quid forma sit?

Quod forma sit.

rò non poteſt eſſe materia, ut potè quæ merè Phyſica : E. aliud quiddam erit: quod dicitur forma. Tùm *indirectè*, quia impoſſibile eſt corruptionem dari, ſi negatur forma: quum corruptio fiat per ſeparationem materiæ à forma: & materia per ſe ſit ingeneralibilis & incorruptibilis. *Sed de his ſatis.*

Finis deſinitio.

VIII. Finis eſt cauſa cujus gratia res eſt.

Finis acceptiones variæ.

Accipitur *alias* pro fine *privationis*, ut *mors eſt finis vitæ* & pro fine *terminationis*, ut *terminus ad quem eſt finis viæ*: *hèic* verò pro fine *determinationis*, cujus gratia res eſt. Nam *cauſalitas* finis eſt: non ſaltim ratione *Efficientis*, ut illam moveat, quo agat, ſed & ratione *mediorum*, ut iis amabilitatem conciliet, & ordinem præſcribat, atq; modum agendi q. definiat & determinet; & ratione rei *conſtitutæ*: Ejus enim eſt perfectio. *Præpoſitio propter* ſolet *finis eſſe* indicativa, ut finis ſit propter quem res eſt. Sicut præpoſitio *ex materiâ* indicat, ex qua res conſtat: *à cauſam efficientem*, à qua res eſt. *Per, formam*; per quam res eſt, id quod eſt.

Cauſalitas

IX. Fi-

IX. Finis est principalis vel minus principalis. Ille est, qui primariò intenditur, & propter quem primò res est: Hic, qui propter aliud intenditur, & cujus gratia res est saltim secundariò. *Finis divisio.*

Principalem iterum dividunt, in *simpliciter principalem, & ultimum*, ac *principalem in certo genere*. *Prior est*, ad quem omnia referuntur, ipse verò alium non habet, ad quem referri possit, sed ultimò terminat actionem agentis; ut *gloria Dei est actionum nostrarum principalis finis*. *Posterior* est, qui in ulteriorem finem ordinari potest. Ita *finis principalis Ethici est summum Bonum*. *Secundarii* fines habent rationem *mediorum* ad ultimum finem ducentium. *Mediâ* autem alia sunt φύσει, alia θέσει; ab *istis* ad finem necessario procedimus, adeò ut qui vult finem, & media velit ad finem: non æquè ab *his*. Ita *peccata* θέσει *sunt media ad illustrandam Dei gloriam, nec tamen ea Deus vult, vel necessaria eadem censenda sunt*; tandè distinguitur etiam *finis* in *finem cujus*, seu cujus gratiâ efficiens agit: & *finem cui*, cujus commodis acquisitio finis *cujus* inseruit. *Finis principalis* *Secundarius.* *Media φύσει.* *Θέσει.*

Ita *sanitas est finis cujus in medicina*, finis *cui est homo*. Ita *finis cui* omnium actionū est *Deus finis* vero quem intendimus in agendo est *finis & seu cujus actionum*.

Efficientis distinctio.

X. Efficiens alia est per se, alia per accidens.

Quanquam *distinctio causæ in causam per se, & causam per accidens*, videatur ad *communissimos modos causæ* referenda, cum aliquâ ratione causæ per accidens denominatio omnib. *quatuor* causarum generib. applicari possit. Ut cum *v. g. aurū dicitur materia poculi per accidens, mensa dicitur forma ligni per accidens; corruptio finis naturæ per accidens; Vinum efficiens homicidij per accidens.* πρώτως tamen *efficienti* videatur: quando *modo Aristoteleo* explicatur. Imò penè dixerim, quod cæteris saltim tribuatur ὁμωνύμως. Non autem est eadem distinctionis hujus explicatio. *Quidam* causam *per se* dicunt, *ad quam in actu positam, nec impeditam, nec cum contrario pugnantem, sequitur effectus necessariò. Causam per accidens, quæ vel ex necessitate, vel naturâ suâ ad producendum effectum non concurrit.* His proinde causa per accidens ἀναλόγως & verè

Causa per accidens primò dicatur causæ efficienti.

Diversæ explicationes causæ per se & per Accidens.

rè est causa: ac revera influit ad effectum producendum, sive id fiat per efficere, sive per deficere in agendo. Vel disponit causa per accidens Subjectum ad Effectum, licet non semper proximè, tamen remotè, adeoq; non negat (ipsorum verba recito) influxum, sed opponitur τῷ per se & ita nexum necessarium, & rei alicui in specie convenientem negat. Ita vinum temulentum hominem efficiens revera est causa homicidij, quia subjectum malè disponit; aurum est revera materia poculi, licet non necessaria. Quæ sane explicatio videtur aliquod momentum habere. *Alij causam per se* definiunt, *quæ effectum producit virtute propriâ; per accidens, ad quam præter ejus vim & intentionem sequitur effectus ob aliud interveniens.* Sed hæ descriptiones accuratæ non sunt, quia causæ naturales agunt per se, licet præter intentionem. Et causæ per accidens non agunt præter vim & virtutem agendi. Præterea agere in virtute alterius, vel propriâ virtute, non determinat causam *per se & per accidens*, sed magis causam *principalem & instrumentalem.* *Alij* denique explicant *causam per accidens.* 1. Ratione *effecti*, quando effecto *per se intento additum est aliquid,*

quod

quod præter intentionem contingenter eidem accidit: Sic *piscator est causa per accidens extractionis tripodis, & fossor vineæ inventionis thesauri.* Ideo requiritur hic *1. Ut causa rem aliquam efficiat, 2. ut illi rei, quam per se efficit adhæreat effectus non intentus*, quique *non habet necessarium nexum cum illâ quæ producitur. 3.* Ut *rarò ei apponatur. 4. Ut agens non agat secundum aliàs consuetum agendi modum.* 2. Ratione *Causæ, cum causæ per se agenti additur aliquod attributum, à quo tamen effectus non est*, scil. quando id, quod accidit causæ, per se dicitur esse causa effectus: Ut *Musicus ædificat; flavum dulcorat.* Et juxta hanc explicationem videtur esse *Causæ efficientis distinctio nominalis. Sed* de his forsan *aliàs.*

Efficientis definitio & divisio.

XI. Efficiens causa est, â quâ primo fit actio. Estque principalis vel minus principalis. Et illa tùm agens; tùm actionem dirigens. Hæc verò vel impulsiva, vel organica.

Efficiens quid?

De *singulis* breviter. *Efficiens* est causa primò agens inter causas realiter moventes. Forma quidem fit actus effectus, sed

per-

per efficientem. Consideratur *actio* vel in *primo instanti*, & statu causalitatis, qua ab ea influxus causæ efficientis denominatur; vel in *statu receptionis in passo vel cum passo.* *Priori* modo dicit causalitatem efficientis: *Posteriori* verò coincidit cum effectu ipso. Requiritur verò ad *actionem*, ut agens agat: *1. agentis & patientis proportionata diversitas*, ut sc. patiens ab agente diversum sit. Idem enim non agit in se ipsum quâ tale. Patiens verò uti non debet esse simile agenti, ita nec omnino dissimile, sed proportinatum. *2. Patientis ad agens contiguitas*, ut patiens sit agenti contiguum, & intra Sphæram activitatis ipsius, ut loquuntur. Causa *efficiens principalis*, à quâ primus fit motus, quæque in virtute propriâ agit, differt à cæteris *fine*, quem per se respicit, simul & media ad eundem dirigit: & *modo agendi*, quia in virtute non alterius, sed propriâ agit. *Minus principalis* quæ concurrit ad actionem cum principali, sed secundario, scil. formam vel excitando, vel adjuvando instrumentaliter. *Principalis* est vel *agens*, vel *actionē dirigēs.* *Hæc* est *causa Exemplaris*: Hæc enim nihil aliud facit, quam ut dirigat & actuet

Actionis requisita.

Principalis

minus principalis.

Causa exemplaris.

vel

Naturalis. vel compleat intellectum practicum. Vide *Scheibl. l. 1. c. 22. Metaph. n. 35.* Illa est *naturalis* vel *voluntaria.* *Naturalis*, quæ naturali vi absque deliberatione, & ad certum agendi modum, certumque effectum determinata est. Quomodo verò se habeat actio naturalium causarum, quod sit vel *directa*, vel *reflexa*, vel *reactio & resistentia* Vide sis apud *Dn. J. Martini Metaph. part. l. 1. s. 9. § 27.* *Voluntaria* est cum deliberatione & indeterminata est, quâ effectum & modum agendi. *2. Transmutativa vel Emanativa.* *Hæc* est, quæ à patiente non separatur, sed ad cujus essentiam sponte sequitur effectus sine transmutatione. *Illa est* quando agens à patiente est distinctum & actio est transiens. *3. Univoca & formalis*, vel *æquivoca & virtualis.* *Univoca* quæ producit effectum sibi similem in specie. *Æquivoca* quæ producit effectum in specie dissimilem. *Illi* effectus inest & formaliter & virtualiter: *huic* non juxta formæ similitudinem, sed tantum virtualiter inest effectus. *Minus principalis* est causa *impulsiva*, vel *organica Impulsiva*, quæ principalem excitat, movet & impellit, quæ vel *interna*, quæ & προηγουμένη dicitur ab intrà movens

Voluntaria

Emanativa.

Transmutativa.

Univoca.

Æquivoca.

Impulsiva.

vens : vel *externa* ſ. προκαταρκτικὴ, quæ ab extra movet cauſam agentem. *Organica* ſ. *inſtrumentum* eſt quod à cauſa principali elevatur ad effectum virtute ſuâ ſuperiorem producendum. *Conditiones* ejus vulgò recenſent, 1. A *ſine non moveri*, ſ. non expeti per ſe, nec habere proprias utilitates, in ſe terminatas, 2. *Facilitate quadam terminare actionem cauſæ principalis*, & 3. *agere in virtute cauſæ principis*, adeoque elevari ab eadem ad effectum, ſuâ virtute ſuperiorem. Eſt autem inſtrumentum 1. *Nudum* vel σύνεργον. Σύνεργον eſt, quod ſimul agit ut *ignis Chymicus*. *Nudum*, quod ſeſe non cõmovet, ſed ab alio movetur, ut *incus*, *menſa*, quæ tamen malè *paſſiva* inſtrumenta vocantur; cum *omne inſtrumentum ſit activum*: & hic omninò detur actio, *reſiſtentiæ*. 2. *Internum* & *externum*. *Conjunctum* & *Separatum*. *Externum* & *Separatum* à forma cujus eſt organon, operationem tantum ſortitur. *Internum* verò & *Conjunctum* non tantum operationis fit particeps, verùm & virtutis vel facultatis imò accipit ſimul ipſum eſſe illius formæ, ceu δύναμις recipit ἐντελέχειαν & ἐνέργειαν. Ita dicunt *Theologi*, *quod caro Chriſti ſit τοῦ λόγου ὄργανον internum unitum*

Organica.

Inſtrumenti conditiones.

Diviſiones.

Inſtr. nudũ & σύνεργον.

Internum & externũ.

tum inseparabile ac proprium; Ita & corpus dicitur organum animæ, à quâ informatur, cui naturâ suam, & facultatem communicat & per quod suas operationes exercet. Hujus etiam loci est distinctio instrumenti in animatum & inanimatum: quomodo servus dicitur instrumentum, sed animatum familiæ. 3. Necessariũ vel arbitrariũ, & est vel simpliciter, vel secundum quid, &c. A fine instrumento est medium: non tamen idem simpliciter, quod instrumentum; Nam medium nonnunquam dignius est instrumento; ut verbum Dei dicitur medium salutis, potius quam instrumentum: natura in productione hominis est causa media respectu Dei, instrumentalis dici non debet: Nonnunquam verò deficit à virtute instrumenti. Ut Mosis baculus dicitur mediũ, in miraculis adhibitum, non adeò instrumentũ. Sputum adhibetur à Christo ad visum restituendũ ceu medium, non tanquam instrumentũ, &c. Sed hæc altioris sunt indaginis. Distinctionib⁹ istis causæ efficientis accedunt aliæ; ceu sunt in causam totalem & partialem: vel solitariam & sociam. Solitaria & totalis est, à qua in certo ordine totaliter producitur effectus. Non enim omnes, sed sui ordinis causas duntaxat

Necessariũ vel arbitrarium.

Quod medium ab instr. diff.

Solitaria.

taxat interdum excludit: ut *meritum Christi non excludit fidem.* *Socia est*, quæ partialiter influit. Ad eam requiritur *1. Diversitas Causalitatis* in eodem genere & communicata opera. Danda enim est alia atq; alia causa. *2. partialitas influxus*; quæ infert finitudinem & divisionem. E quibus claret, quàm absurda sit sententia *Goclenii l. 1. instit. Log. p. 68. Alsted. Enc. l 1. p. 1. t. 36.* & aliorum, qui *tres personas in Deitate dicunt causas creationis socias.* At, ubi plures causæ ibi plura Entia. Inde ergò πολυθεία. Et Ubi causæ sociæ, ibi partialis influxus. Ubi hæ, ibi divisio; Atqui actiones ad extrâ sunt indivisæ. Et unaquæq; persona agit totaliter. Post, causa dispescitur in *præparantem, adjuvantem, consummantem.* Illa σύνεργον; ista συναίτιον, hæc αἴτιον dicitur, &c. *Socia.*

XIII. Causatum est, quod â causis suum esse habet. Estq; Materiatum, Formatum, Finitum, Effectum. *Causatum quid & quotuplex?*

Hoc facilè constat è causæ explicatione. Conf. Dn. Scheibl. *In genere* verò causatum est *Operatio* & ἐνέργεια, vel *opus* & ἐνέργημα. *Opus*, quod post actionem

nem relinquitur. In *specie* effectum dicitur vel *improprium*, quod est à causâ deficiente, ſ. *privativa* vel *propriè*, quod à causâ efficiente & *positivâ*, &c.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

Causa & effectus nō sunt idem.

I. Causa & effectus non sunt idem.

Sunt enim *opposita*. Sed an *semper distinguuntur causa & causatum realiter? Finis est causa & effectus, alio atq; alio respectu. Keckerm. Syst. Log. l. 1, ſ. 1. c. 18. Timpl. 3. Met. 2. q. 1. Ædificium est causa finalis & effectum architecti. Exercitium corporis est causa efficiens sanitatis & sanitas est finis exercitii. Ita fides est effectum verbi Rom. 10. 17. & Sacramentorū & causa, ut verbū sit salutare & Sacramenta. Limito proinde: Effectum* non est causa *formaliter*: potest tamen causa esse materialiter, seu diverso respectu: h. e. terminus causæ vel notat Ens absolutum & sic sub alia κέσει potest esse causatum: vel formaliter ipsum relatum, quod ad effectum refertur, & tunc non potest idem esse causa & causatum. Concidit ergò argument. *Bezæ*, quum *fidem præviſam negat posse dici causam*

sam electionis nostræ eo quod ipsius sit effectus. Atqui datur diversus respectus. Dist. inter divinum fidei intuitum, qui ab æterno & ipsum fidei actum, qui in tempore. Juxtà illum fides est causa electionis, hujus ratione effectum vel rectiùs consequens dicitur. Ita ipsi Calv. dicunt *fidem causam decreti salvationis, cujus tamen consequens rectè dicitur.*

II. Causa est prior Causato.

Causa est prior causato.

1. Si non ratione *temporis* saltem ordine *naturæ*. Sol *est causa luminis, formâ proprietatum licet tempore simul sint*: Quidni etiam fides possit causa dici justificationis, licet non sit prior justificatione quà momenta temporis? 2. *Causa est prior causato, vel reali existentiâ*, vel *in ratione causandi*, quæ etiam *intentionalis est*. Ita *finis movet agentē prout est in intentione, quamvis actu nondum sit*. Ita *fides prævisa, & meritum Christi sunt causæ electionis*, licet *non sint ab æterno, quà realem existentiam*. 3. Dist. esse *absolutum & relatum*. De *illo* verus est canon, juxtà hoc v. intelligitur illud 2. *Rhet.* 22. ἅμα τὸ ἅπον, καὶ ὃ αἴτιον.

III. Qualis causa, talis effectus.

Qualis causa talis effectus.

1. Dist. ex parte *causæ* inter *univocam* & *æquivocam*; *particularem*, & *universalem*, causam *per se* & *per accidens*. De *univoca particulari*, & de *causa per se* intelligitur porisma, non item de *cæteris*. 2. *Ex parte attributorum*. De *realibus essentialibus*, ut & *accidentalibus* sed *naturalibus* valet, at non de *personalibus*, & *notionalibus*.

Sublata causâ tollitur effectus.

IV. Sublata causâ tollitur effectus.

Intellige 1. de *causis internis*, & de *externis* saltem in *duratione & continuata & Esse à causâ dependentiâ*; quomodo *radii à sole dependent*. 2. de *efficiente adæquatâ*. 3. de *effectu quoad fieri*. S. qua ἐνέργειαν: non quà *factum esse* & ἐνέργημα. Contrà *Pontif.* qui peccatum *originale in Baptismo penitus tolli volunt, ebullire tamen varia peccata originalia ceu effecta ejusdem negare non possunt.*

Causa causæ est etiã Causa causati.

V. Causa causæ est Causa causati.

Verum est στοιχεῖον in causis *per se essentialiter connexis*, atq; *subordinatis*; non in *causis per accidens*, S. *accidentaliter connexis*, & *inordinatis*. Sic ergò non, quia *Deus est causa voluntatis humanæ* & *hæc per accidens causa peccati deficiens in agendo, & exorbitans*

tans à subordinatione, Deus etiam peccati causa argui debet, vel potest.

VI. Materia & forma se mutuo ponunt.

Materia & forma se mutuò ponunt.

Quæ *verè* habent materiam ea quoq; verè habent formam: & quæ non *propriè* materiam, ea nec formam: Res per se manifesta est. Sunt enim principia simul existentia non quidem *naturâ, attamen tempore.*

VII. Finis cui debet esse capax finis cujus.

Finis cui debet capax esse finis cujus.

Dist. inter *capacitatem positivam & physicam*, quæ dispositionem infert recipiendo fini proportionatam, & *privativam atq; Logicam*, quæ est non repugnantiæ qua res potest obedire principio finem introducenti. *Hæc* sufficit, *si illa* non adsit; ne sc finis cui repugnet finis cujus. Ita *artifex introducit formam in subjectum, Philosophus notiones secundas imponit primis non præsuppositâ capacitate positivâ, saltim non repugnent forma materiæ, notiones secundæ primis.* Malè ergò colligit *Alsted. Enc. l. 11 p. 1. c. 37. Reprobos non posse esse finem passionis Christi, quia ejus non sint capaces.*

ita rectè concluderetur *nullam esse nostri conversionem, si prærequireretur ἱκανότης*, quæ *in nobis planè nulla.* Et ne ad ullos quidem attineret passio Christi, quum nulli sint fructus ejusdem capaces, sed omnes ejusdem sortis quatenus sibi relicti. Potentia v. Logica s. obedientialis omnibus communis est.

Qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia.

VIII. Qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia.

Verum est de *agentibus & mediis per se* vel *τῇ φύσι*, non de *his*. quæ talia sunt *per accidens & θέσι*. Nihil ergò concludunt *Calv. Deus voluit finem, gloriæ suæ manifestationem. E. & peccata*, quæ *sunt veluti media.* Nam *peccata per se* non sunt media; Sunt enim mala; finis v. bonus est: Fiunt a. media *per accidens*, cum per accidens diriguntur ab alio principio ad finem bonum.

Nihil est in effectu, quod non prius fuerit in causis causis.

IX. Nihil est in effectu, quod non prius fuerit in causis suis.

Quod enim causa non habet, alteri communicare non potest. Intellige v. de *perfectione*; non de *imperfectione* 2. de *continentia* si non *actuali* saltim *potentiali*, si non *formali*, saltim *virtuali & eminenti.*

nenti. Nihil perfectionis est in effectu quin sit in causâ s. actu s. potentia s. formaliter, s. virtualiter, s. eminenter.

X. Efficiens non ingreditur essentiam effecti sui.

Efficiens non ingreditur essentiam effecti sui.

Hinc Appel. contr. D. Menz. pag. 6. q. 87. Christum non esse partem Sacramenti cujus autor est. Respondet Dn. D. Affelm. in Exam. consc. Rhuel. pag. 64. per ἐνάσεων Christum seipsum sacrificantem Deo in odorem gratum Eph. 1, 2. esse, non modò materiam sacrificii vel ipsum sacrificium, Ebr. 7, 27. sed & causam sacrif. efficientem Ebr. 9, 12. & Sacerdotem Ebr. 5, 5. August. l. de fide ad Petr. Diacon. c. 2. t. 3. Op. p. 288. Unus Christus Sacerdos per quem sumus reconciliati, sacrificium quo reconliati, templum in quo reconciliati, Deus cui reconciliati. 2. SS. in baptismo est autor Luc. 2, 2. 3. est & materia cœlestis Matth. 28, 9. Est denique fructus baptismi Tit. 3, 6. E quibus facilè est directè respondere.

X. Omne instrumentum habet activitatem.

Omne instrumentum habet activitatem.

Huic oppositum est illud Sadaelis. *Instrumentum nullam habet activitatem.* Subsumo:

sumo: *Creaturæ sunt instrumenta Dei in peccando. E. Deus unicè peccabit. Minor* itidem est *Calvin. quorundam. Conclusio* v. est absurda & blasphema. Fingit a. istud principium *Sadaël.* ut probet *nullum effectum Spiritualem Sacram. tribui posse. Vol. op. th. 383.* Contrà: cui competit actio, eidem effectus rectè tribuitur. At instrumento competit *actio*, eaq; *duplex*: una *adventitia*, secundum quam operatur in virtute principalis agentis: altera *propria*, quæ illi secundum proprias dispositiones convenit. E.

Res corporea rei spiritualis causa esse non potest.

XI. Res corporea rei spiritualis causa esse non potest.

Abutuntur hoc princ. *Photin.* ad evertendum *finem baptismi.* Sed quo sensu id *verũ* sit, quo *falsum*: & alia hujus generis principia videsis apud *Kesl. in Met. Phot.* Breviter: Rem corpoream & à materialem à causâ summâ evehi posse ut producat effectus spirituales instrumentaliter, nulla est repugnantia. Et quomodo possunt simpliciter istud negare *Photin.* quum ipsimet Christum φυλὸν ἀνθρωπον, ut credunt, agnoscant causam spiritualium effectuum? Sed nos heic subsistere cogimur.

SERIES SECUNDA

Affectionum disjunctarum, in quâ sunt Principales Mediatæ.

Disputatio XII. publica. Respond. Johanne Mautnero Pannonio.

MEdiatas affectiones vix erit commodiùs proponere, quàm juxtà ordinem affectionum unitarum, cum beneficio earundem enuncientur de Ente. Hâc methodo non saltim licebit feliciùs indagare formalem rationem affectionum, sed & faciliùs erit tyroni numerum, ordinem, & indolem affectionum disjunctarum, cognationem denique cum unitis memoriâ comprehendere. Mediant autem ex unitis, vel *primariæ*, vel *secundariæ*. Et *istarum* tum *absolutæ*, tum *relatæ*. Quâ *absolutas* ratione *perfectionis* dicitur 1. Ens *Completum* vel *Incompletum*; ratione *unitatis*, si ἁπλῶς consideretur, denominatur 2. *Ens simplex*, vel *compositum*. si συγκριτικῶς 3. *Idem* vel *Diversum*. Quâ *Relatas*; ratione *Veritatis* denominatur 4. Ens *naturale* vel *artificiale*; ratione *Bonitatis* 5. *finitum* vel *infinitum*. Quum mediant *secundariæ affectiones unitæ*, denominatur Ens à *Duratione* quidem 6. *Successibum* vel *Permanens*; ab *Ubietate* verò 7. *Circumscriptum* vel *Incircumscriptū*. Quas omnes hâc unâ disputatione συνοπτικῶς proponemus.

CAPUT XVI.

De Completo & Incompleto.

E *Perfectione* diximus resultare denominationem *Completi* & *Incompleti*, quod haud gravatim admittent, qui cognoverint rerum perfectionem vel esse in sese terminatam, vel ad complementum alterius ordinatam. Inde completi & incompleti denominatio.

Completum quid?

I. Completum est, quod habet essentiam naturâ suâ in sese terminatam.

Completum sumitur heic non *participialiter*, pro eo quod completum est ab alio complente, tum *effectivè*, tum *constitutive*; sed *nominaliter*, pro omni eo, quod esse terminatum habet in sese, sive per seipsum sit, sive ab alio acceperit idem. Non est autem hîc completū idem quod consummatum vel perfectum, vel totum, licet aliàs hisce æquipolleat. Nam non omne consummatum & perfectum est completum; nec omne completum pars est, ut *genera completa sunt*, *non partes*, cum directè sint in *prædicamento*, & apprehendi soleant per modum Entis totalis. Sed *duo* sunt *Completi* περιεχόμενα. *Completi requisita.* *Prius* est *affirmativum*, sive ut habeat essen-

sentiam in se terminatam, non quidem Essentiæ finitudine: sed absoluta essentiæ ratione, quam explicat *posterius negativum*: quod non sit ordinatum ad alterius perfectionem, scil. *essentialiter*, & *per se*. Hinc λόγῳ quamvis ordinetur ad constituendum ψευδῶνυμον, Entis incompleti nomine venire non debet, quia & in seipso est terminatum, neque amittit propriè intrinsecum terminum, quem ante unionem habebat: nec essentialem habitudinem de se obtinet ad humanam naturam: quin nec ullo modo pendet ab humanitate vel in esse, vel in aliquo essendi modo. Confer *Svarium disput. 33. s. 1. n. 22.* Sic omnis *species & omne totum* est *Ens completum, scil. in essendo.* Quid verò *Completum* in *subsistendo* sit, pars specialis aperiet.

Quid Incompletum

II. Incompletum, quod non habet Essentiam in se terminatam.

Proinde *essentialiter* ordinatum est ad alterius complementum, adeoq; omnis pars integrans actu talis, omnisque pars essentialis, sive actu, sive aptitudine. Solet alioquin *Incompletum triplex* constitui: *Hyperphysicum*, quod ita incompletum est,

ut adhuc possit separatim existere, ut est anima rationalis; quæ secundum quid solum, verè tamen incompleta dicitur. Nam destinatione naturali complet esse humanum; quam potentiam retinet etiam in statu separationis. Quæ potentia non est *saltim Logica, seu repugnantiæ: (uti aqua separata à flumine habet potentiã ad unionem cum massâ illâ reliquâ, & tamen ea de causa nequit dici incompleta)* sed *positiva, & Physica, propensionis ac dependentiæ*, Quæ quidem propensio animæ separatæ ad corpus à naturâ est, verum non potest compleri per naturam, sed solummodò virtute divinâ, ut in resurrectione mortuorum olim continget. Distinguendum ergo est inter *appetitum* & ejus *complementum. Illum* dicimus *Physicum: hunc* è Scripturâ credimus *planè hyperphysicum.* 2. datur *Incompletum Physicum*, quod item potest separatim existere, ut sunt *materia & forma materialis.* 3. *Logicũ*, ut *differentiæ.* Nam quum differentia non possit aliter apprehendi, quam per modum adjacentis & essentialiter aliud complentis, verè Incompleta dicitur.

Fig-

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I. Incompletum est nomen imperfectionis. *Incompletum est nomen imperfectionis.*

Infert enim *dependentiam* ab alio: & habet rationem *Partis*. Hinc ergò tantæ perfectionis non est, quam obtinet Ens completum, adeoque συγκεκριτικῶς *nomen imperfectionis* dicitur.

II. Ex duobus completis non fit unum per se.

1. Quæ sunt *diversæ naturæ*. Nam duo completa unius naturæ (in toto similari) possunt unum constituere. 2. intellige completa *absolutè & in subsistendo*: non quæ completa saltim in essendo. Ea enim possunt adhuc se habere ut actus & potentia.

CAPUT XVII.

De Simplici & Composito.

QVid *Simplex*, quid *Compositum*, quæve *Compositionis distinctiones*, ut & *consequens* inde *denominatio partis (componentis)* & *totius (ceu compositi)* explicandum erit.

I. Simplex est, quod habet Entitatem indivisibilem. Compositum quod divisibilem. *Simplex & Compositum.*

Dicitur *Simplex* ; quasi *sine plicâ aut complicatione rerum diversarum.* Est enim indivisibilis Entitatis ; nec resolvi potest in plura : scilicet quæ essentialiter inferiora sint, vel tanquam incompleta unum completum absolvant, & seorsim sumta realiter ab eo, quod in ista resolvitur, distinguantur. Ideo compositum erit, quod constat ex pluribus in quæ resolvi potest. Est autem *Simplicitas* vel *Absoluta*, vel *restricta*. *Absoluta* intelligi potest vel *præcisivè*, vel *positivè*. *Ista* dicit indivisibilitatem abstractionis, Estque eorum, quæ in se non sunt composita, possunt tamen aliorum constitutionem ingredi : qualis Simplicitas est in *Transcendentibus*. *Hæc est* indivisibilitas perfectionis, quæ omnem compositionem excludit, nec in constitutionem extrinsecam aliorum venire potest : quomodo *solus* Deus *est simplicissimus*. *Restricta Simplicitas* est, quæ in certo genere Entis est. In *genere Entis*, inquam : nam quæ in genere corporum negatione mixtionis definitur, potius quædam est compositio, quam simplicitas. Heic verò adhuc negantur distinctæ res componentes, vel plures partes realiter diversæ in unum

num concurrentes. Et *substantiis spiritualibus tribuitur, nec non accidentibus incomplexis; & differentiis ultimis. Scaliger* triplex facit *Simplex; Summum, Imum, & Medium. Summum simplex est*, quod nullius indigens, ut *Deus. Imum*, quod omnium est indigens, ut *Materia. Medium* quod mediæ naturæ est, ut *Angeli & Hominum animæ*, quæ inferius respectu corporum simplices; superiùs respectu Dei compositæ sunt.

II. Compositio alia est propriè dicta, alia Impropria. Impropria est 1. Compositio accidentalis, quæ Subjecti & Accidentis, vel accidentis & accidentis. 2. Compositio intellectualis, ut quæ ex esse & essentiâ, è genere & differentia. Propria est, distinctorum mutuò sese excludentium unio. Estque in substantiis finitis ex naturâ & suppositorum: aut speciatim in corporeis; eaque vel totius ex materiâ & formâ; vel partis, materiæ scil. ex partibus integrantibus. *Compositio*

Compositi. distinct.

Compositio heic non designat actum *ex-* *Compositio trin-* *quid?*

trinsecum efficientis, sed intrinsecum terminorum constituentium: estque velut simul positio seu conjunctio plurium unum tertium constituentium. Ideoque propriè definitur *distinctorum mutuò sese excludentium unio.* Et proinde sunt *ad compositionem realem requisita. 1. Termini componentes* sint *reales. 2. realiterq; distincti. 3.* qui se *respiciant ut actus & potentiæ. Reales*; quum non Entis nulla sit affectio. *Realiter distincti*: Si enim non distinguerentur realiter, non realis, sed rationis esset compositio. *Compositio est quasi multorum unio.* Si verò hæc multa non distinguantur realiter, utique non erunt multa realiter. Denique ratio *actus & potentiæ* ad unionem requiritur, ut dictum, ubi de *unione* egimus. Hinc ex actu & potentia non exurgit quædam specialis compositio, sed diffundit solum sese per omnes compositionis modos, quatenus in omnibus potest notari aliquid quod sit determinans, & aliquid determinabile. Proinde impropriæ sunt *Compositiones.*

compositionis modi.

1. Accidentalis, quæ est, quum plura conjunguntur in unum per accidens: qualis est compositio è subjecto & accidente; & concursus diversorum accidentium

in

in eodem subjecto. 2. *Intentionalis seu rationis* compositio, quum termini componentes non nisi ratione distinguuntur. *Mendozæ* definitur *Cognitio componens atq; conjungens duo objecta ratione distincta, ex quibus resultat tertium.* Proinde non requirit hæc compositio, ut res sint compositæ compositione objectivâ, id est, de se & citra mentis operationem; sed de conceptibus formalibus inadæquatis, seu de cognitione nostrâ. Ideoque termini componentes dicuntur partes rei, non ex parte objecti, sed ex parte nostræ cognitionis, quæ cum nimis imperfecta est, potest penetrare simul objectum & omnia illius prædicata intrinseca. Ut ut ergò termini illius reales sint: prædicantur quippe verè & realiter de Entibus realibus, debent tamen non differre realiter, adeoque non possunt separari. Notandum verò quod Compositio ista dicatur nonnullis realis non in genere compositionis, sed in genere Entis: quia talis compositio verè sit actus intellect°; cõmodi° appellatur *virtualis*.

Ejusmodi *compositio* est 1. ex *esse & essentia.* *Compositio ex Esse & Essentia.*
Prout in rebus quibusvis concipiam distinctè id quo sint, ab eo quod sunt; vel,

ut alii intelligunt, essentiam (quà possibilis) ab existentiâ (ſ. essentia actuali.) Quum tamen in re ipsâ unum & idem sint. 2. ex *genere & differentiâ*, quod omnis species constat ex conceptu latiori & æquali. Competit n. hæc compositio rei à parte saltim conceptus. Nam à parte rei nihil est contrahibile; cum omne quod sit, singulare sit. Ideoq; genus, quà universale, non est in rebus. Hinc colligitur, quod potentialitas, quæ generi tribuitur in ordine ad differentiam ipsi non conveniat ratione rei, sed in abstractione per intellectum. Et confirmatur: Quæcunq; à parte rei realiter sunt unum & idem, illorum unum non potest esse in potentiâ ad alterum, nec unum potest contrahere alterum. At genus & differentia à parte rei sunt realiter idem. Neque plus est perfectionis in uno, quam in altero, quatenus sunt à parte objecti. Sed quia intellectus distinguens & ea, quæ non sunt realiter distincta, præscindit unum ab alio, considerans rem ut perfectibilem & contrahibilem, eandemq; alio sub conceptu, ut perficit & contrahit: ideoq; dicitur differentia perficere genus non objecti-

ex genere & differentia.

vè,

vè, sed per intellectum. Quocircà compositio ex genere & differentiâ non arguit imperfectionem in Objecto, sed tantum in modo concipiendi nostro. 3. *Ex naturâ & Suppositio.*

Ex naturâ & suppositio. Hæc compositio prout in abstractione consideratur, & generaliter itidem non infert diversitatem à parte rei: quum & in Deo considerare possimus naturam & suppositum seu personam: in creatis tamen, & in specie absolvit speciem compositionis realis: quum termini sint realiter distincti, quod patet è separabilitate. Nam potest suppositalitas à naturâ separari, cujus exemplum habemus in mysterio incarnationis: siquidem natura humana destituatur propriâ personalitate. Sed hæc melius intelligentur è parte Metaph. speciali. 4. E *subjecto & attributis*, quod iterum in abstractione intelligendum. Nam ubi attributa sunt accidentia distincta realiter à subjecto, accidentalis compositio resultat. At cum attributa transcendentia & eminentia cum subjecto suo conferuntur, nonnisi rationis operâ distinguuntur: ideoq; si compositio concipienda, merè intentionalis erit dicenda. Pariter denique 5. *ex attri-*

E Subjecto & attributis.

tri-

Ex attributo & attributo.

tributo & attributo. Quum enim in essentiâ diversa cogito attributa: ſ. eandem essentiam diversis inadæquatis conceptibus repræsento, datur quædam cognitio componens atque conjungens, quæ ratione saltim distincta sunt. Sed hi modi omnes improprii sunt. *Proprij Compositionis modi* sint, qui in theor. notati, ceu sunt in substantiis finitis compositis è natura & suppositо, de quo jam dictum. Speciatim verò in corporeis, tum quà totaliter considerantur, tum quà partialiter, ratione materiæ, ibi est compositio ex materiâ & formâ: hic ex partibus integrantibus. *Ista* infert *totum Essentiale, Hæc totum integrale.* Sed ea constabunt è *totius* naturâ. De quà jam agendum.

Proprii compositi. modi.

Totum quid? & quotuplex?

III. Totum est, quod partes habet sibi debitas. Estq; Commune vel Singulare. Commune tum Essentiale, tum Integrale. Essentiale quod constat ex partib⁹ essentiam totam constituentibus. Integrale, quod ex partibus quantitativis constat. Singulare, est totum personale & sacramentale.

Com-

Totius distinctio.

Compositum terminos componentes infert. Hi solent quoq; *partes* indigitari, uti ipsum *compositum totum.* Dicitur a. *totum multifariam.* ideò enumerari solet *1. totum perfectionale,* quod sine partibus totum, ut Deus. *2. Potentiale,* quod plures potentias in sese continet, ut anima ratione facultatum suarum. *3. Universale,* quod inferiora sub se cõtinet, per modũ attributionis essentialis, ut genus & species. *4. Numerale,* quod ex pluribus unitatibus constat, ut numerus. Sed hæc omnia saltim æquivocè totius nomine veniunt. *Perfectionale* enim partes excludit. At non partium carentia, sed partium unio dat toti essentiam. *Perfectiones* n. singulæ solum dicunt essentiam. Ideo *Plato* Deum prorsus noluit vocare totum quid, quia videtur imperfectionis aliquid insinuare. *Potestativum* facultates plures infert, quæ itidem non habent rationem partium. quod si ratione diversarum facultatum quid denominatur totum cur non anima dicatur *totũ potestativum,* ratione diversorum habituum, quĩ sunt πλειόνων potentiarum? Et reverà totum hoc in se simplex est, nec aliâ ratione totum vocatur, nisi quod, cum

plu-

plures operationes edat, nos ex actibus secundis primos colligamus, & consequenter in re illâ verè in sese simplici cõcipiamus. Adde quod hęc denominatio nimis sit materialis, quæ à potentiis desumitur. A diversitate a. materiarum non debet desumi constitutio totius. Universale actu nullas includit partes, nec distinguitur ab iis, quas virtute complectitur & omnibus & singulis realiter. At *totũ proprie dictum à quavis sui parte differt realiter.* Dicuntur a. *species* ratione *generis*, & *Individua ratione speciei partes subjectivæ*, quod subjiciantur iisdem, quodq; illa hæc suo ambitu complectantur. *Numerale* s. *Arithmeticum* totum non est Ens per se, sed per accidens. Ideoq; itidem totum *improprie* dicitur. Remotis ergò quæ *æquivocè* dicuntur, propria *totius ratio* his duobus absolvitur juxta *Thomam*, 1. ut *per partes constituatur*. 2. ut *partes in toto uniantur*, quod ex *theor. anteced.* manifestum. Totum a. est in *duplici differentia. Singulare & Commune. Hoc*, quod in naturâ dicimus, est 1. *Essentiale*, quod constat ex partibus essentialibus s. principiis essentiam totam complentibus, ita ut unâ parte sublatâ tollatur totum. Id

Totius requisita.

Totius division.

quod

quod propriè dicitur de corpore naturali, quod *materiâ & formâ* constat: vocant *totum Physicum*: impropriè verò etiam de toto *Metaphysico*: quod *genere & differentiâ*, *item actu & potentiâ* dicunt constare, ut *species prædicamentales ex genere & differentia constant*, *angelus ex actu & potentiâ*. quum enim ibi non habeat locum partium ratio, existimo saltim impropriè hæc ad totum essentiale revocari. 2. *Integrale*, quod ex *partibus quantitativis* constat, ut de composito dictū, quod erat hujus generis. Alii *totum integrale* dicunt fieri; vel per *continuationem*, ut in *corpore humano*, vel per *contiguitatem*, *ut in mundo*; *vel per contactum*, *ut in domo*; *vel per ordinem*, *ut in exercitu*. *quibus adde* quod fit per *subordinationem*, ut in toto analogo integrali, quod partibus intensivis, quas vocant, sibi subordinatis constat, quomodo Philosophia totius nomine venit. Verum cum reliqua omnia quiddam per accidens inferant, solum primum propriè Totum dicitur, in quo partes uniuntur per modum continuitatis. Estq; hoc totum vel ὁμογενὲς s. ὁμοιομερὲς καὶ ὁμοιωδὲς, quod eandem habet cum partibus suis essentiæ de-

scri-

scriptionem; ideò partes ejus dicuntur similares, ut quævis pars aquæ est & dicitur aqua. vel ὁμοιομερῆς, ut corporis *humani partes Cor, Epar, Caput. Scal. l. 1. de Plant. p. 168.* vocat totum *consimile & condissimile Arist. l. 2 de gen animal. c. 1.* totum *inorganicum & organicum. Singulare totum est*, quod in scripturâ nobis proponitur: ubi potissimum *duplex* observamus *Personale*, quod est Christus θεάνθρωπος, & *Sacramentale*, ut totum id, quod in Sacramento constat materiâ cœlesti & terrenâ. De quibus *Theologi*. Ubi tamen observandum: quòd hæc saltim per analogiam è naturâ totius explicari debeant, nec omnia sint applicanda, quæ in aliis modis reperiuntur. Sed potius præscindendæ quæcunq; aliàs reperiuntur imperfectiones.

Totum singulare & mysticum.

Pars quid.

IV. Pars est quæ totum constituit.

Quia *relata* se mutuo definiunt, è naturâ totius facilè quid & quotuplex sit pars, cuivis obviam est. Hinc toti *perfectionali perfectiones, potentionali facultates, Universali partes subjectivæ, numerali unitates* respondent, quæ vicem partium habent. Sed *impropriè*. Toti essentiali partes

tes eſſentiales, *integrali* integrales; *proprio* extenſivæ, *analogico* intenſivæ tribuuntur. Sed hæc manifeſta ſunt.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

Quicquid eſt ſimplex eſt vel cõpoſitum.

I. Quicquid eſt, ſimplex eſt vel compoſitum.

Nam omne quod eſt, unum eſt: Unitas autem dicit indiviſionem. Entitas verò indiviſa, vel eſt indiviſa *indiviſibilis*, vel indiviſa *diviſibilis*. *Iſta abſolutè ſimplex*, hæc *compoſita* dicitur. Ideò *ſimplicitas ſummus eſt unitatis gradus*. *Compoſita* verò non aſſequuntur iſtum gradum unitatis. Proinde *ſublimior eſt unitas in ſimplici quam in compoſito*. Et porrò perfectius eſt ſimplex compoſito. *Virtus enim unitæ nobilior*; & quo magis quid accedit ad ſummam illam unitatem, eò perfectius eſt. Adde quod *ſimplex* dicatur, *quod eſt ſine plica rerum diverſarum*. Id verò perfectiſſimum eſt, quod ſe ſolo eſt, nec aliis conſtat: ut actus purus, qui caret omni paſſivâ potentiâ, ob iſtam ſimplicitatem eſt perfectiſſimus. Contrà *Compoſitum eſt nomen multiplicis imperfectionis*: Importat enim *dependentiam*, tum *extrinſecam*, ab efficiente, cùm nullum compo-

Compoſitũ eſt nomen imperfectionis.

situm sit à se ipso: tùm *intrinsecam* & illam quæ est mutuò inter partes, quâ una partium dependet ab alterâ: & illam, quæ est totius compositi à partibus constitutivis seu componentibus. Sed id absolutè intelligendum & in genere Entis, non definitè, ratione corporum. Nam corpora composita possunt esse nobiliora simplicibus, ut mixta Elementis. Sed Ens compositū ejus perfectionis nunquam est, quæ reperitur in Ente simplici.

Simplex prius est composito.

II. Simplex prius est Composito.

Nam simplex vel ingreditur constitutionem compositi; vel est ejus causa efficiens. Ideò si non temporis, saltim *naturæ* prioritatem obtinet. Ita *Elementa* priora sunt *naturâ* corpore naturali, cujus constitutionem ipsa ingrediuntur. *Deus prior est rebus creatis*, quarum causa efficiens est, &c.

Summè simplex solum omnis expers est compositionis.

III. Summè simplex omnis compositionis expers est, reliqua suo modo composita sunt.

Compositionem *1. Realem. 2. Rationis*, si quæ importat aliquam imperfectionem, removeo ab *Ente summè* simplici, quip-

quippe quod ob perfectionem suam omnem compositionem omnemq; imperfectionem excludit. Ideò *Deus* non est *compositus* ex *materiâ & formâ* vel ex *partibus quantitativis*, cum ne quidem *intelligentiis* competant hi compositionis modi. Non *ex natura & supposito*: in quantum illa quandam imperfectionem & realem compositionē important. Quæcunq; enim rem verè componunt, ea ab invicem separari non repugnat. Sed in Deo nihil est, quod à Deo separari possit. Quare licet Deo tribuatur denominatio naturæ, & in Deitate distinctæ personæ asserantur, nulla tamen realis ex naturâ & supposito in Deo fingenda est compositio. *Cum persona divina sit summè simplex, & nullo modo composita partim quia ibi proprietas transiit in perfectam identitatem realem essentiæ divinæ: partim quia essentia divina ex se est simpliciter in ultima actualitate.* Multominus Deo tribuenda est Compositio ex *subjecto & accidente*, nec ex *accidente & accidente*. Nam accidens non potest rei convenire citra *mutationem*. Deus a. est immutabilis. Accidens est *diversæ essentiæ* à subjecto suo. Nihil a. est in Deo, quod sit diversæ à

Deus non est compositus.

Ex naturâ & supposito.

Non ex subjecto & accidente, vel accidente & accidente.

Deo essentiæ. Alioquin Deus non esset unus, nisi *per accidens*. Omne n. accidens supervenit rei in esse suo constitutæ; ideoq; infert unitatem accidentalem, & per accidens. Cæterum quod attinet *compositionem rationis*, quæ *de se* nullam infert imperfectionem, non video, cur eadem in Ens summè simplex cadere nō possit. Nam quid aliud est rationis compositio, quàm *rei in se unius & simplicis in diversis conceptibus repræsentatio?* quæ sanè non *rei*, sed *intellectus* nostri imperfectionem arguit. Ita quum mens nostra in Ente summè simplici, velut partitur id quod est de quidditativo conceptu, & reliqua, quæ non pertinent ad conceptum quidditativum, uti partitio ista est non rei, sed rationis, sic & compositio supponitur non realis, sed rationis. Non enim posset ista partiri mens nostra, nisi conjuncta essent in re ipsa. Quum vi sint conjuncta in uno simplicissimo: distincta esse nequeunt realiter. Quocirca nihil obstat, quò minus de Ente summè simplici formem conceptum *quidditativum*, *ac Synonymicum*, nec non *conceptum attributivum ac paronymicum*; *& isto præcisè* ipsam *quidditatē* repræsentē, *hoc v.* quod

Compositio rationis Deo non repugnat.

juxtà

juxtà noſtrum intelligendi modum eſt velut *conſequens ipſius quidditatis*. Porrò quum unus conceptus non includatur in alio, diſtinctè oportet concipere *attributa* etiam *Entis ſimpliciſſimi*; imò & diſtinctè licet repræſentare *conceptus quidditativos, communem & proprium, inadæquatum & adæquatum*. Ut enim *illic* attributum unum diſtinguitur ab altero, ita *heic* conceptus quidditativus communis diſtingui debet à proprio; ob diſtinctam cognitionem. *Ibi* eſt compoſitio *rationis ex attributo & attributo*, *hic* itidem eſt *rationis* compoſitio, quam vocant, *è genere & differentia*. Peculiarem n. conceptum habet genus, peculiarem etiam differentia: *Conceptus differentiæ eſt extra conceptum & rationem generis*; ſed inde nulla infertur in Objecto imperfectio. Nam quæ in objecto ſunt idem realiter, & quorum unum non eſt extra rationem alterius; imò nec eſſe poteſt ea *diſtinctâ cognitione* poſſunt evolvi. Cognitio a. rei diſtincta nullam importat in *objecto*, quod cognoſcitur, imperfectionem. *Præterea* compoſitio rationis eſt tantum *denominatio extrinſeca*. *Ideò* de *ſe* non importat quandā imperfectionem in objecto denomina-

Compoſitio è genere & differentia non repugnat Deo.

to. *Consequentia* est evidens. quum denominationes extrinsecæ nihil mutationis inferant in objectum. *Antecedens* probatur. quia compositio rationis ita denominat rem, ut tamen sit extra eam, ideoq; merè extrinsecè. Objectum enim ex parte sui non habet compositionem rationis, adeoque non est compositum per intellectum. Nam implicat aliquam, compositionem vel distinctionem esse rationis, & tamen esse non in intellectu vel ratione: sed extra *eam* in objecto. Ibi n. est *compositio rationis formaliter*, ubi est *distinctio conceptuum*. At illa est unicè in intellectu. Sed de his *alias*. Quod a. in *Poris.* dico: *res cæteras, præter Ens summè simplex, suo modo esse compositas*, id per se planum est. Quod n. non est summè simplex, id est saltim *secundum quid* simplex: & proinde quodāmodo est compositū. Ita *Substantiæ Spirituales* licet absolvantur à materiâ & partibus quantitativis, non tamen ab omni compositione, sunt quippe compositæ è *naturâ & supposito* ex *actu & potentiâ*. Substantiæ *materiales simplices* tametsi non sint compositæ ex *Elementis*, compositæ tamen sunt ex *materiâ & formâ, &c.*

IV. Di-

IV. Distinctio non arguit compositionem.

Nam ad compositionem requiritur, ut partium componentium una sit extrà alteram. At quædam distincta inter se realiter etiam distinctione, non habent istam conditionem, ut unum eorum sit extra alterum. E. quædam inter se realiter distincta possunt in uno dari citra compositionem realem. *Prætereà*; omnis realis compositio constat è partibus vel extremis divisibilibus; & vice versâ: quæcunq; non possunt ab invicem separari, illa non inferunt compositionem quandam. At dantur quædam distincta realiter, unius essentiæ numericæ, quæ sunt simpliciter inseparabilia. Illa ergò nullam important compositionem. *Assumtionis* veritas constat è *mysterio SS. Trinitatis*. Ibi n. dantur tres personæ realiter ab invicem distinctæ: sed quoniam una sit in alterâ per mutuam περιχώρησιν, nec possit esse extrà alterâ, adeoq; una sit inseparabilis ab alterâ, vel reliquis, ob cõmunem essentiam ἀτόμου individuam, quum ita sint plures, & ita realiter distinctæ: ut ista pluralis & realis distinctio

Distinctio non arguit compositionem.

radicetur in essentiâ simplicissimâ, summè unâ; imò ut plures illæ & distinctæ personæ non distinguantur realiter ab istâ essentiâ simplicissimâ & unissimâ. *Proinde* quemadmodum essentiæ communitas non tollit simplicitatem: ita personarum distinctio & pluralitas non infert compositionem. *Denique* si simplicitas non evertitur distinctione, utique nec distinctio inferet compositionem. ἔνδηλον. *At verum antec.* Quicquid enim de se non importat Entitativam divisionem, id quâ tale non labefactat rei simplicitatem. *Servatur namq; simplicitas, dum servatur Entitativa indivisibilitas.* Atqui distinctio realis non importat de se Entitativam divisionem, quum detur etiam inter ea quæ sibi mutuò sunt incommunicabilia, quantumvis sint ejusdem essentiæ. Ista verò utique sunt realiter distincta. *Ergo* realis distinctio non labefactat Dei simplicitatem: proinde nec infert compositionem.

Totum non est pars & vice versa.

V. Totum non est pars, & vice versâ.

Verum est de toto *essentiali, integrali,*

vel

vel analogo & singulari. Totum enim est, quod constat ex partibus. Idem verò nequit suiipsius compositionem ingredi. Sed totius *Universalis* alia est ratio. Nam *totum Universale* communicat essentiam suam partibus; & *partes subjectivæ* essentialiter imbibunt naturam totius Universalis. v. c. *genus speciebus sese communicat; species imbibunt naturam genericam.* Ideò genus prædicatur de speciebus essentialiter. Hinc constat, partem essentialem vel integralem non posse totius sui genus esse. Pars enim ejusmodi non est totum, nec prædicari quit de toto in casu recto & essentialiter. Proinde pessimè definit *Bellarminus Sacramentum, quod sit res sensibus subjecta, ut visibile elementum,* quod est saltim altera Sacramenti pars, generis locum occupet: æquè ac si *Christum* describere vellem, quod sit *natura humana*, quum natura humana sit tantum altera pars Θεάνθρωπου. Idem esto judicium de *Zvvinglianorum* definitione, quâ *Sacramentum* describunt *per signum visibile.* *Bellarminus male definit Sacramentum.* *ut & Calviniani.*

VI. Quod non est partis alicujus, id toti tribui nequit.

Dist.

Quod non est partis alicujus id toti tribui nequit.

Dist. *Prædicata*, quæ toti *formaliter*, & quâ *tali* competunt, in quantum contradistinguitur partibus; à prædicatis, quæ toti competunt *materialiter*, in quantum constat partibus, & realiter non differt à partibus simul sumtis & unitis. *Prioris generis* prædicata totius *propriè* sumti, ad definitionem & conceptum ejus pertinent; adeoque partibus tribui non possunt. Ita dicitur de *toto*, quod *constet pluribus partibus*, *quod sit majus suâ parte*, &c. quæ dici non possunt citra absurditatem de parte quadam totius. *Posterioris generis* prædicata competunt toti propter partes, *sive aliquam partem*. Ideoq; necessariò etiam parti alterutri vel utrique competũt. Nam propter quod unumqpodq; est tale, illud magis tale est. Proinde urgeri possunt hoc principio *Calvinistæ*, quum *exaltationem Christo competere adserunt*, ut edisserant: *utri naturæ competat exaltatio?* Tergiversantur quidem, & in persona subsistunt. Verum quum persona non sit *tertium quiddam realiter distinctum à naturis*, necessum est, ut ad naturas descendamus, & dispiciamus; an ratione utriusq; naturæ, num verò ratione alterutrius naturæ, & si hoc, utrum, ratione divinæ, an ra-

ratione humanæ naturæ Christo adscribatur exaltatio?

VII. Ubi totum est; ibi omnes ejus partes esse necessum est.

Ubi totum est, ibi partes totius esse oportet.

Iterum de toto *essentiali* & *integrali* intelligendum, & quidem de *partibus integrantibus principalibus*. Similiter de *toto*, quod vocamus *singulare*, quum id imitetur ingenium totius essentialis. Non verò de toto *Universali*. Potest enim *genus in unâ specie, species in in uno Individuo servari*. At *totum essentiale* nequit esse sine partibus essentiam constituentibus: imò id est de ratione totius propriè dicti, ut sit unum per unionem partium. Ubi ergò nulla partium unio, ibi totius expirat ratio. Unio autem salvari nequit, quando una pars est loco sejuncta ab alterâ. Quæ enim localiter separantur & distinguuntur, ea unita dici nequeunt, quum unio terminetur ad unum indivisum. Separata verò unum indivisum constituere nequeunt. Itaque nec totum. Quod contra *Zwinglianos* observandum; qui totum Christum ubique esse dicunt, ita ut non sit ubique humana Christi natura, sed solum Deitas. Atqui sola Deitas non est totus

Contra Calvin. negantes Christi humanitatem esse ubicunque Christus est

tus Christus & ubicunque est Deitas sola, ita ut ibi non adsit humanitas, ibi certè Christus adesse nequit. Christus enim τὸ συναμφότερον νοεῖται, *nec est Christus sine humanitate suâ.* Ubi sola Deitas est, ibi λόγος est, non ἐνσαρκος, sed ἄσαρκος. Et ita habebimus λόγον ἄσαρκον præsentem, non verò Christum θεάνθρωπον. Absurdum! Quocirca absonum quoque erit illud *Alsted. Encycl. lib. II. p. 1. c. 24. Non totum Christi, sed totus Christus ubique est.* Pessimè abutitur distinctione *Damasceni*, quæ habetur *l. 3. Orthod. fid. c. 7.* inter τὸ ὅλος & τὸ ὅλον. Nam *Damascenus* ea applicat ad *essentiam* & *attributa essentialia*, non ad *præsentiam.* Rectè dico: *Totus homo intelligit, non verò totum hominis.* at pessimè dicitur: *Totus homo præsens est, non totum hominis.* Ubi enim totus homo est, ibi omnes ejus partes adesse necessum est, ob rationes adductas, quæ tantò efficacius concludunt de Christo, quantò arctior & intimior est unio *personalis*, quam *naturalis*, siquidem facta sit ἀδιαστάτως, ἀδιαπαύστως, ἀδιαλύτως, ἀχωρίστως, & cum mutuâ naturarum immanentiâ & περιχωρήσει intimâ. Nec dici potest, quod sit *partialis* saltim unio; quum tota caro

cato toti λόγῳ, & totus λόγος toti carni sit *unitus totaliter*. Obiter observandum quod nõ placeat *Maccovio* ista distinctio: *Collegij Theol. quæst. miscell. anno 1622. disp. 8. disp. Coroll. 3. Istæ voces totus Christus, & totum Christi eadem planè sunt. Nec ergò verum erit illud, quod aliqui dicunt: Hæc propositio, Totus Christus est ubique est vera. At hæc, Totum Christi est ubique, vera non est. Nam utraq; falsa est, & hæc & illa. Totus enim Christus constat ex divinitate & humanitate, ac proinde dicere, quod totus Christus sit ubique, nihil aliud est dicere, quam Christum, & secundum divinitatem & secundum humanitatem ubiq; esse.* Et allegat *Piscatorem*, qui dicit: *Ad hanc quæstionem verè responderi aliter non potest, quàm sic: Christus non est totus ubique, sed ex parte tantum Deitatis.* Quod uti omnes fateri coguntur, quicunque non dubitant animi sensa candidè exponere è Reformatis, ita quivis facilè exinde colligit, quid animo foveant homines isti, de θεανθρώπῳ præsentiâ in his terris, scil. non θεανθρωπον, sed λόγον ἄσαρκον nobis præsentem adesse, ἐνσάρκῳ Θεῷ unicè intra cœlestia conclusо pomœria. Nam quia Christus ex parte tantum Deitatis adest, Deitas nuda ade-

Totus Christus & totum Christi Maccovio idem sunt.

aderit, & proinde ἄσαρκος. Ubi enim non est cum divinâ naturâ humana, sed sola est divina natura, ibi certè eadem non est humanitati personaliter unita.

Pariter refellitur ex hoc στοιχεῖω, *Zvinglianorum*, quod comminiscuntur, *Sacramentum*, cujus altera pars terrena heic in terris sit, ubi Sacramentum administratur, altera vero cœlestis in cœlis. Nam hac ratione Sacramentum heic non erit totum, sed tantum elementum terrenum. Proinde Eucharistiæ perceptio non tam in terris peragetur, quam in cœlis, vel si utrobique, necessum est eos, qui Sacramento fruuntur, in terrâ simul adesse & in cœlis, adeoque multipræsentes esse. Ex *Reformatorum multipræsentiam*.

Multipræsentia Calvinistica.

IIX. Ex personâ & naturâ à personâ illâ diversa oriri personam σύνθετον non repugnat.

Ex naturâ & persona potest resultare persona.

In *Socinianorum* gratiam hoc subjungo. Personam, inquam, in se perfectam, seu naturam personalitate suâ determinatam unà cum aliâ naturâ, quæ de se & naturaliter sit extra rationem istius personæ, ὑφισάμενον quoddam compositum, vel personam σύνθετον constituere, nullam

lam involvit repugnantiam. *Probo*: 1. Si persona de se perfecta in hypostasin suâ evehere potest naturam propriâ destitutam personalitate, citra repugnantiam, certè nulla etiam repugnantia erit, personam σύνθετον constitui è personâ de se perfectâ, & naturâ illa assumta. *Connexionis* ratio est; quod ejusmodi assumtio inferat unionem: Unio autem rerum diversarum quandam importat compositionem. (De eo saltim remanebit quæstio: *Quale futurum sit istud compositum?* Dico personam σύνθετον, quia jam non amplius persona solitariè subsistit extrà unionem, sed ob unionem commercium habet cum naturâ assumta, totumq; personale cum eadem constituit. De *nomine & terminis* litigandum non est, ubi *res* ipsa constat.) Sed *verum prius*, ut probavimus *Cl. 1. cap. 4. th. 9. pag. 298.* Ergo. 2. Natura ἀνυπόστατος potest naturæ alteri de se ἀνυποστάτῳ largiri hypostasin & subsistentiam. Ergo potest cum alterâ illa natura constituere unum ὑφιστάμενον. *Consequentia* est evidens. Nam per istam subsistentiæ communicationem fit, ut eadem hypostasi subsistat natura utraque, quum sit communicatio ejusdem subsis-

Probatur.

sten-

ſtentiæ per ſui participationem. Non autem poſſunt duæ naturæ eâdem gaudere hypoſtaſi, niſi ſint unitæ: & eo ipſo, dum eandē obtinent hypoſtaſin redactæ ſunt ad unum ὑφιστάμενον. *Antecedens* probo exemplis quibuſdā. *Ferrum in ſe ἰδιοσύστατον largitur igni ἐνυποστάτῳ actum ſubſiſtentiæ, quando ignitur. Sal aquâ dilutum propriâ non ſubſiſtit amplius ſubſiſtentiâ, ſed ipſius aquæ gaudet ſubſiſtentiâ.* Plura non addo. Si dicas, aliam rationem perſonæ eſſe, aliam reliquorum ſuppoſitorum. Fateor; quantū ad materiale. *Perſona enim eſt ἀυθυπόστατον naturæ intellectualis; ſuppoſitum verò dicitur quodcunque ἰδιοσύστατον.* Sed quantum ad formale omninò conveniunt, quum ſubſiſtendi incommunicabilitas non minus ſit formalis ratio ſuppoſiti quam perſonæ. Quod ergo ſubſiſtendi modum attinet, conveniunt, non differunt. Atqui de eo hoc unicè agitur. *Crell lib. de uno Deo Pat. ſ. 2. cap. 6.* urget, *De eſſentiâ ſuppoſiti ac porro etiam perſonæ eſſe. ne ſit pars alterius. Fieret autem hoc modo ſuppoſitum pars alterius, ſi è naturâ & perſonâ aliquod prodiret ὑφιστάμενον.* Proinde arguit: *Filij Dei perſonam deſiſſe eſſe perſonam, quando evaſit pars Chriſti*

Crellius notatur.

sit ex humanâ & divinâ naturâ constituti. Resp. negando consequentiam. Fides simplicissimè respondet: Hypostasis verbi facta est & carnis hypostasis, ita ut verbum & manserit quod erat, & factum sit, quod non erat; hoc est: Piè credit cum hypostaseos communicationem, tum immutabilitatem ejusdem, quod persona τῷ λόγῳ se communicarit naturæ humanæ, nec tamen quicquam mutata sit, nedum persona esse desierit, quandoquidem ita hypostasin communicarit, ut eandem non amiserit. Communicatio enim ista infert communem participationem hypostaseos ejusdem à naturâ utrâque hoc pacto: ut altera habeat istam hypostasin καθ' αὑτὸ & per se, altera verò κατ' ἄλλο & propter unionem. Quum itaque ὁ λόγος unâ cum naturâ humanâ constituit personam σύνθετον, ipse nō amittit personæ rationem, seu subsistendi incommunicabilitatem, sed eandem saltim communem facit cum naturâ assumta. Id quod nequaquam est contra rationem formalem personæ, incommunicabilitatem. Nam in ejusmodi communicatione non terminatur ulterius in esse ὑπόστασις communicata; quin potius ipsa terminat naturæ, cui communicatur, existentiam. Quomodo anima

Communicatio hypostaseos non tollit hypostasin.

separata, quæ in statu isto est ἰδιοϋσατος & persona propriè dicta juxta Crellium p. 57. in reassumtione corporis eidē communicat suum εἶναι ὑποστατικὸν, & cum eodem absolvit unum ὑφεστὸς σύνθετον, imò unam essentiam, non tamen dixerit Crellius animam propter istam communicationem, suam deperdere incommunicabilitatem, adeoque subsistentiam, eò quod non terminetur ipsa ulterius, sed potiùs terminet corpus, cui vicissim unitur.

Quomodo suppositum sit communicabile.

Proinde accuratè notandum: quod *suppositū sit incommunicabile*, non respectu *alicujus naturæ*, cui ut se communicet, nihil obstat, cæteris paribus, sed tantum ratione *alicujus per se subsistentis*. *Hujus* causa in aprico est, quia si alii subsistenti vel personæ, sese adhuc communicaret, tum certè ejusmodi communicatio foret ad terminum. Sed repugnat id quod ultimo terminatum est, denuo terminari, quatenus tale est. *Illius* verò rationem hanc damus: Quæcunq; communicatio non efficit; ut id, quod communicatur, ab alio terminetur, & ultimum actum substantialem accipiat aliunde, illa haudquaquā negat incommunicabilitatem, quæ est formalis ratio personæ. Atqui prædicta communicatio id nō efficit. E. Sed

in-

instat Crellius: *Per hanc communicationem evadere personam τ῀ λόγ῀ partem* ἀνθρώπ῀. *Id verò esse contra rationem personæ; quippe quæ non debet esse pars alterius.* Resp. *Persona* accipitur vel pro ὑποστάσει; quâ subsistit cùm divina tùm humana natura Christi; vel pro ὑφεστῶτι seu *ipso Christo*, qui constat divinâ & humanâ naturâ. *An* λόγ῀ *possit dici pars personæ Christi?*

Priori sensu dici nequit persona τ῀ λόγ῀ pars hypostaseos Christi; quia hypostasis ἀνθρώπ῀ non conflatur ex hypostasi λόγ῀ & carnis hypostasi; tum quod ejusmodi compositio, quâ ex duabus hypostasibus una resultet hypostasis, simpliciter sit impossibilis, tum quod caro propriam hypostasin à λόγ῀ hypostasi distinctam non habeat. Sed est illa hypostasis ipsa ξ λόγ῀ hypostasis, cum assumtâ humanâ naturâ realiter communicata. Neq; enim Christus est *ex aliis aliud*, neq; perfectissima hypostasis ξ λόγ῀ potest fieri pars alterius. *Posteriori* sensu non quidem accuratè, sed ὡς ἐν πλάτ῀ dici potest, quod pars ἀνθρώπ῀ vel ὑφεστῶτ῀ istius, quod naturâ humanâ & divinâ constat, sit persona ξ λόγ῀, vel potiùs ipsa *natura divina*: utpote quod unio sit naturarũ. Sed observandum: *Partis* vocem dici ambiguè. *Primò* accipitur *propriè*; quo-

Pars dicitur ambiguè.

modo id quod incompletum est, & totum constituit, partem dicimus. *Deinde analogicè* accipi potest pro eo, quod in sese quidem completum est, sed quia unà cũ altero aliquod totũ constituat, absque tamẽ detrimento sui esse substantialis completi, pars nominatur. v.c *In Rep. vel exercitu singulæ personæ sunt partes totius corporis: personæ tamẽ esse non desinunt.* Illustrius est, & ad præsens institutum accommodatius exemplum *angeli, formam* quandam corpoream assumentis, ut exinde resultet unum aliquod *per accidens*; ubi sanè dici non potest, quod angelus ob assumtionem corporis persona esse desinat; tametsi analogicè vocari possit pars totius illius per accidens quod cõstituit. Hoc modo & hâc dicendi παρρησία posset persona ἑνὸς λόγου dici pars Θεανθρώπου; sic tamen ut *ipsa non desinat esse persona. Persona* itaque nequit esse pars alterius ita ut *terminetur*: quum hoc sit contrà *rationem personæ*. Sed nec λόγος terminatur à naturâ humanâ, quin potiùs *terminat* eandem. Proinde si καὶ ἀναλογίαν dicatur *pars*, exulare debent omnes imperfectiones; qualis est: *quod pars sit quid incompletum & naturæ imperfectæ*, quod de λόγῳ nullatenus dici potest. Ideò notantur

ter D. Thomas par. 3. q. 2. *Compositio personæ ex naturis non dicitur ratione partium, sed potius ratione numeri, sicut omne illud in quo duo conveniunt, potest dici ex illis compositum, & sic dicitur persona composita, in quantum unũ duob. subsistit.* Hæc iterum instat *Crellius*; ejusmodi totum personale nullũ esse, quia aliàs duæ forent personæ in unâ personâ altera pars, altera totũ; quodq; frustrà fingatur totũ personale quod simul nõ sit essẽtiale. Verũ non hoc fingitur, sed animadvertitur; quũ *alia* observatur ratio totius quod ex duob. naturis *imperfectis* tãquã *partib. essẽtialib.* uni integrę naturę vel essentię cõstat; *alia* item ejus; quod ex duab. naturis *integris & perfectis* resultat; quippe quæ ad unius *essentiæ* constitutionẽ conjungi nõ possunt, *personã a.* οὐσιῶδες cõstituũt: istud suppeditat *Physica*; hoc revelat Scriptura. *Utrumq;* distinguit sana *ratio*. Figmento opus non est. Cæterũ quod totũ *personale* non requirat *duarum personarũ concursum* in *unâ personâ*, qui simpliciter *contradictorius* est & impossibilis ex eo cõstat; quod una queat esse hypostasis duarum naturarum, adeoq; totius personæ. Neq; n. in ejusmodi personâ συνῶνυμον *alia* est *persona totum ipsum, alia pars totius altera*, quod fingit *Crellius*, sed λόγῳ qui ante

unio-

unionem subsistebat ut *persona simplex*; jam per unionem humanæ naturæ evasit *persona σύνθετος*. At v. λόγος ἀσαρκος non est alia persona à seipso ἐνσάρκῳ: quandoquidem eadem manserit hypostasis, etiam dum facta est humanæ naturę hypostasis. *Deinde* ubi *eadem* est substantia, ibi frustrà fingitur *gemina* persona, sed nos credimus eandem utriusq; naturæ subsistentiam; quod sc. duæ illæ naturæ unitæ sint, & concurrant ad unius ὑφισταμένου constitutionem per & propter ὑποστάσεως utriq; cōmunis simplicē identitatē. *Insuper* absurdum est, personam ἐκ λόγου distinguere à personâ θεανθρώπου ut *personā & personā* æquè ac si distinguatur inter *suppositum ferri & suppositum ferri igniti*; imò multò absurdius: quia θεανθρωπος juxtà nostram sententiam non est *tertium quoddam* ex duabus naturis resultans; non est ἐκ ἑτέρων ἕτερον, sed ἐξ ἑτέρων τὸ αὐτὸ. *Præterea* sive persona accipiatur pro *subsistentiâ* quæ utriq; naturæ communis est, sive pro *toto* ὑφισταμένῳ quod duab. naturis constat, neutro sensu admittimus duas personas; neq; id deduci potest firmâ & evidenti consequentia è nostrâ sententiâ. Nam *priori* sensu dicimus: unam esse hypostasin,

quæ

quæ & λόγος, & naturæ humanæ sit hypostasis. *Posteriori* v. persona nihil aliud est, quàm duæ naturæ. *Deniq;* si adhuc instet adversarius, nihil obtinebit, nisi forte, quod persona verbi, prout eadem *abstractè* consideratur, differat *formaliter* à θεανθρώπῳ s. toto ὑφεσταμένῳ quanquam planè frustranea sit ejusmodi abstracta consideratio, quum jam non detur λόγος ἄσαρκος. Sed *ad missâ* eadem consideratione: num infertur ilicò personarũ diversitas! *Ulterius* disputat *capite eodem Crellius*, quod *humana natura sit pars personæ Christi seu* θεανθρώπου. Sed id nemo nostrum inficiatur. An verò propterea λόγος non est *persona*, quia *Natura humana est pars Christi*? Nulla planè est *consequentia*. Id v. nos habemus ex isto discursu Crelliano: quod nondum intelligat, *Quid sit non ineptire!* Profectò; homines isti *nimium intelligendo faciunt*, ut *nihil intelligant!* Nam *primò* opponit sibi *partem esse, & παρωνύμως prædicari. Secundò accidens prædicabile* definit ex mente *Philosophi* (scilicet!) *quod inest non ut pars & potest ab eo, in quo inest, abesse.* partem definitionis *accidentis prædicamentalis*, quod *Substantiæ* opponitur ἀφωρισμένως, conjungens cum particulâ *definitio-* *Ruditas Crellij.*

nis

nis accidentis prædicabilis, quod etiã *substãtiã* esse posse nõ diffitetur. Exinde ista est conflata *definitio* planè ἀπαιδεύτως & imperitè; ut vel in trivio notum. Sed ut tandem acumen suum prodat, *cornuto* petit nostrum simile de ferro ignito: h. m. *Ignis cum ferro vel constituit unum suppositum* vel *non*. Si *hoc, frustrà adducitur istud exemplũ*. Si *illud manet absurdum, ferrum absq; igne illo per se suppositum amplius non esse: quia alioquin suppositum esset pars suppositi*. ℟. Si maximè ferrum & ignis *non* constituerent unum suppositum, non tamen frustrà adhiberetur simile istud ad declarãdam personam σύνθετον θεανθρώπου. *Simile* enim *non est idem*. Proinde satis esset, quod unum aliquod, saltim *per accidens*, prodiret è ferro, & igne; quodq; ignis non *per se* subsistat, sed *in* ferro suam habeat subsistentiã. Verumenimverò *Crellij* probatio non est, tanti momenti, ut evincat, *ferrum cum igne neutiquam constituere unum suppositum*. Nam ferrum *absq; igne* per se est suppositum, sed *simplex*: at ferrum ignitum est suppositum σύνθετον. *Simplex* a. *suppositum* partem esse suppositi συνθέτου, quod absurdum non sit, ex his, quæ dicta sunt, abundè constat. Nos hic finimus.

Disp. XIII. publica. Respond. Joachimo Angelo, Holsato.

CAPUT XIII.

De eodem & diverso.

Primò identitatis descriptio & divisio proponitur. *Secundò* explicatur quid *sint diversa?* denique *modi diversitatis* atque *distinctionum* evolvuntur.

I. Identitas est convenientia in aliquo. Estque vel extrinseca vel intrinseca. Et hæc vel Essentialis vel suppositalis. *Identitas.*

In genere describitur *identitas convenientia in aliquo, sive id sit essentiale, sive accidentale, sive sit relatio saltim rationis, sive realis.* Unde comprehendit non tantum identitatem *strictè* sic dictam seu *essentialem*, sed & *æqualitatem* atque *similitudinem.* Præterea comprehendit identitatem *rationis*, quam *absolutam* dicunt, quâ idem refertur ad seipsum: & *rei* seu *relativam*: quâ plura inter se convenientiam habent in aliquo tertio. Atque hæc porrò distribuitur in *extrinsecâ* & *intrinsecam. Extrinseca* iterum in *causalem, effectivam, subjectivam* & *accidentalem.* *In genere.* *Extrinseca.*

Causalis. *Extrinseca causalis* identitas est, quâ plura conveniunt respectu efficientis vel finis. *Effectiva*, quâ conveniunt ratione operis vel Effectus. Sic identitatem habent *artifices* inter se ratione *operis externi*. *Instrumenta* ratione *similis effecti*. Identitatem habent, *fratres* ratione *parentum*: *Studiosi Facultatis* ejusdem ratione *finis*, &c. *Subjectiva* est convenientia in eodem subjecto, ut quæ inter *accidentia* ejusdem *Subjecti*, sic *intellectus* & *voluntas* sunt *unum subjectivè*.

Effectiva.

Subjectiva.

Accidentalis. *Accidentalis* identitas est convenientia ratione *quantitatis*, vel *qualitatis*. *Ista* dicitur *æqualitas*, *hæc similitudo*. Ita *linea lineæ æqualis*, *color colori similis* esse dicitur. *Intrinseca* vero identitas est vel *suppositalis* vel *Essentialis*. *Suppositalis* est, quâ plures naturæ conveniunt ratione ejusdem suppositi vel personæ, ut in *ferro ignito* unum sunt suppositaliter *ignis & ferrum*: In *Christo* θεανθρώπῳ unum sunt personaliter *natura divina & humana*. *Essentialis* v. identitas est, tum ratione *Essentiæ simplicissimæ*, tum ratione *Essentiæ compositæ*. In *simplicissimâ essentiâ*, quum non dentur plura, nisi per identitatem essentialem, identitas dicitur quâ plura identificantur

Intrinseca suppositalis.

Essentialis.

In Essentia simplicissima.

tur eidem essentiæ, ut in *transcendentibus* & *Mysticis*. *Ibi* attributa plura identificantur Enti; Imò etiam *modi realiter distincti* idem sunt in Ente; ut de *attributis disjunctis modisve oppositis* constat. *Causa* enim & *causatum sunt* modi oppositi, realiter distincti, attamen in Ente sunt idem essentialiter. *Identificantur* enim attributa Entis ipsi Enti. *Hîc verò (in mysticis)* reperitur adhuc alia *singularis* identitas, quâ plures personæ identificantur eidem singulari essentiæ divinæ, ut demonstramus in *Theologicis*. Non ergò quæ *essentialiter* idem sunt, illa quoq; idem sunt *realiter*, quum realis distinctio fundari possit in *Essentiali identitate*. Ratione *Essentiæ compositæ identitas*, est, quâ plura conveniunt ad constituendam intrinsecè essentiam alicujus rei compositæ: ut *rationale* & *animal in homine* sunt *idem essentialiter*. Alij *tertium* identitatis intrinsecæ modũ addunt: *Identitatem* scilicet *realem*, quam dicũt eorum esse, quorum unum nequit esse absq; altero sine contradictione, nisi fortè causa externa accedat, nec unum respectu alterius sit *originans*, alterum *originatum*, nec sint in pluribus rebus realiter distinctis, vide *Gutk.*

Transcendentalis.

Mystica.

In essentia composita.

Identitas realis.

Diversitas. II. Diversitas est negatio convenientiæ.

Negativè describimus *diversitatem*, quum non succurrat, quomodo aliter describi possit adæquatè. Nam *distinctio* est *modus* saltim quidam diversitatis. Quod si tamen *laxè* accipiatur, potest dici, quod diversitas sit inter illa, quæ distincta sine contradictione, aut esse, aut concipi possunt; aut potius, quæ in se distincta sunt, vel ceu distincta concipiuntur. Accipitur enim diversitas heic pro *quavis varietate*, quâ etiam aliquid à seipso differre dicitur. Cæterùm *diversa in genere* sunt *duplicia*: *Primò diversa & differentia.* Illa dicuntur quæ se totis distinguuntur, ut *differentiæ*, item *Individua.* Nam licet hæc conveniant in conceptibus quibusdam quidditativis, destituuntur tamen illo conceptu quidditativo, quo inter se differunt, ideoque propriè differentia dici non merentur. Nam accuratè loquendo nō saltem ea sunt primò diversa, quæ non conveniunt in aliquo prædicato essentiali, quo ab alijs differunt, sed & ea, quæ quidem conveniunt in aliquo prædi-

Primò diversa. differentia & Individua.

prædicato, quo ab alijs differunt, destituuntur tamen conceptu quidditativo, quo inter se differūt, ut Individua ejusdē speciei. *Differentia* verò sunt, quæ in aliquo conveniunt, in aliquo differūt quidditativè: ut *corpus naturale*, & *angelus*, *aliæque species diversæ*. In *specie* autem diversa alia sunt cum *pugna*; alia sine *pugna*: ut nunc constabit. Nam. *Differentia.*

III. Diversitas est vel distinctionis vel oppositionis; Distinctio est, quâ unus conceptus non est alius. Estque vel realis, vel notionalis. Realis est, quâ conceptus objectivus est alius à conceptu objectivo. Notionalis, quâ conceptus formalis alius est à conceptu formali, tametsi conceptus objectivus coincidat. *Diversitatis modi.*

Diversitatem constituunt *Philosophi* nō solùm inter *repugnantia*, sed & inter ea, quæ per se, & qua talia non inferunt quandam repugnantiam. Utque ea tantò melius discernantur, *ista* vocant *opposita*, vel potius *repugnantia*, *hæc* vero *distincta*. Quod si verò ullam materiam. *Opposita & distincta.*

in *Metaphysicis* intricatè & perplexè proponunt, certè hanc vel maximè intricatam reddunt; ut nescio, quo fato, in distinctione regnet confusio; & quæ evolvi videntur, datâ operâ q. involvantur: Hinc *alij* duos cõstituunt distinctionis modos: eam *quæ secundum rem*, & *quæ secundum rationem*: alij *tres*; *realem*, *rationis*, & ex *naturâ rei*, vel *formalem*: In explicatione verò modorum distinctionis habent quidam rationem naturæ *extremorum*, num *realia* sint, an vero *rationis* Entia? alij respiciunt *habitudinem* & *affinitatem* eorundem. Num à se invicem *solâ ratione* vel *realiter* differant? *Realem* porrò distinctionem varij variè describunt, singulis ferè singularem excogitantibus descriptionem. Sic in *subdivisione realis distinctionis* autores numeraveris facilius, quàm sententias. Præterea *quid sit rationis distinctio? quænam ratione* distincta sint? *quotuplex* sit distinctio rationis, & quæ alia sunt quàm plurima. De his, inquam, omnibus δὶς διὰ πασῶν dissonant D.D. *Scholastici*. Nos pauciſſimis rem expedimus. Statuimus itaq; *distinctionem* de se & *in abstracto* illud esse *quo unus conceptus non est alius*. Sed quum

Distinctio in abstracto, qua unus conceptus non est alius.

quum hoc sit fundamentum explicationis, altius rem ordiri oportet, & è primis principijs repetere. *Duo* autem sunt, quod è *Noologiâ* constat, quantum ad præsens, *summa & prima principia.* 1. *Impossibile est idem in natura simul esse, & cum alijs confusum esse,* 2. *Impossibile est idem in mente nostra simul esse & cum alijs confusum esse.* Nam uti DEUS & *natura*, ita quoq; *mens nostra* abhorret ab omni cōfusione. Proinde omnia quæcunq; sunt in naturâ, distincta sunt ab invicem; omnia quæcunq; sunt in mente, distinctè repræsentantur: ut quemadmodū distinctio objectorum extra intellectū id infert, ut unum non sit aliud, hoc non sit illud: Sic *distinctio notionum & noematum* in intellectu hoc itidem requirit, ut unū non sit aliud. Exinde liquet, ad *formalem rationem distinctionis* in abstracto pertinere, ut unum non sit aliud sive in *natura* sive in *intellectu.* Quocirca quum ita latè pateat distinctio, apertum est, *extrema distinctionis* designari debere ejusmodi termino, qui sub ambitu suo complectatur, quicquid uspiam datur, vel cōcipi potest: Qualis est terminus *cōceptus.* Nam communis Philosophorum usus

Probatur principijs.

è primis principijs.

obtinet, ut voce conceptus exprimant, cum objectum quodvis, πᾶν νοητὸν, tùm *Noëma* ipsum, vel εἴδωλον νοητικὸν. Hinc *duplicem* constituere solent *conceptum. Objectivum & Formalem.* In *genere* itaq; omnis distinctio versatur inter conceptum, adeoq; ritè describitur: qua unus conceptus non est alius: sive *objectivus*, sive *formalis* E quô infero, distinctionem *ratiocinii ratiocinātis*, quā vulgò vocant, merè ὁμωνύμως dici. Nam in tali distinctione vix ac ne vix quidem dā-tur diversi conceptus formales, v. g. quū *Synonyma (Grāmatica)* distinguuntur: Item *definitum* & *definitio*, &c. Dicendum ergo: quod *duo* sint *distinctionis modi*, *secundū rem* & *secūdum rationem*: vel *realis* & *notionalis* seu *formalis*. *Ista*, qua conceptus objectivi distinguuntur; *hæc* inter cōceptus formales saltim intercedit, licet objectus conceptivus idē sit. Nā vel distinguuntur objecta, vel nō. Si distinguātur, realiter distingui dicūtur; si verò non distinguantur *objecta* ipsa, quæri potest de *noematibus* & *conceptibus formalibus*, num illi distinguantur, nec ne? vel utrum idem objectum sub diversis conceptibus inadæquatis sistatur intellectui, nec

Distinctio vel est inter conceptus objectivos vel formales.

Distinctio rationis ratiocinantis saltim aquiboca.

nec ne? Si diversi sint formales conceptus de objecto uno eodemque, vocatur distinctio *formalis, notionalis*, vulgò *rationis ratiocinatæ*, Barbarè! Sin minus, hoc est, si ne quidem diversi conceptus dentur, propriè locum non habet distinctio: communiter tamen vel ob nomina diversa, vel ob alium quemcunq; respectū constituitur *distinctio*, quam vocant, *rationis fictæ*, vel *ratiocinantis*. His ita expositis, non obscurum est amplius. 1. *Utrum ê natura extremorum an v. ex habitudine mutuâ petenda sit distinctionis ratio!* Nam quod non sit attendendum ad realitatem sed ad *cognationem & affinitatem extremorum* vel exinde constat: quod ad *realem distinctionem* satis sit, si objecta distinguantur, sive objecta ista sint Entia rationis & ficta, sive sint positiva sive privativa, dummodò distinctio eorundum non dependeat â formali conceptu intellectus. *Pariter*: ad *distinctionem rationis* perinde est, sive objectum, de quo ratio distinctos format conceptus, reale sit, & extra intellectum esse suum habeat, sive intentionale & ab intellectu unice dependeat, sive sit positivum, sive privativum, dummodò intellectui sub

Distinctio rationis ratiocinatæ.

Utrum ê natura extremorum, an v. ex habitudine mutuâ petenda distinctionis ratio!

diversis conceptibus idem repræsentetur. 2. *In quo consistat ratio distinctionis realis, itemque distinctionis rationis? Breviter. Distinctio realis est*, quâ conceptus objectivus, (quicunq; ille sit) alius est ab alio objectivo conceptu. *Distinctio rationis* est, quâ conceptus formalis alius est à conceptu formali manente eodem objecto, (quodcunque illud sit) sub diversis istis conceptibus repræsentato. 3. *Quænam distinguantur realiter? quæ formaliter?* Scilicet *distinctio realis* est 1. inter *rem & rem* s. *inter plures res diversas*: idque sive sint *suppositа ejusdem speciei*, ut *Petrus & Paulus*, sive *suppositа diversarum specierum*, ut *Alexander & Bucephalus* sive sint *genera diversa*, aut *species diversæ*, aut alia quæcunque *Individua diversa*: ut *Spiritus & corpus*: vel *corpora diversa*, *& accidentia diversa &c.* sive denique *partes diversæ*, quæ de facto quidem separatæ non sunt, tamen separari possunt citra contradictionem, ut *materia & forma &c.* 2. inter *modum & modum*, vel *modos diversos*, vel etiã *relationes oppositas*: ut inter *causam & causatum, actum & potentiam.* Itaq; inter *relationes divinas subsistentes* datur realis distinctio,

In quo eõ sistat ratio distinctionis realis?

Vel distinctionis rationis?

Quænam distinguantur realiter?

1. Res & res

2. Modus & modus.

3. inter

3. inter *rem & modum rei*: ut inter *naturam & suppositalitatem* in *rebus creatis*. 4. Inter *privationes* vel *negationes* sive cum *rebus positivis*, sive *inter sese mutuò* comparatas. Sic differunt realiter *tenebræ* & *aër*: *cæcitas & surditas* &c. 5. denique inter *Entia rationis*: sive illa conferantur inter sese, sive cum Ente rali. v. c. *subjectum* & *prædicatum*. *Chimæra & mons aureus: tragelaphus & homo* &c. *Formalis distinctio* est inter diversas formas seu rationes cōcipiendi ejusdem rei, 1. *In genere* de *quovis objecto*: Quomodo in omni objecto potest intellectus partiri distinctos conceptus inadæquatos, sub quibus objectum ipsum repræsentetur. Sc. conceptū *genericum* & *differentialem*: vel certè *communem & proprium*. Similiter *diversas facultates* vel *virtutes* concipere potest intellectus, ubi in reipsâ non dantur diversæ virtutes. 2. *In specie, de objecto reali*, vel quod extra fictionem mentis esse habet, quocunq; veniat nomine, possunt quoq; diversi formari cōceptus vel quà *rem* ipsam, vel quà *modos* rei, quamvis in objecto ipso nulla detur diversitas. 3. *Specialius* de *Ente simplicissimo* distinctos licet formare conceptus, *quibus* tùm

3. *Res & modus rei.*
4. *Privationes & res positivæ.*
5. *Entia quædam rationis.*
Quænam distinguantur formaliter.

attributa ab *essentiâ*, tum *unum attributum* ab *altero*, tùm *personæ actusq; personales* ab *essentiâ* divinâ discernantur salvâ manente summâ Essentiæ simplicitate; Ita v. g. differt *Justitia* Dei ab *infinitate* ejusdem: Et *omniscientia à Justitia*: Itemque *Paternitas* vel *Filiatio* ab *Essentiâ Dei*. Item *generatio* & *Spiratio* ab *esse divino* &c. Nihil quoq; obstat, quò minus *conceptum, genericum* & *specificum* in divinâ Essentiâ distinguamus, ut *antehac* expositum. Hinc *Deo* tribuitur *compositio* ex *subjecto* & *attributo*; *attributo* & *attributo*: *natura* & *supposito*: *genere* & *differentia*; sed *formalis*, non *realis*. Dubium est de *rei ejusdem in diversis disciplinis consideratione*, itemq; de *statibus ejusdem rei diversis*. Quomodo v. g. DEUS consideratur in *Theologia*, *Physica*, *Pneumatica*: Objectum est idem: Disciplinæ sunt diversæ. Sic datur *status diversus* ἰξηλόγως prout *simplex* est ab *æterno in æternum*; & σύνθετος vel ἐναν θρωπήσας in *tempore* sine sui mutatione, vel diversitate: Similiter *attributa* Dei considerantur vel *intra* simplicem divinitatis complexum, vel prout *adextra* sese exerunt, tametsi eadem sint. Sic & *omniscientia divina* prout est

Quid de diversâ rei considerationè vel statu diverso sentiendum?

ἰῶ λό-

λόγῳ *essentialis*, & quatenus *humanitati* communicatur, haudquaquam â seipsa differt, quamvis diversimodè consideretur. Hâc in re dico, quod *ejusmodi diversa consideratio*, & *diversus rei status* nec *objectum ipsum variet*, quod per se cõstat; nec *aliam in intellectu speciem gignat*, præter rei ipsius repræsentationem, quũ idem maneat conceptus objecti istius, nec intellectus in reipsâ distincta velut partiatur, id quod ad *formale discrimen* requiritur: sed quod solummodò *ratione purâ* vel *ratiocinante* distinguatur *idem â seipso sub alio* atq; *alio statu*, in *alia* atque *alia sede disciplinari*, quæ neq; in *objectivum* conceptum neq; in *formalem* inferunt *quandam diversitatem*, cæteris paribus: eò quod extra *rem* ejusq; noemata quasi constituta sint. 3. *Quænam sint genuina realis distinctionis indicia?* quæve *distinctionis formalis*! Varia quidem constitui solent: nos verò certissima saltim notamus. Sunt a. πεκμήρια *realis distinctionis* quædam *generalia*, quædam *specialia*. *Generalia* sunt 1. *Essentiæ diversitas*. Quæ enim diversas habent Essentias ea citra cõtroversiã realiter distinguuntur. 2. *Separabilitas*. Quæcunq; separari possunt

Distinctionis realis indicia.

1. *Generalia.*

Essentiæ diversitas.

Separabilitas.

sunt ab invicem sine repugnantiâ modo quocunque sive ordinariè, sive extraordinariè, ea differunt realiter. Namquum separantur, unum est sine altero. Ubi verò unum sine altero, ibi certè unum non est realiter alterum. *3. Oppositio.* Quæcunq; sunt *opposita* vel *disparata*, ea oportet realiter esse distincta quia oppositio non infert saltem, ut hoc non sit illud, sed etiam ut hoc repugnet illi. *Specialia* sunt hæc. De *substantijs*, ubi datur ratio producentis & producti, ibi datur realis distinctio. Nam oportet ad minimum suppositis differre, inter quæ datur ejusmodi respectus. Quæ v. suppositis differunt ea certè differunt realiter. De *Accidentibus*. Quæcunque accidentia subjectis distinguuntur, ea distinguuntur realiter. Unum enim accidens inesse nequit subjectivè pluribus numero subjectis. *Formalis distinctionis indicia* jam notamus hæcce. 1. *Quæcunq; in eâdem serie prædicamentali* sibi subordinantur, ea saltem distinguuntur formaliter, quia differunt tantum secundum inadæquatos conceptus, ut *substantia, corpus, corpus vivens, animatum, sentiens, homo*. 2. *Quæcunq; definitione* differunt ea

Oppositio.

Specialia indicia de substantiis.

De accidentibus.

Indicia formalis distinctionis ingenere, Subordinatio prædicamentalis

Diversa definitio.

ad

ad minimum formaliter distinguuntur. Definitione a differre non est intelligendum quâ *sonum* & verba, sed quâ *sensum*, & *id, quod verbis exprimitur*. Nam alijs atque alijs verbis idem formaliter non diversum describi posse quis dubitaret? At ubi diversa definitio, ibi alia est formalis ratio, quia definitio est λόγος τῆς οὐσίας. Ubi v. hæc diversa, ibi ad minimum formalis diversitas concedenda erit. Sic *Actio* & *Passio* definitione differunt, adeoque formaliter differre rectè dicuntur. Ita *attributa Entis* & ab *Ente* & *à se invicem* differunt definitione & proindè formaliter idem esse nequeunt.

In specie de Ente simplicissimo.

3. *Quæcunq; in Ente simplicissimo* concipiuntur, ea formaliter distinguuntur, in quantum non inferunt *oppositionem realem*. Ut *Essentia, independentia, omnipotentia, paternitas, activa generatio aliaq; in divinis* quæ sibi non sunt opposita, &c.

Divisio realis distinctionis.

IV. Distinctio realis est vel absolutè vel analogicè talis. Realis absolutè est, quâ una res non est alia. Realis analogicè, quæ intercedit modis diversis, præter fictionem mentis vel, quâ modus unus non est alius.

Hinc

Hinc *realis* distinctio solet definiri *disjunctivè, quæ est inter rem vel inter modos oppositos, seu Relationes sibi mutuò incommunicabiles.* *Realem* distinctionem *absolutè* voco, quæ πρώτως, & primò ita dicta est, scilicet, quæ inter *plura Entia*, vel *res diversas*, aut *Essentias distinctas* intercedit, quomodo differūt *Petrus, Paulus, Sol, Luna, Gabriel, Raphael, Deus*, &c. Item *accidentia diversa, ut qualitates, quantitates, &c.*

Realis distinctio absolutè.

Realis distinctio analogica.

Secundum quid, & analogicè distincta dicimus, quæ ut *modi diversi* ab invicem differunt: quia hæc distinctio non est ita perceptibilis, nec dignoscitur ita facilè esse realis distinctio, vel potius; quia modis saltem ἀναλόγως tribuitur, quod aliàs πρώτως est rerum vel Entium; quandoquidem modi propriè non sint Entia, sed quid Entis. Quemadmodum ergò *alia attributa* modis non adaptantur nisi κατ' ἀναλογίαν; ita & *distinctio realis.* Porrò cum non sint unius generis *modi*, nec ejusdem rationis erit distinctio, quæ inter modos volvitur, quod ita expono. Antè omnia necessum est, notare *differentiam modorum*, qui vel sunt *distincti saltem*, vel *simul oppositi.* *Illius generis* modi distinguuntur tātùm ratione, vel

vel formaliter, quomodo v.g. *Unitas* & *Veritas* sunt modi Entis distincti, verùm distincti tantùm formaliter, & operâ rationis, cum etiam competant Essentiæ simplicissimæ citra realis distinctionis indicium. At *causa*, & *causatum*, *principium* & *principiatum* sunt modi oppositi, proindeque *realiter* distincti. Quamvis ergò *modi diversi* quâ tales, non importent *realem* statim *distinctionem*, non tamen ea denegari debet modis quibusvis; sed id *tantùm indè colligitur*, quod *ratio distinctionis* modorum diversorum non arguat *distinctionem realem*, nisi modi illi diversi simùl sint *oppositi*. Perperam itaque concludit *Keckermann.* *quæcunq; differunt*, ceu, modi diversi, ea non differre realiter. sed *tantùm modaliter*, prout *modalis distinctio* continetur sub *distinctione rationis*, vel *formali*. Nam id *limitatè* saltim verum est de ijs *modis*, qui *tantùm diversi* sunt, non autem *oppositi*. Undè malè *Keckermann. Personas SS. Trinitatis differre modaliter*, quādoquidem *Personæ Trinitatis*, sint modi & *diversi*, & *oppositi*, sibique *mutuò incommunicabiles*. Ubi v. *oppositio*, & *incommunicabilitas*, ratione conceptus objectivi, ibi certè

Notatur error Keckermanni.

conceptus *objectivus* datur *aliud* atq; *alius*; & proindè concedenda est *realis distinctio*. Nam hoc ipsum est *plurium incommunicabilitas*.

Realis distinctio vel tantùm realis vel essentialis.

V. Porrò distinctio Realis est vel realis tantùm, vel essentialis. Tantùm realis distinctio est eorũ, quæ ejusdem sunt essentiæ numericæ, at sibi mutuò sunt incommunicabilia. Essentialis est illorum, quæ diversas habent essentias.

Hæc sit *altera* realis distinctionis divisio: quam alij sub τειχοτομίᾳ proponunt: addentes distinctionem *suppositalem*. Nobis v. διχοτομία placet. Nam *suppositalis* distinctio nõnunquam etiam est tantum realis, non ergò distinctus modus. *Tantum Realis* distinctio salutatur, quæ inter ea volvitur, quorum eadem est essentia numerica: sed ita ut nihilosecius sibi mutuò sint incommunicabilia. Qualis distinctio *tantùm realis* est in sanctissimo τῆς παναγίας καὶ περιχωρήτου τριάδος mysterio. Nam *Personæ SS. Trinitatis* sunt ejusdem numericæ & singularis essentiæ divinæ: Sed in quantum personali charactere distinguuntur,

Tantùm realis distinctio.

sibi

sibi mutuò sunt incommunicabiles, ut una persona ob proprium characterem hypostaticum non sit alia. In hôc itaque mysterio distinctio *suppositalis* est *distinctio tantùm realis*. Ampliant quidem nonnulli *distinctionem tantum realem*, ut omnibus illis competat, quæcunque ita distinguuntur realiter, ut adhuc essentiam eandem habeant, sive *numero* sive *specie* eadem sit: quemadmodum *accidentia ejusdem speciei*, & in universum *omnia ejusdem speciei Individua* dici possent *tantùm realiter* distingui: eò quod sint ejusdem essentiæ specificæ, tametsi vel in diversis subjectis reperiantur, vel diversis suppositis absolvantur. Verum enimverò ἀκρίβεια Metaphysica nō permittit hunc *ampliationis* statū. Nam quæcunqs *essentialiter* distinguuntur ea non distinguuntur tantùm realiter, vi oppositionis. At *suppositavel accidentia numero diversa* distinguuntur essentialiter. E. non tantùm realiter. *Assumtum* probo: Quæcunque habent *essentias actu separatas*, ea oportet esse distincta essentialiter. Nam *separabilitas* est πρόσημον *distinctionis*, nedum *actualis separatio*. Atqui suppositavel accidentia numero diver-

Utrum individua ejusdem speciei tantùm realiter distinguantur?

sa habent essentias actu separatas, ut constat, E. porrò *essentialis distinctio* definitur, quæ illis intercedit, quibus sunt essentiæ diversæ: sive separatæ sint actu, sive tantum separabiles citra contradictionem. Hæc iterum est vel *Generica*, vel *Specifica*, vel *Numerica*. *Genere* differunt, quæ vel in diversis sunt prædicamentis, vel sub diversis unius Categoriæ speciebus, ut *linea* & *habitus*. Item *homo* & *lapis*, &c. *Specie* differunt, quæ in conceptu generico quidem conveniunt, at forma specifica distinguuntur, sibique adversa sunt. ut *homo* & *brutum*. *Numero* differunt, quæcunque ejusdem speciei sunt, at vel in diversis subjectis reperiuntur, vel diversa suppositа absolvunt. Quocircà *duobus* modis contingit *numero differre*. 1. Quum differunt *Subjectis*, ita ut unum existat sine altero. Sic *albedo* in *pariete differt numero* ab *albedine lactis*, *nivis*, *chartæ*. *eruditio Petri* ab *eruditione Pauli*, &c. 2. Quum *genere* & *formâ specificâ* essentiali conveniunt, differunt autem formâ contracta per conditiones individuantes *hic* & *Nunc* ut *Petrus* & *Paulus*, &c. Addunt quidam *tertium* numericæ distinctionis mo-

Essentialis distinctio.

Generica.

Specifica.

Numerica.

Duplici modo contingit numero differre.

Tertius mo-

modum: *eorum quæ sunt in uno eodemque sub ecto licet rationes eorum universales non differant.* Quomodo *hoc unum, hoc verum, hoc Bonum in Paulo differunt numero.* Verum hic Modus *improprius est.* Nam *Hoc unum* non distinguitur ab *Hoc vero*, vel *Hoc Bono* in eodem Subjecto *Essentialiter*: sed potius *formaliter*, vel *solâ ratione*, ut non alio sensu possint hæc dici numero distincta, quam omnia ea, quæcunque *numerantur*, sive *realiter*, sive *ratione* distincta sint, quam acceptionem esse improprissimam in *confesso* est. Quo sensu etiam quidam dicunt numero distingui *personas S.S. Trinitatis* quia distinctim enumerantur. Ita sese habent *potiores distinctionis realis modi*, sc: *tantùm realis & essentialis.* Qui verò cæteros quoque velit huc revocare distinctionis modos, is cum *Domino Gutkio* dicere poterit: *Realem distinctionem* in universum *sex modos* sub se complecti. 1. *Essentialem*: quæ jam definita. 2. *Subjectivam* quæ illorum est, quæ diversis insunt subjectis. 3. *Accidentalem*, quæ est distinctio subjectorum per accidentia; ut *homo differt eruditione à bruto.* 4. *Causalem* eorum, qua differūt causis internis vel externis.

dus rejicitur.

Sex modi realis distinctionis.

Essentialis.

Subjectiva.

Accidentalis.

Causalis.

Circumstantialis. 5. *Circumstantialem:* vel eorum, quæ distinguuntur ijs, quæ rem circumstant uti sunt *tempus, locus, antecedentia, consequentia.* 6. *Hypostaticam* sed *personalem*, quæ salva essentiæ identitate personis distinguuntur, ut *Relationes subsistentes in divinis.* Observandum tamen, non quamcunq; *accidentalem* vel *substantialem* diversitatem inferre distinctionem realem, sed respiciendum esse ad κεφάλαια *realis distinctionis.* minimè fallacia de quib⁹ ante.

Personalis.

Distinctio notionalis quotuplex?

VI. Distinctio notionalis solet constitui triplex. Virtualis, Formalis, Modales.

Ita nonnulli constituunt *tres* modos distinctionis rationis, seu notionalis: ut quadantenus saltim discernantur *respectus* illi *diversi*, quorum ratione quædam dicuntur notionaliter differre. *Virtualis* distinctio est eorum, quæ diversimodè sese exerunt, ac si essent virtutes agendi aliæ atque aliæ. Ita *vis indurativa, liquefactiva, calefactiva, rarefactiva, condensativa in radijs solaribus distinguuntur sola ratione, virtualiter*, quia cum eadem saltim sit virtus, quæ diversos istos sortitur effectus, realis distinctio admitti non debet

Virtualis distinctio.

debet. Similiter *attributa, Dei justitia, misericordia*, &c. distinguuntur virtualiter, quum diversimodè sese exerat divina Essentia, tametsi diversas agendi virtutes non admittat essentiæ summa simplicitas. *Modalis* distinctio est, quæ volvitur inter *rem* & *modum rei*, seu *realitatem*, ut loquuntur, vel etiam inter *modum* & *modum minimè* sibi ita *oppositos*, ut de se invicem non possint prædicari, ut inter *Ens*, & *verum*: itemque inter *unum* & *verum*, &c. Non absimilis omninò est *formalis* distinctio, quæ illorum dicitur quæ *unitivè sunt contenta*: quomodo. 1. vocat *Essentialiter subordinata*, ut sunt *homo*, & *animal*. 2. *Passiones*. Sic *affectiones Entis unitivè in Ente* contentæ *formaliter* distinguuntur ab ipso Ente, ut *unitas*, *veritas*, *finitas*, *causa esse*.

Modalis.

Formal.

VII. Oppositio est, diversitas cum aliqua repugnantiâ. Estq; vel duorum, vel plurium. Hæc dicitur disparatio, quâ sc. unum pluribus opponitur. Illa verò dicitur oppositio in specie, quum unum uni opponitur.

Oppositio quid?

Quæ *diversa* sunt cum *aliquâ pugnâ* & incompossibilitate essendi in *eodem subjecto, ejusdem respectu*, vocantur *generali* nomine *opposita* vel *repugnantia*. Notandum enim quod *opposita* dicantur vel γενικῶς prout *quævis repugnantia* complectuntur: vel ἐιδικῶς, in quantum *disparatis contrà distinguuntur*, & ea tantum opposita dicuntur, quorum *unum uni repugnat*. Cæterum *disparata* videntur dicta quasi *disseparata*, ut ratione *Etymi* disparata sint tantùm, quæ actu sunt ab invicem separata. Sed *usus vocis* deviavit à primâ impositione, vel potius ab origine. Nam quum terminus commodior non suppeteret ad exprimendū ea, quorum *unum pluribus opponitur*, usurpari cepit terminus *disparatorum*, non attendendo, *sive* eadem sint de facto separata, *sive* non. Quanquam si rationi *Etymi* insistendum, haud inconvenienter existimem distingui inter *separationem localem*, quæ *accidentalis*, & *substantialem*, vel *essentialem*. Etenim disparata quocunq; statu fuerint *sive* loco disjuncta sive cōjuncta & unita, perpetuò retinēt *essentias disseparatas*. Dicūtur proinde *disparata*, quasi in *essendo*, vel ratione *essentiæ disseparata*, & sem-

Oppositа generalitèr

Specialitér

Disparata unde?

Quid significent?

Separatio alia localis, alia essentialis.

semper sese ita habent; etiamsi contingat eadem fieri (extraessentialiter) unita & conjunctissima. *Unio* enim non tollit rerum unitarum essentialem diversitatem & disparationem. Quomodo *anima & corpus* verè sunt disparata, tametsi ad unam naturam vel essentiam constituendam concurrant. Sic *accidentia diversa v.g. Scientia & Prudentia* in eodem animo, retinent indolem disparatorum, licet uniantur & concurrant in eodem subjecto. Hæc sententia probatur, 1. A *naturâ Repugnantium.* Quo enim sensu quovè modo repugnantia quævis dicuntur sibi opposita; eodem sensu modovè (in genere) debet accipi disparatorum oppositio. At certum est, opposita dici ratione oppositionis non *localis*, sed *essentialis*; non quod localitèr & è diametro sibi sint opposita, sed quod essentiæ eorum sint oppositæ & adversæ. E. hactenus idem quoq; dicendum de disparatis; quod sc. eorundem oppositio non inferat localem separationem, sed essentialem. 2. A *contradistinctione oppositorum.* Nam disparata ita æstimari debent, ut juxtâ cum oppositis speciatim ita dictis exhauriant omnem latitu-

Utrum disparatio inferat localem separationem, an ℰ essentialem?

dinem repugnantium. Dantur enim omninò quædam repugnantia, quæ ſtrictè loquendo non ſunt oppoſita (quemadmodum unum uni dicitur oppoſitũ) nec referri poſſunt ad modos oppoſitorum (*relativa* ſc. vel *privantia*, vel *contraria*, vel *contradictoria* de quibus infrà) & nihiloſecius vere ſunt diveſa cum aliquâ pugnâ, ſed ita ut pugna ijsdem intercedat *cum pluribus*, adeoque eadem diſcriminari oporteat ab oppoſitis ſtrictè ita dictis: Vel certè *oppoſitorum deſcriptio* amplianda ſit, & quod ægrè admittent alij, *diviſio* illa communis & πολυθρύλλητος oppoſitorum aut tanquam imperfecta rejicienda, aut planè reformanda. *Ulterius* admiſsâ hâc repugnantium ſpecie, quam abſolvunt diſparata; dicendum, quod omnia, quæcunq; verè ſunt repugnantia, nec tamen referri queunt ad communia oppoſitionum genera, pertineant ad claſſem *diſparatorum*. Unde ulterò conſtat, quod etiam ea, quæ non ſunt ab invicem ſeparata dicenda ſint diſparata, cujusmodi *exempla ante* dedimus. Quanquam verò adverſum videatur naturæ repugnantium, concurrere in eodem ſubjecto, tamen, quemadmodum

Non repugnat diſparata uniri.

dum *oppositа strictè ita dicta* aliquâ ratione, & pro diverso respectu eidem tribui possunt, ita *disparata* quin concurrere queant in eodem vel *subjecto* vel *supposito*, ibi accidentia, hic *substantiæ*, multò minus ambigendum est. De *accidentibus* quidem non usque adeò dubium est, quum plurima accidentia disparata in eodem subjecto reperiri, exempla ubivis obvia satis testentur. Sic *plures habitus intellectuales, plures & virtutes morales in eodem animo* concurrunt, ut in concreto de sese prædicentur: *v. g. Philosophia & Theologia in homine Philosopho Theologo*: ut liceat dicere *Philosophus est Theologus* & sic de alijs innumeris. Quod vero attinet *substantias*: distinguendum inter *completas & incompletas*. De *incompletis* iterum manifestum est, quod in uno supposito concurrant quum naturâ suâ eò ordinentur. Ut *materia & forma* ad *quod vis corpus naturale corpus organicum, & anima rationalis* ad hominem constituendum concurrunt. Et ob hanc unionem de sese enunciantur in concreto; ut quũ dico, *Materia est informata, Corpus est animatum*. Ideò vel hinc constat, disparata uniri, & propter unionem de se prædicari

Exemplo accidentiũ

& substantiarum incompletarum.

cari posse. *Completæ* v. *substantiæ* disparatæ nec uniri inter se, nec prædicari de sese possunt ordinarie. Fide a. constat, & in *S. S. Theologiâ* invictè obtinetur, divinam *Naturam*, & *humanam* conjunctas esse *vinculo hypostatico* adeoq; unum cõstituere *suppositum* σύνθετον CHRISTUM, non obstante naturarum diversitate, quâ disparãtur etiam in ipsâ unione arctissimâ. De quo *antecedente disputat*: quædam dicta sunt. Nam licet ratio συνδρομῆς & concursus personalis non sit *disparatio*, vel *diversitas Naturarum*, tamen in ipsâ συνδρομῇ vel unione hypostatica sartum tectum custoditur discrimen naturarum essentiale, cujus gratiâ in censu disparatorum locantur, & locari debent. Hinc ob *unionem* quoq; de sese enunciantur in concreto naturæ disparatæ, quum *homo Deus*, & *Deus homo* dicitur. Quanquam n. heic iterum ratio & causa prædicationum non sit diversitas, sed potius naturarum diversarum & disparatarum unio, tamen extrema, quæ in enunciatione combinantur verè sunt diversa & disparata; quum in *unione* naturam suam non exuant, nec essentialitèr diversa esse desinant, nec deniq, *prædicatione* cõfundantur, sed potius unita indicentur.

De substantijs completis disparatis.

VIII. Op-

VIII. Oppositа sunt vel positiva, vel negativa. Positiva opposita sunt vel respectiva seu Relata, vel absoluta, ceu sunt contraria. Negativa opposita vel opponuntur privativè, vel contradictoriè. *Oppositа in specie quoq; duplicia.*

Solet de his agi in *Logicis*, verũ ἐφεκτικῶς, in quantũ dirigunt *aptitudinem prædicandi negativè, hèic* verò considerantur κυρίως, prout sunt *modi diversitatis* res ipsas afficientes & denominantes. *Relativè* opposita sunt, quæ sese mutuò respiciunt ita tamẽ ut unũ non sit alterum. Datur n. in relatis quędã *convenientia* & quędã *discrepantia*. *Illa* ratione respectus mutui: *hæc* ratione oppositionis, quæ in isto respectu; quæ tamen levissima est: quum relata nõnunquam per accidens uni insiut: ut quum medicus seipsum sanat. *Contrarietas* est oppositio terminorum positivorum absolutorum, qui ita inter se distant, ut se mutuò è cõmuni subjecto expellant. Eorum *tria* requisita solent recẽseri *1. Contraria sint sub eodem genere, Top: 3.6.7.2. Maximè distẽt sub eodẽ genere 9. Met: 4.* non distãtia *positionis* aut loci, sed *essentiæ ac definitionis. 3. Ex eodẽ subjecto* sese *expellãt 1. Phys. 6. 9. S. 81.* Sed certis cõditionib. *Relatibè oppositæ.* *Contrariæ.*

1. Si

Privative oppositæ.

1. Si *neutrum per naturam insit.* 2. Si *alterum altero potentius sit*, ut id exturbare possit. *Privative* oppositæ sunt, quæ ut Ens & non Ens privativum sibi opponuntur, vel ut habitus & privatio. Demùm *contradictorie oppositæ* sunt, quæ sibi ut Ens, & non Ens negativum opponuntur. Sed de his fusius *Logici*. Nos ad

Contradictorie oppositæ.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

Quæ uni tertio conveniunt inter se conveniunt.

I. Quæ in uno tertio conveniunt, inter se conveniunt.

Convenientia in uno tertio accipi potest vel *generaliter* vel *specialiter*. *Generaliter* de quovis consensu, & de quavis cognatione vel affinitate. Sic *Albertus* dictum πόρισμα fundamentum constituit *omnium Syllogismorum: alij Syllogismi expositorij* vel *tertiæ figuræ in specie.* de quo in *Logicis*. *Specialiter* verò accipitur, vel de *æqualitate*, ut in *Mathematicis*: quæ eadem, vel *æqualia* sunt uni tertio, ea quoque eadem vel æqualia sunt inter se; vel de *similitudine*: quomodo eadem ob similitudinem quandam uni tertio, eadem, vel similia quoque inter se dicuntur respectu illius tertij; vel de *identitate absolutè*. Quo sensu non absque *limitatione* acci-

accipiendum. *Fonseca* ita limitat: Quæ *sunt idem uni tertio*, nimirum, quod est *res individua quæ nec plures res est, nec eadem re cum eâ, quæ plures res est*. *Regius* ita: Quæ sunt eadem uni tertio *singulari singulariter & univocè sumto & retento*, ea quoque sunt eadem inter se. *Communiter* distinguunt inter tertium *communicabile* & *incommunicabile*: & *porisma* restringunt ad *tertium incommunicabile*; ut illa demum sint eadem, quæcunque conveniunt in *uno tertio incommunicabili*, ut *Apostolus gentium* & *Paulus* conveniunt in uno tertio incommunicabili, hoc individuo. Sic *Messias promissus*, & *Jesus Nazarenus*, &c. Minimè vero quæcunque eadem sunt *uni tertio communicabili*, ea quoque inter sese eadem sunt; quomodo *Petrus* & *Paulus* conveniunt in tertio essentiali communicabili naturâ humanâ, adeoque Petrus & Paulus non sunt idē individuum. Ratio est in aprico: quia si id quio conveniunt nonnulla, pluribus sit commune, per se liquet, plura non esse unum. *Econtrà*, quum aliqua conveniunt in tertio incommunicabili ea inter sese oportet eadem esse, eò quod tertium sit incommunicabile ad plura.

Diff: inter tertium communicabile & incommunicabile.

Ratio distinctionis.

Causa

Causa itaque hujusce rei non est ipsa *singularitas*, vel quod in tertio singulari conveniant, sed potius *incommunicabilitas*, quod singulare illud in quo conveniunt, sit ad plura incommunicabile, ideoque ea necessariò idem sint realitèr, quæ in illo incommunicabili conveniunt. Proinde frustrà adversus mysterium *SS. Trinitatis* urgent *Triado-mastyges* hoc principium, dum objciunt, quod sequatur *Filium esse Patrem*, si *Pater & Filius statuantur ejusdem singularis essentiæ*. Nam essentia divina ita *singularis* est, ut adhuc sit *communicabilis pluribus suppositis*. *Suppositа* itaque diversa eâ de causâ minimè sunt inter se eadem, quod in *essentiâ* conveniant, quum *essentialis identitas* non tollat *suppositalem* diversitatem.

Contra Photinianos.

Crellius impugnat distinctionem.

Crellius l. 2. c. 3. p. 515. deu D. P. negat *principium illud restringi debere, vel instantiam, aut exceptionem quandam pati, quia ratio ejusdem prorsus sit universalis. Nisi enim hoc admittatur, sequi contradictionem apertam, nempe unum idemq; simul esse eandem rèm & plures. Nã si res aliqua fingatur cõmunicabilis, quæ eadem sit realitèr cũ tribus realiter inter se distinctis, ut hic essentia divina, quæ res una cum tribus personis, illa*

simul

simul erit res una & plures. Itaq; tale communicabile non est admittendum, & si pro instantiâ ad convellendum axoma illud in hâc nostrâ controversiâ afferatur, mera hæc erit petitio ejus, quod in principio, cum illud communicabile hâc ipsâ ratione refellatur. Hæc ille Respond. 1. Franc. Schvarius l. 4. de myster: Trin: c. 3. dist. 7. Principium illud Quæcunq; &c. negat verum esse, si in abstractione & analogia Entis sumatur, abstrahendo ab Ente creato & increato, seu finito & infinito, neq; directè demonstrari aut probari posse, sed ad summum inductione posse à nobis ostendi in creaturis. Inde v. rectè concludi de totâ rerum universitate, insciatur. Quia in rigore argumentū fiat ex puris particularibus, & quia in creaturis illud oriri possit è limitatione rerum. Ita ergò urgeri possent adversarij, ut demonstrent principij ejus veritatem: & si maximè inducant omnia exempla rerum finitarum nondum tamen inductio perfecta esset, quandoquidem ita adhuc non constaret de Ente infinito: quod nos quidem negamus æstimari debere è conditione rerum creatarum; illi v. nisi argumentis immotis contrarium hèic obtineant, & nihilosecius istud principium pro universali venditent

Respond. Schar. restringit principium ad Ens finitū.

ineptè *principium petent*: adeoque nihil probabunt. Verum nos missâ *Schvarij* responsione dicimus, principium illud verum esse in *abstractione Entis*, in quantum *ratio principij* militat, & *fundamentum* ejusdem immotum manet. *Ratio*, & *fundamentum* principij est ipsa *incommunicabilitas rei ejusdem ad plura suppositа*. Nam ideò conveniunt inter sese, quæcunque in *uno tertio* conveniunt, quia *tertium illud* est *incommunicabile* ad plura suppositа. Hâc enim *incommunicabilitate datâ* fieri non potest, ut quæcunque sunt eadem rei illi incommunicabili, vel quæ sunt à parte rei ipsa illa res incommunicabilis, ea quoque inter se sint eadem, quia impossibile est eandem rem simul *incommunicabilē esse ad plura*, & nihilominus dari *diversa* (vel non *eadem*) quæ eandem ex æquo participent, vel quibus eadem *communis* sit, vi primi illius principij: *impossibile* est *idem simul esse & non esse*. *Ubi* v. expirat *animalis ratio* & ubi *tertium illud*, in quo aliqua conveniunt fit *pluribus suppositis commune*, ibi non potest inferri *identitas*, sed tantummodò *convenientia quædam* ratione *illius tertij communis*. Quod innumeris exemplis doce-

Quomodo principium admitti possit in abstractione Entis! Ratio & fundamentum principij.

doceri posset, nisi per se manifestissimum esset, ut mirum sit Crellium hoc in dubium vocare. Sic quum *accidētia* sunt pluribus *subjectis communia*, conveniunt ob *accidētium communem participationem*, sed non inferūt *idem subjectum*, quia accidentia illa non sunt *incommunicabilia*, sed *communia*. Proinde saltim conveniunt ratione illorum *accidentium*. Ita *diversæ species* sub *eodem genere* conveniunt in *conceptu communi generico*, adeoque inter illas datur identitas. verum non nisi *generica*, vel ratione *tertij illius* communicabilis, salvâ *specificâ diversitate*. Quum *generica convenientia* non tollat *specificam differentiam*. Similitèr *suppositæ ejusdē speciei* conveniunt in uno *tertio* sc. *naturâ specificâ* verum non sunt *inter se eadem* nisi saltim ratione *naturæ specificæ*, ideò quod tertium istud non sit *pluribus suppositis incommunicabile*. Hèic ergò non fingitur, sed datur omninò præter fictionem mentis *res aliqua communicabilis* (natura specifica v.g. natura humana) quæ eadem sit *realiter cum pluribus realiter inter se distinctis* (suppositis humanis, v. g. Petro, Paulo, Andreæ,) &c. citrà *cōtradictionem* vel *explicitam* vel *implicitam*.

Res eadem pluribus suppositis communis dari potest.

Porrò quum è *Scripturis* docemus, Essentiam numero quoq; eandem cōmunem esse pluribus suppositis, num illud est *principium petere!* Quod si nōnunquā licet in defectu alterius ἐνστάσεως in disputationem adferre instantiæ loco id de quo cōtrovertitur, quod aliquando fieri posse docet ipse *Aristoteles l. 8. Topic: cap. 2.* quidni urgeri poterit exemplum è Scripturis probatum, ubi alijs quoque argumentis jam labefactata principij universalitas! Verùm contendit ulterius *Crellius: Communicabile ejusmodi contradictionem involvere sc. quod unum numero pluribus numero sit commune: h.e. singulare esse, & non singulare? Singulare quia unum numero; non singulare, quia in plura ejusdem nominis ita dividi potest, ut totum tamen sit in singulis, id quod rationi singularis seu individui* prorsus repugnat. At quid est *principium petere*, si hoc non est? Quæritur, *utrum* essentia singularis numero eadem possit cōmunis esse pluribus personis! Quod *nos affirmamus*, quum è Scripturis invictè demonstremus unam eandemque essentiam divinam pluribus personis, quarum una non sit alia, ex æquo communem esse. *Crellius Socinianus negat*

negat hoc argumentos, quia *fieri nō posſit* ut *eſſentia ſingularis pluribus perſonis communis* ſit, vel, uti alijs ſaltim verbis effertur, *quia ſingulare in plura ejusdem nominis ita dividi nullatenus poſſit, ut totum tamen ſit in ſingulis.* Egregia probatio! Nam ſi *plura ejusdem nominis ſuppoſita* intelligantur, ut omnino intelligi oportet, hoc ipſum in controverſiâ eſt, *Num* perſonarum pluralitas evertat eſſentiæ ſingularitatem. De quo in *parte ſpeciali*, volente Domino, ex profeſſo. Si *plures res* intelligantur: nihil contrà nos: quum *perſonas in Deitate* ut *res & res differre* minimè ſtatuamus. *Unum numero* pluribus *numero* ſeu *eſſentiâ numericâ diverſis commune eſſe*, contradictio eſt, neutiquam v. *unam numero eſſentiam pluribus perſonis eſſe communem*, quum *numerica unitas* non excludat abſolutè *hypoſtaticam diſtinctionem*, ſed tantùmmodò *diviſionem Entitativam*. Quæ itaq; communicatio non infert Entitativàm diviſionem & multiplicationem, ea nequaquam repugnat abſolutè unitati numericæ. *At talis eſt communicatio eſſentiæ divinæ ad plura ſuppoſita*; quùm divina eſſentia ſit in pluribus perſonis ſine ſui vel *diviſione* vel *multiplicatione*.

Communicatio ejusdē eſſentiæ ad plura ſuppoſita non repugnat unitati ejus ſingulari.

tione. E. communicatio essentiæ divinæ ad plura suppositа nequaquam repugnat absolutè unitati singulari & numericæ divinæ essentiæ. *Major* constat, à naturâ *unitatis singularis*, quæ consistit in *Entitativâ indivisione*, & *negatione aptitudinis* ad inferiora in quibus *pluralificetur* per essentialem sui communicationem. Nam hæc est *ratio formalis*, quâ unum singulare constituitur, & *ab universali* adæquatè distinguitur. Proinde dum salvatur adhuc formalis ratio unitatis numericæ, nulla certè infertur absoluta repugnantia, & impossibilitas. *Minor* ex adæquato Theologiæ principio *S. Scripturâ* probatur & evincitur. Firma itaque & inconcussa est *Conclusio.*

Identitas rei non excludit distinctionem realem.

II. Identitas rei non excludit distinctionem realem.

Rei identitas est, quâ res vel essentia eadem est, nō diversa. At *Realis distinctio* non saltim est eorum, quæ differunt ut *res, & res*, sed omnium, quæ distinguuntur verè *citrà mentis fictionem.* Nam ut *hâc vice* prætermittam cæteras realis distinctionis σημασίας, quibus vel est *subjecto differre*, ut *accidentia diversorū & separatorum subjectorum* vel *essentiâ differre*,

ut

ut *quævùres dictæ*, sive totas habeant essentis diversas, ut neutra includat alteram, *sive* altera ingrediatur alterius constitutionem & *quæ sunt aliæ strictiores significationes*, intelligi debet hoc loco *realis distinctio*, prout opponitur *distinctioni rationis*; quâ sc. *unus conceptus objectivus non est alius*. Talis autem distinctio omninò dari potest in unâ eademque re vel essentiâ numericâ. Ita enim *modus* & *essentia* cujus est modus possunt esse una eademque numerica essentia: *Itemq; modi distincti* possunt esse ejusdem singularis essentiæ. Quin & *modi oppositi* sibi mutuò incõmunicabiles possunt esse unius & ejusdem essentiæ numericæ. Atqui certum est tum *modum* ab *essentiâ*, tum *modum* à *modo*, & maximè *si oppositi* sint, distingui *realiter*, id est, *præter mentis fictionem*. E. *quædam* quæ differunt realiter possunt esse ejusdem singularis & numericæ essentiæ. *Præmissarum veritas* demonstratur *exemplis*. Sic *unio formæ* & *forma*, *personalitas & natura* (finita) differunt *realiter*, quia separari possunt ab invicem reapse, quemadmodum v. g. *unio animæ* cum *corpore* separatur ab ipsâ in statu separationis & *personalitas humana*

Probatur.

Exemplis modi & res.

næ naturæ in Christo ab eadem separata est in actu personalis unionis. At nihilo-secius uno animæ & anima ut & personalitas humanæ naturæ, & ipsa natura humana sunt ejusdem singularis essentiæ & quidem ita, ut sint illa ipsa essentia. Nam animæ unio non obtinet peculiarem Entitatem ab animâ, nec personalitas est res quædam peculiaris à naturâ, sed unio animæ, personalitas naturæ Entitatem intimè includit, ut unio animæ & anima sint una eademq; res, personalitas & natura sint una eademq; res; sc. ipsa anima in quantum unita corpori: ipsa natura in quantum ἀνυπόστατος est, & propria personalitate gaudet. Similiter modi quidam inter se se distinguuntur realiter v. g. personalitas naturæ humanæ, & dependentia ejusdem à prima causa differunt realiter quia illa ab hâc separari potest, & in mysterio incarnationis actu separata est: at hi modi reperiuntur in unâ essentiâ singulari, & quidem ita, ut non obtineant singularem & propriam Entitatem, sed ut intimè Entitatem naturæ includant, adeoque unà cum natura unam singularem essentiam absolvant & tùm dependentiæ tûm personæ sint ipsa natura dependens

Modi & modi.

& i-

& ἰδιοσύγκριτος. Deniqúe *modos oppositos* sibi incommunicabiles oportere *distingui realiter*, extrà controversiam est. Quod autem non repugnet dari *modos oppositos* in eadem essentiâ singulari ita, ut sint illa ipsa essentia singularis, & *consequenter* non modò *realiter distinguantur* vi *oppositionis*, sed & ejusdem *sint essentiæ numericæ* ob *communicabilitatem ejusdem* evincitur inde: quod non repugnet dari *plures personas* sibi incōmunicabiles adeoque *realiter distinctas* in unâ & eadem essentiâ singulari, ut *parte speciali* ostendemus. Heic verò iterum fingunt contradictionem *Sociniani*. Ita *Goslavius p. 1. refut. Keckerm. p. 4. Quæ realiter distinguuntur ejusdem essentiæ singularis esse nequeunt. Opponuntur contradictoriè realiter distingui & eadem esse essentiâ numerò.* Crellius v. ut acumen suum prodat in contradictionibus fingendis, nititur hanc contradictionem demonstrare *l. c. p. 517. seqq:* hoc pacto. Idem *realiter est, quod una res est distincta realiter, quæ plures res sunt. Quæ ergò idem realiter sunt distincta realiter esse nequeunt, quum eandem rem realiter à se differre implicet.* Porrò. *Si essentia est realiter idem cum tribus personis realiter inter*

Modi oppositi.

Utrum possint ejusdem singularis essentiæ esse, quæ distinguuntur realiter.

Contrà Goslavium & Crellium.

se distinctis, necesse est eam esse rem eandem cum tribus rebus distinctis. Quod v. idem est cum tribus rebus distinctis, id tres esse res necesse est. Quare essentia divina simul & una res erit, & tres res, id quod secum ipso pugnat. Hæc ille. Verùm salva res est. Nam argumentum fallit *æquivocatione terminorum idem esse realiter, & distincta esse realiter. Idem realiter* dicitur, *vel* quod una tantùm res est, non plures: *vel* in quo nō sunt plura diversa, quæ plusquam ratione differant. Paritèr *distincta realiter* vocantur vel strictè, quæ plures res sunt: vel latius quæ ante fictionem mentis distincta sunt. Quæ ergò *priori* sensu *idem* sunt realiter, ea sanè nequeunt *distincta* esse realitèr strictè loquendo: vel quæ sunt *res* tantùm *una*, ea nequeunt esse *res plures*. Quâ ratione largimur *personas divinas* quia sunt unius essentiæ, distingui realitèr, vel esse plures res, pluresvè essentias. Et hoc sensu, non alio, negat alicubi *Damascenus personas differre realiter*. Proinde calumnia est, non sententia nostra, tres *personas esse tres res distinctas*. Si v. *posteriori* sensu accipiatur *identitas realis, & distinctio realis*, negamus essentiam Dei ita realitèr eandem esse, ut in eâ non

dentur

dantur plura extrà mentis operationem distincta: è contra dicimus dari plura in unicâ essentiâ divinâ distincta realiter. id est, citrà intellectus fictionem. Rectius ergò in hoc mysterio dicitur obtinere *identitas rei* vel *essentiæ* cum *distinctione reali*. Eadem enim res vel essentia est tribus realitèr distinctis suppositis, verum non ut *rebus distinctis*, hoc enim ἀνυπόφορον sed ut *modis diversis*, absque contradictione. Nam quæcunque diversitas non multiplicat essentiam, ea non tollit identitatem rei. At hæc trium ὑποστάσεων diversitas talis est. Quum eadem essentia sit distinctis illis hypostasibus communis absque sui multiplicatione. E. eadem non tollit identitatem rei. Declarari hoc quodammodo potest exemplo modorum distinctorum eandem essentiam modificantium: quomodo, v. c. naturæ humanæ *personalitas*, *dependentia à Deo*, & *præsentia* sunt distincti modi, ante & extrà operationem mentis diversi, essentiam tamen eandem intimè imbibunt, suntque in eadem essentiâ singulari: Et sic in alijs. Unde patescit fictam esse cõtradictionem, quam prætexit *Crellius*, ut sunt reliquæ omnes, quas nobis imputat.

III. Quæ

Quæ separari possunt, differunt realiter.

III. Quæ separari possunt, differunt realiter; at non vice versâ.

Intellige 1. de *separatione reali* non *mentali*. Nam mens nostra potest *distincta* concipere in realitèr eodem. 2. De *possibilitate separationis* sive *naturali*, sive *supernaturali* seu ratione divinæ potètiæ. Nam quæ separari possunt ab invicem saltim divinâ potentiâ, ita ut unum sit absque altero & extrà alterum, illorum unum in reipsa non est alterum, adeoq; eadem distinguuntur realiter. *Unum esse alterum* & tamen *posse absque altero esse* reapse est, *unum esse posse non unum, idem esse posse diversum à se ipso*, quod implicat. 3. De *separatione tum mutuâ*, quæ est, quum utrumq; separatum existit, tùm *non mutuâ*, quando unum separatim existit non existente altero. Nam quum separari possint à se invicem realitèr præcisâ mentis operatione, certè unum non erit alterum. Ita ergò *sensus manifestus* est, & *omnia, quæcunq; separari possunt realitèr sive separatione mutuâ, sive simplici; sive ordinariâ naturæ viâ, sive extraordinariâ Dei potentia*, quod, inquam, ea *omnia distinguantur realitèr*. At *non vice versâ*,

verâ, quæcunque differunt realiter, possunt separari realiter. Nam sunt, quæ distinguantur realitèr ita ut *tota perfectio & quidditas unius sit in altero*, utque unum sit essentialitèr alterum, nec esse possit extra alterum, quæ utique separari non possunt realitèr. Ita licet detur *realis personarum distinctio in S. Trinitate*, non tamen est possibilis ullo modo realis separatio. Nam tota perfectio unius est in alterâ, & una esse nequit extrà alteram, quum sint essentialitèr unum, & unam singularem essentiam absolvant, adeoque essentijs à se invicem separari nullatenus possint. Arguit quidem *Goslavius* l.c. *separationem quādam personarum ex distinctis symbolis, sub quibus sese manifestarunt Matth. 3.* verum hæc *apparitio distinctionem* quidem *realem personarum* evincit, ut demonstrant *Theologi*, at *separationem essentialem* probare vel inferre nequit. Nam *duo hæc conjungenda, minimè dijungenda sunt*, quemadmodum monet *Dn. Jac. Mart. l. 2. de T. Eloh. c. 22. Observatio sensualis, & judicium intellectus, ex alijs locis Scripturæ rectè informatum. Sensibus tantum externæ species vox, columba, & humana natura obȳciuntur, quæ omninò separantur,*

Quæcunq; differunt realiter, vel possunt illicà separarè realiter.

tur, ut reale aliquid discrimen, etiam sensuum judicio observari posset, interim intellectus rectè ex alijs locis institutus ipsam rem non separat, sed subsistentias juxtà sensualē realem distinctionem, apparitionemque realiter distinguit, non verò separat, cum omnes tres Deum esse, Deumque essentialiter unum existere, optimè sciat. Prætereà nequit simpliciter colligi à *conditione symbolorum & specierum*, ad *statum* & *rationem* eorum, quorum sunt species repræsentativæ, & figuræ notificativæ: quum non omnia, quæ speciebus visibilibus competunt, oporteat ijs competere, quæ per illas ostenduntur & significantur. Nam possunt quædam *externis signis* convenire, quæ nequeant *signatis* æquè attribui. Quod inde colligit Dn. *Kesler. Metaph. Phot. p. 1. s. 3. pr. 4. m. 3 quoniam una & eadem res in diversis subjectis per diversa signa sese manifestare queat.* v.c. *sanitas* diversis in partibus diversis se manifestat signis, *rubore* in *facie*, *pulsu* in *arterijs*, *gressu* in *pedibus*, *hilaritate* in *oculis*, &c. inde tamen colligi nequit, sanitatem non esse unam & eandem in uno corpore. Similiter *facultas animæ vegetans* exerit se in *augmentatione*, *sensitiva* in *visu oculorum*, in *auditu au-*

tu aurium, odoratu narium, &c. nec tamen inde colligi volunt præclari Philosophi, illas facultates essentiâ inter se, & à se invicem separatas esse. Et quis negabit unam eandemque indivisibilem *essentiam divinam* sese posse uno eodemque temporis articulo diversis in locis per distinctas apparitiones & figuras manifestare, ut tamen inde non sequatur essentiarum mutilatio, & realis earundem separatio!

IV. Producens, & is qui producitur, distinguuntur realiter.

Producens, & qui producitur distinguuntur realiter.

Nam præcisâ omni mentis operatione producens est alius ab eo, qui producitur & vice versa; adeoque distinguuntur *realiter*, in quantum *realis distinctio* adæquatè opponitur *distinctioni rationis*. Præterea ubi dantur *relationes oppositæ* sibi mutuo incommunicabiles, ibi datur realis distinctio. Talis v. *relativa oppositio* intercedit inter *producentem*, & *qui producitur*, ut liquet. E. concedi quoq; debet realis distinctio. Unde rectè inferunt *Orthodoxi Theologi* reale discrimen inter *Deum Patrem & Filium Dei* intercedere; quod is producat Filium, & hic producatur à Patre mysticâ & ineffabili ratio-

ratione similiter optimè arguunt *reale discrimen Spiritus S. à Patre & Filio*, quandoquidem *is* producatur à *Patre & Filio* mysticâ & ineffabili quàdam ratione. Cæterum quum realis distinctio strictiori significatu accipitur pro *essentiali* vel eâ, quæ intercedit inter *rem & rem*, non simpliciter verũ est, quod producens & qui producitur; distinguantur *realiter*, vel *essentialiter*. Nam dari potest *ratio producentis & producti in eadem essentiâ*. De *essentiâ* quidem *specie eadem* nulla est controversiâ, quandoquidem omninò necessarium sit in *productione substantiali*, ut *producens & productum* sint ejusdem essentiæ, quantum ad speciem. De *identitate* v. *numericâ* idem constat è Scripturâ: quod sc. personæ *producens & productâ* possint esse ejusdem essentiæ numericæ: quum Deus Pater, & Filius sint ejusdem essentiæ individuæ; eò quod hic non minus Deus sit, quàm ille & in scripturis ita appelletur atque describatur. Novam iterùm somniat contradictionem Crellius *lib. 2. sect. 2. c. 1. pag: 541. quia ex hâc assertione sequatur Filium Dei fore sui ipsius Filium, quum ex suâ ipsius essentiâ genitus statuatur. Quandoquidem Patri*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0668
DFG

trù essentia & quâ Filius est genitus, sit ipsa Filij essentia. Argumentum est tale. *Ex cujus essentia quispiam generatur, ejus est filius. At Filius Dei generatur ex suâ ipsius essentiâ. E. Filius Dei est sui ipsius Filius, adeoque & sui ipsius Pater, quod manifestam involvit contradictionem. Assumtionem* confirmat inde: *quia si eadem numero est essentia Patris & Filij, certè si Filius ex essentiâ Patris est genitus, ex sui ipsius essentiâ genitus est.* Argumentū hoc erit: Essentia Patris est illa, è quâ genitus est, Filius. Essentia Filij est essentia Patris. E. essentia Filij est illa, è quâ genitus est Filius. *Respondeo, distinguendo* ante omnia *inter essentiam singularem communicabilem & incommunicabilem*, supponens tanquam certum & è Script. demonstratum *Essentiam divinam pluribus personis ex æquo esse communem.* Unde stante hâc hypothesi, quod essentia divina eadem numero ex æquo *Filio & Patri* communis sit: quivis intelligit; quum Filius ex essentiâ illâ genitus dicitur, non innui essentiam, quatenus est *realiter communis Patri, & Filio*, nec *essentiam*, quatenus *in hypostasi* filij *terminata* est, sed *essentiam* eandem in quantū *hypostasi Patris* determinata est. Quemadmodum

cum in dico in humanis, *Filium genitum esse* ex *essentiâ*, *genitoris essentiâ* intelligi debet, vel essentia prout *in persona Patris terminata*, non vero vel *essentia humana* in *communi*, vel *eadem essentia*, uti in *persona Filij terminatur*. Etenim ut *hæc essentia humana* ob *universalitatẽ* est communis, & ut *Patris persona* non est *Filij persona*, licet sint *ejusdem essentiæ specificæ*. ita in *illo mysterio* communis est Divina essentia ob *realitatem*, *Patri & Filio*; *Patris*q3 persona non est *persona filij*, tametsi *utraq3 sit ejusdem essentiæ*. Dicent *Socinian. principium peti* hâc responsione. Dicant. Nostrum non est impræsentiarum demonstrare, quod Essentia eadem sit Patris & Filij, quod ad *Theologiam* spectat, sed tantùm συζητήματα adversariorum schemate *Metaphysico* proposita examinare, suppositâ immotâ fidei certitudine. Nunc itaque ad *argumentum*. *Minor* falsa est. *Filium Dei generari ex* suâ *essentiâ*. Ad *prosyllogismum* respondeo 1. *indirectè per instantiam*. *Essentia Abrahami est illa, è quo genitus est Isaac. Essentia Isaaci est essentia Abrahami*. E. *Essentia Isaaci est illa, è quâ genitus est Isaac*. *Dispositio* est eadem. *Conclusio* est absurda. *Major*

certa.

certa. Nec *minor* negari potest: quum Isaac & Abraham sint ejusdem essentiæ humanæ: licet personis distinguantur. 2. *Directe*. Dico *quatuor terminos* esse in *utroque syllogismo*. De *hoc posterio* i. ἐπιστώσεως loco adducto id inde constat: Quod in *majori*, *essentia Abrahami* dicatur *numericè*, quatenus humana essentia ad πρόσωπον contracta est, & ad personam *Abrami* determinata; Nam *essentia* in *communi* non generat, nec quisquã ex eâ generatur. In *Minori* verò *essentia Abrahami* *specificè* intelligitur. Nam *essentia Isaaci* *specificè* saltim non *numericè* est eadem essentiæ *Abrahami*. Similiter in *argumento Photiniano*. *Major* loquitur de *Essentia Patris*, in quantum *Pater* est, & à *Filio* *personaliter* distinguitur: vel de Essentia divina *characterisatâ*, & in *hypostasi Patris terminatâ*, ut ita loquar. Nam ita verum est Essentiam divinam *characteristica proprietate* ad *Personam Patris* determinatam, vel in *quantum* est sub τρόπῳ ὑπάρξεως *Patris*, esse eam, è qua gignitur *Filius*? *Minor* verò subsumit de *essentia Patris* non *in quantum Pater est* & à *Filio* personaliter distinguitur, vel de essentia sub *hypostasi Patris*, sed de *essentia*

Patris in communi, prout eadem realiter Patri & Filio communis est, quæ ratione *essentiæ* nec *generat*, nec *generatur*; adeoque fit processus à *distributo* ad *distributum*. Sic ergò *Crelliana contradictio* evanescit in auras.

Essentia in communi nec generat, nec generatur.

V. Quæ diversis subjectis insunt, ea distinguuntur realiter.

Quæ diversis subjectis insunt, ea distinguuntur realiter.

Inesse subjectis vel designat *attributionem Paronymicam*, quomodo *Aristoteles c. 5. Categor. substant.* distinguit καθ' ὑποκειμένου λέγεται de *subjecto dici*, & ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι *in subjecto esse*; *illo* describit *Synonyma*, quæ *subjecto definitionem attribuunt §. 15. 16. hoc* V. *Paronyma* denotans, quæ insunt subjecto, ut non dicantur de subjecto, id est, definitionem ei non attribuant; vel denotat *accidentalem inhærentiam*, ut quum *accidentis esse dicitur subjecto inesse. Hèic* intelliguntur *attributa quæcunq;*, sive *accidentia* sint, sive *suprà* sortem accidentium, aut *infrà* conditionem eorundem. *Porrò* subjecta diversa vel *definitè* intelliguntur, quæ attributis istis diversificantur; vel *indefinitè*, quæcunque *subjecta plura*. *Hoc* sensu subjectis differre est *plura habere subjecta*;

Illo

illo v. hoc innuitur: attributa ejusmodi ita esse comparata, ut *alterum sit in hoc, alterum non in hoc, sed in alio subjecto.* Quod si itaque *subjectis realiter distinctis* insint attributa, ita, ut quod uni ineat, alteri non insit, tùm omninò oportet attributa illa distincta esse realiter. Si enim nō distinguerētur realiter, idem manens idem, & *inesset*, & *non inesset*, quod ἀδύνατον. Quum v. attributa *plura* occupant *subjecta indefinitè*, oportet distinguere inter *subjecta separata*, & *unita completa* & *incompleta.* Inesse subjectis separatis est separatas habere essentias. At *subjectis diversis συνδεδυασμένοις* & *unitis* inesse nō infert ejus, quod ineat, *multiplicationem*, vel *pluralitatem.* Nam potest idem *attributum diversis at unitis subjectis diversimodè* inesse: *alteri πρώτως & primò, alteri ἑπομένως & consequenter*, propter *unionem* cum altero, uti *eadem vis urendi* ineat & *igni*, & *ferro*, quum *ferrum est ignitum*, licet ignis & ferrum distincta sint subjecta. Deinde *subjecta completa distincta* nequeunt participare attributum realiter idem. Verum alia est *incompletorum* ratio. Nam *accidens* vel *attributum unum idemq;* potest in duobus *subjectis incompletis* in-

Subjectis unitis idem attributum ineesse potest.

Idem accidens potest ineesse plu-

cibus subjectis incompletis.

esse potius duabus subjecti completi *partibus*, uni tanquam πρώτῳ δεκτικῷ *primo* susceptο, *alteri* tanquam participanti ab illâ alterâ. Quomodo *una* est *vita animæ & corporis*, in eodem *supposito*, quæ πρώτως animæ est, tanquam primi subjecti, δευτέρως corporis vita, in quantum eandem participat corpus, ut unio animæ & corporis ad constituendum animatum compositum requirit. Ita in *genere quævis forma quia seipsam, & attributa* sua communicat materiæ, ut eadē participativè insint, ita tamen, ne formā egrediantur; Similitèr *Theologi* docent *attributa divina* τῷ λόγῳ *participativè* inesse *humanæ naturæ ob unionem personalem*, salvâ eorundem *identitate*, quamvis diversus sit inessendi modus. Nam λόγῳ competunt *per se & essentialitèr*: humanæ naturæ propter *unionem* cum λόγῳ & *personaliter*: Modus v. *habendi* diversus non potest *rem ipsam* variare.

Quæ numero non differunt illa eadem sunt.

VI. Quæ numero non differunt, illa eadem sunt.

Numero non differre vel dicuntur *ea*, quæ nec numero differunt, nec alio superiori differentiæ modo, sc. nec specie nec gene-

genere: vel *ea*, quæ, utut aliæ differentiæ genere distinguantur, non tamen ultimo hoc differentiæ gradu, numericâ sc. differentiâ distinguuntur. *Illa*, non *hæc* intelliguntur. Nam constat, quod *universalia* differentia specie vel genere, numero nõ differant, quia universalia sunt, quæ tamen non possunt *idẽ* esse *realiter*; quum sint *species distinctæ* vel *diversa genera*; ut *homo* & *bestia* non differunt numero, tamen specie differunt adeoque sunt *disparata*, non vero *idem* realiter. Unde manifestum est; quod non sint *membra immediatè opposita*; *differre numero*, & *idem esse numero*; quum *tertium* detur nempe, *nec differre numero*, *nec idem esse numero*: uti *homo* & *bestia* non differunt *numero* quia non sunt *singularia*, nec *idem* sunt *numero*, quia sunt *distinctæ species*. Quæ verò *non differunt numero*, ut *numero sint idem*, nec distinguantur *genere* vel *specie*, sive quæ & *singularia* sunt & *unitatem* sc. *identitatem numericam* obtinent; illa sunt *eadem*: sc. vel ut *sint unius essentiæ*, vel ut *non distinguantur realiter*. Sic *unius essentiæ sunt modus specialis sic dictus*, *res modificata*, itemque *modi specialis* sc. *dicti inter se* considerati, quandoquidem

Non sunt membra opposita immediate numero differre & idem esse numero.

Non statim & sunt idem realiter, quæ numero idem non sunt.

non differant numero, quum *modus* non dicat *peculiarem realitatem distinctam à re modificata*: & *modi diversi* in unâ re modificatâ unâ & eandem numero essentiam intimè requirant. *Alia* v. quæ numero non differunt, realitèr quoque *idem* sunt, vel non distinguuntur *realitèr*; in quibus tamen *ratio* potest distinctionem quandam constituere, vel adinvenire, ut *affectio Entis & Ens*, vel *distinctæ affectiones Entis*, & *modi generalitèr dicti* sunt idem numero, ratione tamen distinguuntur. Hinc liquet non esse *universalitèr* & *simpliciter* verum istud *ἀξίωμα*: *Quæcunq; non distinguuntur numero, illorum alterum est alterum.* Nam 1. *conceptus objectivi* possunt esse *diversi*, in ijs, quæ non *distinguuntur numero*, vel etiam quæ *idem* sunt numero: *unio animæ cum corpore* non differt numero ab animâ nec tamen à *parte rei* unio *animæ* & *animæ* sunt idem; & in *eodem calore gradus caloris*, *præsentia caloris*, *dependentia* non distinguuntur, sed idem sunt numero, licet à parte rei idem non sint. 2. *Conceptus formales diversi* esse possunt, salva identitate *numerica*. Sic in *Ente idem* sunt *numero*, *unitas*, *veritas*, *bonitas*,

Quæcunq; non distinguuntur numero, illorum alterum est alterum.

tas, perfectio, ut & inter se, non tamen vel unitas aut veritas, &c. formaliter est ens ipsum, vel unitas formaliter est veritas. &c. unde non possunt de se prædicari in abstracto, nisi addita determinatione, ut unitas est veritas sc. à parte conceptus. Sic omnipotentia divina est omniscientia à parte rei, vel distinctè, non formaliter &c.

VII. Distinctio rationis non infert separationem.

Distinctio rationis nō infert separationem.

Rationis distinctio gemina est: altera rationis concipientis: s. ratiocinatæ: altera rationis conficientis, s. ratiocinantis. Illa præsupponit aliquod fundamentum in re; hæc verò unicè consistit in operatione rationis absque fundamento in reipsâ. Separatio itidem duplicitèr intelligitur: Actualis, & aptitudinalis. Prior est, quâ loco dissèparata sunt, vel separatas habent essentias. Posterior, quatenus non involvitur quædam repugnantia, ut loco separentur. Hinc dicimus. Distinctio rationis, sive concipientis, sive conficientis non infert separationem aptitudinalem, nedum actualem. Sive: quæ solâ ratione distinguuntur, ea non sunt actu separata. imò ne quidem separari possunt ab invicem

vicem, sive ordinariè sive extraordinariè. *Ratio* est: quia quæ solâ ratione distinguuntur, ea realitèr sunt idem. Quæ v. *realitèr* idem sunt, ea ab invicem separari nequeunt *realitèr*. Nam si separarentur, tùm *idem à seipso* tolleretur, ac proinde *idem* non esset *idem* quod manifestam implicat contradictionem. Proinde nec *absoluta Dei potentia* fieri potest, ut *ratione tantùm* distincta à se invicem separentur, adeoque à *rationis separatione* ad *possibilitatem separationis per potentiam Dei absolutam non valet consequentia.* Nam potest omninò *ratio* separare quæ à *parte rei* eadem sunt, & nullâ vi separari possunt *realitèr*. Notetur autem, quod aliud sit *ratione separare*, seu *mentaliter distinguere*, aliud *judicium ferre* super his, quæ *solâ ratione* differunt, & *tantùm mentalitèr* distinguuntur. *Ratio* equidem nostra facilè potest distinguere, quæ in reipsâ verè unum sunt, eaque pro modulo suo separare, ac distinctè concipere. At v. non æquè facile est cognoscere, vel judicare *quænam* solâ ratione distinguantur & solâ rationis operâ separari queant: quæve realitèr distinguantur, & reapse separari possint, quâ in re sæpè fallitur,

Quæ ratione tantùm distinguuntur, nullabi separari possunt.

tur v. g. quum judicat *quantitatem â corpore solum ratione distingui*: & ne quidem per absolutam Dei potentiam separari posse, & sic de cæteris.

VIII. Quæ definitione differunt, ea ad minimum distinguuntur ratione. *Quæ definitione differunt, ea ad minimũ differunt ratione.*

Definitio enim est repræsentatio rei corâm intellectu. Ubi ergò diversa definitio, ibi *diversi conceptus formales*. At quæ diversis *conceptibus formalibus* distinguuntur ea differunt ratione. Non v. *reciprocè*, quæcunq; *ratione* distinguuntur, ea *definitione* quoque differunt. Nam potest rationis quoddam dari discrimen ubi nõ datur alius atque alius conceptus formalis. Quod est discrimen *rationis fictæ*, seu *ratiocinantis*. v. *Dn. Kesler. p. 1. Met: Phot: s. 3. 2.* qui de his plura. *Non reciprocè.*

IX. Æquale non est idem. *Æquale nõ est idem.*

Hoc axioma dextrè intellectum verum est. Nam *æqualitas* est plurium: & quidem primâ vocis impositione, *convenientiam* vel *identitatem* plurium designat, ratione *quantitatis*, intellige *quantitatem molis*. Quum enim unum tantum est, & tantæ molis, quantum, vel quantæ molis est alterum, dicitur eidem æquale.

De-

Deinde v. usus vocis translatus est ad *quantitatis perfectionis*, ut vocant, *identitatem* innuendam, *virtutis* sc. & *operationis*, quomodo æquales dicuntur, qui æquè possunt, vel æquè operantur. *Duo* ergò ita ad æqualitatem requiruntur. 1. *Convenientia* vel identitas in quantitate molis, vel perfectionis & virtutis, & 2. *pluralitas* eorum quæ conveniunt. Unde quæ simplicitèr idem sunt, æqualia dici nequeunt. Implicat enim contradictionem: quum idem à semetipso in quantum idem non sit diversum. Verum enim verò ampliatur porrò nomen *æqualitatis* ad indicandam *identitatem* plurium ratione essentiæ. Hinc summatim *æquale* aliquid dicitur vel ratione *essentiæ* vel ratione *virtutis* vel ratione *operationis*, vel ratione *quantitatis*. Quum v. *de fide* constet, quod *plures* dentur *personæ ejusdem singularis essentiæ, ejusdem virtutis, ejusdem operationis*, nihil obstat, quo minus earū una dicatur æqualis alteri, quandoquidem manente *identitate essentiali* detur quædam *pluralitas* (personarum) & plurium *identitas*, adeoque latè loquendo, *vera æqualitas*. Quemadmodum aliàs *æqualitas plurium personarum* respectu *essentiæ*

Æqualitas pluriū ratione ejusdē essentiæ.

tiæ specificæ rectè appellatur. Ita v. g. *Isaac est æqualis Abrahamo* ratione *essentiæ humanæ*. Quocircà assertum Orthodoxorum firmum est. Qui *Deo æqualis est*, *is est Deus*, quum *æqualitas essentiæ, virtutis, operationis* in subjecto designantur: ut sensus sit. Qui est *ejusdem essentiæ* cum *Deo Patre*, ejusdem *virtutis*, ejusdem *operationis* is est verus Deus. Excipit autem *Crellius lib. 1. sect. 2. cap. 36. pag. 342. Æquale semper aliam habere essentiam ab eo, cui æquale est. Alias idem fore æquale sibi ipsi, quum tamen æqualia relata, ac porrò opposita sint*, Resp. Æqualitas *in abstractione*, & quà talis non infert pluralitatem *essentialem* eorum, qui sibi æquales dicuntur, sed tantummodò in genere aliquam *pluralitatē realem. Ubicunque* ergò plures realitèr conveniunt in essentiâ, ibi datur essentialis æqualitas. *Ratio* est: quia *æqualitas* cum sit terminus *transcendens* ita describi debet *in abstracto*, ut omnibus, quibus intercedit æqualitas, competere possit. Omnia itaque evolvenda, quæcunque denominantur æqualia, & ab omnibus abstrahendus communis conceptus, in quo omnia conveniunt in quantum æqualia, Quum

Æqualitas in abstractione infert essentialem pluralitatē

ita-

itaque *æqualitas essentiæ* in abstracto sistenda, oportet respicere omnia, quæ *essentiæ æqualitatem* obtinent. Non ea saltim quæ in *Natura* spectantur, sed & quæ *Scriptura* proponit; à quibus præscindatur communis notio *æqualitatis essentiæ* quæ certè nihil aliud importabit; quàm *plurium identitatem essentialem*. Quam si ulterius determinaveris, *partim* ut pluralitas inferatur non ratione *subsistētiæ* tantùm, sed & ratione *essentiæ*, vel non *tantùm realis*, sed *essentialis*; *partim*, ut identitas intelligatur non quâ essentiam *indefinitè*, sive essentia eadem sit *numero*, sive *specie*; sed *definitè*, quâ essentiam *specificam*; tùm violatæ jam erunt *leges abstractionu*; quandoquidem ejusmodi æqualitas essentiæ tantummodò in *natura finita* detur, quâ plura *essentiâ numericâ* conveniunt in eadem *essentiâ specificâ*; cæterum in *Naturâ infinitâ* ejusmodi æqualitas non datur, in qua tamen æqualitatem essentiæ dari *Scriptura* testatur. Quocircà è collatione atque cognatione *æqualitatis*, quæ in *Natura finita* observatur, nec non æqualitatis in *Naturâ infinitâ*, quam Scriptura nobis proponit, erui debet abstracta ratio

Abstracta ratio æqualitatis.

tio

tio æqualitatis: Non verò è *ratione communi* ejus æqualitatis, quæ unicè in *naturâ finitâ* datur, impugnari debet æqualitas, quam in *Natura infinitâ* adstruit *Scriptura*. Nulla ergò est sequela. *Æquale in naturâ finitâ semper habet aliam essentiam, ab ea, cui æquale est.* E. & *Filius Dei aliam obtinet essentiam à Patre*, quum ei æqualis esse dicatur. Nam *infinita natura non est æstimanda è conditione naturæ finitæ.* Quod si dicant adversarij, *antecedens* esse *absolutè & simpliciter verum*: Respond. peti *principium*. Nã id probandum, ad æqualitatem *in abstracto*, & ut *sic*, requiri *diversas essentias singulares*, non autem sufficere *diversas subsistentias*, quæ realem distinctionem importent, sibique mutuo sint incommunicabiles. Sanè ubi constiterit dari *personas* inter se realitèr distinctas, quæ sint *ejusdem essentiæ virtutis*, & *operationis*, uti omninò è Script: constat, haud negandum erit, quod *personis* ipsis intercedat *æqualitas*. Quod vero attinet *probationem* Crellij: *æqualia esse opposita, non eadem*, dicimus *utrumque* ad *æqualitatem essentiæ* requiri, *tum oppositionem aliquam*, ob quam sint incommunicabilia, quæ denominantur

Natura infinita non debet æstimari è finitã.

Quomodo æqualia nõ sint eadem.

æqua-

æqualia, & realem distinctionem à se obtineant: tùm *essentialem identitatem*, cujus gratiâ dicuntur æqualia in essentiâ quomodo *suppositâ* ejusdem *naturæ finitæ tum oppositâ* sunt, quâ subsistendi incommunicabilitatem *tùm eadem*, qua naturæ identitatem: *Pariter* in *divinis*, datur *suppositorum relativa oppositio*, & *incommunicabilitas*, à qua dependet *realis distinctio*; datur quoque *essentiæ identitas*, vel *essentialis indistio*, adeoque negari nequit *æqualitas*. Proinde quum *idem sibi ipsi æqualis negatur*, distinguere oportet *identitatem subsistentiæ* ab identitate *essentiæ*. *Eadem persona* sibi ipsi æqualis non est, quia *identitas subsistentiæ* omnem excludit pluralitatem. At *diversas ejusdem essentiæ personas æquales sibi* esse quomodo negabitur, quandoquidem *essentiæ identitas* non omnem excludat *pluralitatem*. Quocircà *æqualis non est idem*, (genere masculino) vel non est ille, cui est æqualis, qui & ipsi est æqualis: attamen *æqualis potest esse idem* (genere neutro) quod est ille, cui est æqualis, secundum *essentiam* vel *specificam*, ut fit in personis humanis, vel *numericam*, ut in personis divinis.

Idem sibi ipsi æqualis.

X. Ubi

X. Ubi actu ipso datur distinctio, ibi concedenda realis distinctio.

Ubi actu ipso datur distinctio, ibi concedenda realis distinctio.

Ita *Crellius*, qui exinde colligit *essentiam divinam & personas distingui realiter*: quum *essentia divina actu ipso possit communicari* (juxta nostram sententiam) *pluribus personis, & communicabilis fuerit, ante omnem operationem intellectus nostri, contrà autem persona sit incommunicabilis pluribus personis adeoque actu etiam ipso inter essentiam & personam discrimen esse oporteat* l. c l 2. s. 3. p. 606. Resp: *Actu* distingui potest *dupliciter* intelligi, vel ratione *actus intellectus*, qui virtualem in re observans differētiam, discriminat conceptus formales: vel ratione *actus objecti*, quod non virtute saltim distinctum sit, sed reapse, & actualiter. *Isto* significatu liquet non inferri reale discrimen. Actus enim mentis suppositio quodam fundamēto ratiocinatus, ut barbarè loquuntur *Scholastici* in reipsa discrimen facere nequit. *Hoc* verò sensu certum est, discrimen quæ sunt *actu* non tantum *virtute*, ea *realiter* distincta esse. Quantum vero ad *personam* & *essentiam* Dei,

Actu distingui dicitur dupliciter.

Persona & essentia Dei non distinguuntur actu.

negamus, quod *sensu posteriori*, eaque maximè proprio distinguantur ab invicem *actu*! Obstat enim *simplicitas summa* DEI, quo minus *persona* & *essentia* distinguantur *actualiter*: Nam si daretur heic *actuale* discrimen, admittenda esset quædam in Ente simplicissimo *compositio actualis* è *modo* & *re modificatâ*. Nam ubicunque *modus actu* distinguitur à *re modificatâ*, ibi infertur *actualis* & *realis compositio*. *Contradicentia* verò ista *prædicata communicabile* & *incommunicabile* nō inferunt plusquàm *rationis* discrimen inter *essentiam* & *personas* in divinis. Non enim simpliciter verū: *Quæcunq; admittunt prædicata contradicentia, ea sunt distincta ante operationem intellectus*. Nam ea quoque admittunt prædicata contradicentia, quæ saltim *formaliter* distinguuntur, ut *animal* & *homo*. Sic *posse dormire* & *vigilare* primo & per se dicitur de animali, sed non primò & per se dicitur de *homine*. At contradicentia sunt quadam prædicata, *primò & per se prædicari*, & *non primò & per se prædicari*. Sic, *Ens* & *unitas*, non nisi formaliter distinguuntur attamen admittunt prædicata cōtradicentia: *Ens* enim est *objectū primæ*

Prædicata contradicentia non inferunt actuale discrimen.

Phi-

Philosophiæ; est primò cognitum, est subjectū attributorum transcēdentium: At v. unitas non est objectum primæ Philosophiæ, non est primò cognita, non est subjectum attributorū transcendētium, &c. Ita veritas & perfectio differunt formaliter, & de ijs prædicari possunt contradicentia, & sic de cæteris. Ratio v. hujusce rei in promptu est: quia cōtradictoria isthæc prædicata tribuantur eidem non ad *idem*, non *eodē respectu*. diversus a. respectus facit, ut convenire possint eidem contradicentia attributa. Ita negari nequit Deo ratione *misericordiæ & justitiæ* attribui prædicata contradicentia, utut saltim *formale* discrimen intercedat inter *misericordiam & justitiam Dei*. Quomodo v. g. *justitiæ divinæ* est *punire reprobos*: *misericordiæ divinæ nō est punire reprobos*, &c. Nunc in *specie* ad *personā & essentiam*. Declaro hoc negotium exēplo individualitatis, ut ita loquar & *naturæ individui*, quæ non distinguuntur nisi *formaliter*: quavis *natura* ejus sit cōmunicabilis, *individualitas* incommunicabilis. v g. In *Abrahamo* eadē est res ejus *natura*, & *individualitas*; attamē *natura* est cōmunicabilis, quum cōmunicetur filio *Isaaco*, non communicatā *individualite*,

Communicabile & incommunicabile eidem competere possunt.

quippe quæ est *incõmunicabilis*. Proinde quum de fide certum sit utrumq; , *tùm* ℘ *essentia & persona divina non inferant actualem compositionem*, *tum* quod *essentia divina sit cõmunis plurib. personis incõmunicabilitas*, nequaquã fas est *istud huic* opponere, sed *utrumq;* firmitèr tenere oportet: utut id quodãmodo saltim liceat declarare, non plenè cognoscere. Nec verò mendacium committitur, quum *formale discrimen* ab intellectu constituitur inter ea, quæ *actu* distincta non sunt. Nam *abstrahentium non est mendacium*. Ideoq; notandum: aliud esse *abstractionem simplicẽ & præcisivam*, per quã q. efficit mens nostra hujusmodi distinctionẽ, aliud *abstractionẽ negativam*, quâ negat in re eadẽ esse, q̃ sic concipit. *Illa* est, quâ simplicitèr rẽ eandẽ apprehendit distinctis & inadæquatis conceptibus quo ipso nequaquam affirmat in reipsâ esse distincta, q̃ ita apprehẽdit, ℘ modulo suo distinctè, sed simplicitèr & absq; cõpositione seu affirmatione aut negatione ea cõcipit ut distincta, quod si fieri debere neget *Crellius*, oportet eum *actu reflexo* nũquam usum fuisse; alioquin omninò animadvertisset mentẽ sæpè *distinctè* cõcipere, & *distinctis*

Formalis distinctio non infert aliquid præter rem.

Abstrahentium non est mendacium.

Abstractio præcisiva.

Negativa.

stinctis conceptibus sibi sistere, quæ in re sunt *idem* v. g. *conceptu generico* & *differentiali*, eandem essentiam; *individuâ differentiâ*, & *essentiâ* unum individuum, &c. Hæc vero est, quâ *intellectus* judicat distincta in re esse, quæcunque distinctè concipit, ubi omninò committi potest *mendacium* ut eadem in re distincta non sint. Conceptus enim tùm non est conformis ipsi rei. Porrò *abstractiva* illa distincta apprehensio non caret *omni fundamento in re*: Non quidem quod *actualiter* & *formaliter* sit in rebus, alioquin esset vera & realis distinctio, solumque requireretur ratio ad illam cognoscendam, non v. faciendam, sed quod non omninò ex mero opere rationis sit, sed ex occasione quam res ipsa præbet, circà quam mens ratiocinatur. Unde salutatur *distinctio rationis ratiocinatæ*. Quare *fundamentum*, quod debet esse in re ad hanc distinctionem, non est *verè actualis distinctio* inter eas res, quæ sic distingui dicuntur: aliàs non fundamentum distinctionis, sed distinctio ipsa antecederet; sed esse debet vel *eminentia ipsius rei*, quâ sic mens distinguit, quæ à multis appellari solet *virtualis* distinctio, vel *certè habitudo*

Distinctio formalis quomodo habeat fundamentum in re?

bitudo aliqua ad res alias verè & in re ipsâ distinctas, plenes quas talis distinctio concipitur seu excogitatur, ut habet *Schvarius t. 1. d. v. tr. 5. l. 1. n. 4.* Quibus notatis expediri poterunt, quæcunque ignorantia distinctionis formalis naturæ suggessit *Crellio* loco *citato*.

Quæcunq; realiter idē sunt, eorum communicato uno communicatur & alterum.

XI. Quæcunq; realiter idem sunt, eorum communicato uno communicatur & alterum.

Usus principij istius.

Principio hocce partim utuntur *orthodoxi*, partim abutuntur *Calviniani, Jesuitæ, & Photiniani.* Ideoque accuratâ opus est ejusdem evolutione. *Orthodoxi* utuntur istud axioma adversus *Jesuitas & Calvinianos*, quum arguunt à *communicatione subsistentiæ* τῷ λόγῳ naturæ humanæ factâ ad communicationem *Naturæ & idiomatum* τῷ λόγῳ; quandoquidem *subsistentia, natura, idiomata divina* τῷ λόγῳ non distinguantur, sed *idem* sint *realiter.* Ubi tamen observandum,

Urgeri potest κατ' ἄνθρωπον.

quod istud principium urgeri possit in disputationibus *partim absolutè κατ' ἄνθρωπον* adversus prædictos *adversarios*: quum & ipsi hoc principio utantur absolutè, vel *potius abutantur* adversus nostram ὀρθοδοξίαν *de idiomatum communi-*

Abusus Jesuitico Calvinisticus.

catione

tatione, quando colligunt communicato uno attributorum vel idiomatum divinorum communicari & cætera ob *realem omnium attributorum Dei identitatem* ut videre est *apud Grabium contrà D. Hunn. de Pers. Chr. & Sohnium Exeg. A. C. loc. de Chr. & Becan: opusc: Theol: t. 2. opusc. 5. p. 252* quanquam *hic* rationem hanc inefficacem agnoscat alibi, si nihil addatur, vel si non limitetur axioma; ob ἔνστασιν, quam patitur in mysterio Trinitatis: *partim limitatè καὶ ἀλήθειαν*, si ita restringatur & explicetur ut nullatenus veritati officere possit, Nam quum præter *Calvinianos & Jesuitas Nestoriani* quoque abutantur hoc principio oportet eodem cautè uti. *Distinguendum* itaq; *1. τὸ realiter* idem esse. Etenim vel denotatur *simplex & omnimoda identitas*, ut simpliciter idem sint, nullatenus distinguantur, ne quidem conceptibus formalibus, vel denotatur saltim *identitas essentialis*, aut rei, ut non sint plures res, aut Entitates, vel deniq; *identitas tantùm realis*, ut non distinguantur à parte rei, sed idem sint ante omnem mentis operationem. 2. Quæ *realiter idem* sunt, si non sint *idem simpliciter, diversitatem*, sive quam *inter se*

Photinians.

Realiter idem tribus modis dicitur.

Disparitas eorum, quæ realiter idem sunt.

habent, sivè quàm obtinent in ordine ad *terminum*, sive ratione *operationis*, sive denique ratione *subjecti*, causam agnoscunt, ut non sint *idem simpliciter*. Ita datur quædam *diversitas* inter ea, quæ realiter sunt eadem, quum se nō *æqualiter*, & *mutuò*, sed *inæqualiter*, vel *non mutuò* respiciunt, ita quidem, ut unum sit respectu alterius *receptivum*, *essentiæ causa*, alterū *receptibile*, quomodo *animal* & *homo* realitèr idem sunt, ut *animal* quidem οὐσίαν ἔνεκα sit μέθεκτον & recipiatur & participetur in & ab *homine* & *homo* sit μέτοχος seu particeps *animalis* οὐσίας ἕνεκα essentiæ gratiâ, non v. seipsum communicet (reciprocè) *animali*. Sic *natura* & *suppositum* (in abstractione) non differunt *realiter*, *suppositum* est μέτοχον: vel *participativum naturæ*: *Natura* v. est μέθεκτος, & *participatur* à suppositio, quandoquidem suppositum imbibat ipsam Naturam intimè at non *reciprocè*, natura suppositum. Sic porrò ratione *termini* datur diversitas eorum quæ distinguuntur realitèr. Nam *quædam* ex ijs agnoscunt *terminum* aliquem cōmunem ceu *tertium* aliquod, & eidem conveniunt; *quædam* verò in ordine ad tertium aliquod ita sese habēt

Respectu sui.

Ratione termini.

ut

ut *alterum* eorum termino convenire possit, *alterum* ipsi repugnet. Quomodo *Natura individui*, ejusque *individualitas*, *& personalitas* v. g. in *Patre* realitèr idem sunt, vel una eademque res; at si *tertium* respicias, *Filium* sc. animadvertere licet, quod *Natura Patris* convenire possit, & conveniat *Filio*, quum sint *ejusdem naturæ*, at *singularitas Patris* vel *propria* ejus *individualitas & personalitas* nequaquam *Filio* convenire possit, sed contradictionem implicet, *singularitatem & personalitatem* unius suppositi tribui supposito alteri. Sic præterea in *respectu* ad *operationem*, disparitatem quandam obtinent etiam ea quæ actu ipso, & realitèr distincta non sunt. Nam *quædam* eorum operari possunt, *quædam* non: ideò *illa* ἐνεργητικὰ, hæc ἀνενέργητα vocantur & quæ operantur, *quædam* hoc, *quædam* aliud *objectum* respiciunt. Quomodo in *Deo* realitèr idem sunt *infinitas & omnipotestas*: *Ista* tamen est ἀνενέργητος, *hæc* ἐνεργητική. Sed *justitia & misericordia* distinguuntur ratione *objecti* tametsi *utraq;* sit ἐνεργητική. Ita juxtà nonnullos *immortalitas in animâ rationali*, *& vita* ejusdem realitèr *idem* sunt: *Illa* verò quiescit, *hæc*

Respectu operationis.

operosa est. *Facultates animæ* ex sententiâ quorundam sunt *idem realiter*, tametsi *objectiu* distinguantur & *operationibus*. Denique ratione *subjecti* oritur quædam diversitas inter ea, quæ non differunt realiter. Nam possunt ea subjectum inæqualiter respicere, ita, ut unum ipsi sit intimius, proximius & magis necessariũ altero. Quomodo in *animâ corpori unita* non distinguuntur realiter, (sc. ut res & res, vel plures Entitates) ejus *essentia & unio cum corpore*, nec non ejus *dependentia à primâ causâ*, & ipsa *unio*; Sed distinguuntur saltim, ut *modus & essentia*, vel ut *modi diversi*: at nihilo secius diversimodè afficiunt subjectũ. Nam *essentia animæ* est summè intima, nec minus *dependentia* ipsi est necessaria; non ita *unio*. Etenim *essentia* atque *dependentia* separari nequeunt ab ipsâ animâ, *unio* v. est separabilis, quum anima in statu separationis existit. 3. *Communicatio* intelligi potest vel κατὰ μέθεξιν *essentialis*, vel κατὰ συνδύασιν *extraessentialis*. Sic κατὰ μέθεξιν communicatur *genus speciei*, *species individuo*, & *in divinis natura divina suppositis*. Ita κατὰ συνδύασιν communicatur *anima corpori*, *virtus urendi*

Communicatio essentialis vel extraessentialis.

fer-

ferre & *in divinis*, *personalitas divina* τῆς λόγου *humanæ naturæ* Christi. His prænotatis de principio prædicto ita habendum. *Quæ realiter idem sunt, & eadem modo sese habent, sive inter sese, sive ratione alicujus tertij, sive in ordine ad subjectum, sive ratione objecti, & operationis*, & ut uno verbo dicam, *quæ simpliciter idem sunt; illorum unum communicato quotunq; modo, communicatur & alterum.* Ratio est in promtu. Nam ubi omnimoda identitas, ibi nulla diversitas. Ubi eadem planè ratio, ibi nulla disparitas. Et *vice versâ*; Si detur aliqua diversitas, & ratio dispar, jam expirabit identitas simplex, & omnimoda. *Porrò*, quæ *realiter idem* sunt, ita, ut non distinguantur, tanquam *res & res* seu *diverse Entitates*, tametsi à parte rei, citra mentis operationem distinguantur ea *possunt* talia esse, ut *unum eorum communicato, non communicetur alterum. Illa sunt*, inquam, non enim talia sunt præcisè. Sed quædam eorum ita sese habere possunt. 1. *Quum* unum eorum est *recipiens*, alterum *receptibile essentiæ* causâ, s. ratione *quidditatis*. Ita *natura humana*, ejusdemq; *personalitas* non distinguuntur *realiter* ut *res & res*, quanquam

Quæ simpliciter idē sunt eorum uno cōmunicato cōmunicatur & alterum.

Quæ realiter idē sunt possunt talia esse, ut uno communicato non communicetur alterum.

1. *Quum habent se ut recipiens & receptibile.*

præ-

præcisâ mensis operatione differunt ut *res & modus* à parte rei distinctus: *communicabilis* autem est *natura humana*, *incommunicabilis persona*, quum *Pater Filio* communicet quidem *esse* suum, non verò *personalitatem* suam. Constat verò, quod *persona & natura* ita se habeant, ut unum eorum sit μέθεκτον, alterum μέτοχον. *Recipiens est persona*; quæ includit naturam: *receptibilis est natura*, quæ includitur in personâ. 2. *Quum* unum eorum *tertio alicui*, ratione cujus fit communicatio, est *conveniens & receptibile* ab eodem; vel *disconveniens*, & naturæ ejus repugnans. Ita *spiritualitas & vita animæ* distinguuntur ex mente quorundam, *modaliter* saltim, at communicatâ *vitâ animæ* corpori, non communicatur *spiritualitas* animæ, sc. quantum ad *usurpationem & denominationem*. Nam *corpus* quidem *vivit*, *& vivum* dicitur, at non *spirituale* evadit, nec *spirituale* dici potest. Ita ergò constat: quod & κατὰ μέθεξιν vi *primi exempli*, & κατὰ συνδύασιν vi *secundi exempli* cõmunicari queat unum non communicato altero, licet maximè non distinguantur ut *res & res*. 3. *Quum* unum eorum est ἐνεργητικὸν, alterum ἀνενέργητον. *Exempli* loco

2. *Quum unũ est receptibile alterum non.*

3. *Quum unũ est ἐνεργητικὸν alterum ἀνενέργητον.*

loco esse potest iterum *animæ immortalitas & vita*. 4. *Quum* unum magis est *necessarium & intimius subjecto*, cui fit cōmunicatio, quam alterum. Ita si *anima*, quæ hîc *Rostochij* unitur *corpori* suo, etiam sit *extrà corpus Regiomonti*, quod per absolutam Dei potentiam fieri posse assetunt *Philosophi*. Sanè *animæ essentia* communicatur heîc corpori suo, non tamen communicatur *præsentia* illa, quâ *præsens anima est Regiomonti*. *Tandem*: *Quæ realiter idem* sunt *strictius*, ut nō distinguantur â parte rei ante operationem mentis, ea adhuc ita differre possunt, ut *communicato uno eorum non statim communicetur alterum*. Idq; *partim* quâ *communicationem* κατὰ μέθεξιν: *partim* quâ cōmunicationem κατὰ συνδυασιν. *Illius exemplum* sit *natura communis & singularis*, quæ â parte rei nō distinguuntur. Nā *individui* nulla alia est essentia, quā *speciei essentia*, quæ *actu existentiæ* limitatur, ut sit *individuum*. Actus enim ille qui *individuum* facit individuum, à *speciei* essentiâ non differt, sed est *idem ille actus*, qui constituit speciem, differens à seipso tantum *gradu determinationis*. Quatenus dat *actum essentiæ*, *speciem* gignit, quatenus v. constitutæ speciei dat

Quæ non differunt ante mentis operationē, ita differre possūt, ut uno communicato non communicetur alterum.

Quā communicationem κατὰ μέθεξιν.

dat *actum essentiæ* hujus, à quo *unitas numeralis* facit *individuum*. At nihilo secius *communicatur natura communis non communicatâ natura singulari*. Cur analogon est, quod de *mysterio Trinitatis* fides nostra profitetur, quum *essentia divina* realiter sit communis *pluribus personis*, at *personaliter* sit incommunicabilis, licet *essentia & personalitas divina* actu non distinguantur ante mentis operationem. *Ratio* est: quia etiam in hâc realissima *essentiæ & personæ identitate* adhuc quædam disparitas, vel diversitatis ratio cõspicitur, *tum* quod essentia sit μεθεκτὸν τι persona μεθέκτικον ἑαυτῆς ἕτερα, quodque proinde non habeant sese æqualiter, nec mutua sit utriusque *ratio*. Scilicet *natura* recipitur in & à *personâ*: non tamen *contrà*, recipitur *persona* à *natura*. Nam *essentiam rei* participat quidem *modus*, eamq; intimè includit, atque recipit, non verò *vice versa natura* participiat & recipit *modi rationem*, ut intimè in esse suo modum includat: *tum* vel maximè ideò, quod essentia in ordine ad *tertium* sit *receptibilis*, non autem *persona*. Sic *essentia Patris* communicati potest *Filio*: *persona a patris* communicati nõ potest:

Natura communis communicatur non cõmunicatâ singulari.

Essentia divina communicabilis est, persona incommunicabilis.

Ratio.

Persona & essentia reflectiunt sese inæqualiter.

quia

quia *illud* non repugnat, ut eadem essentia personis diversis communis sit, & ut eandem essentiam participent plures subsistendi modi: quum *essentia* in *quid. ditate* & *formalitate* sua non *infera incommunicabilitatem ad plura suppositа*, sed tantùm *incōmunicabilitatem ad res plures*: at vero *hoc* manifestissimè repugnat: ut *persona* una suam ipsius personalitatem communicet personæ alteri; quandoquidem *ratio personæ formalis* consistat in *ipsâ incōmunicabilitate ad aliud suppositum*. Esse v. alteri supposito *communicabile*, & esse alteri supposito simpliciter *incommunicabile* implicat. Quocirca elumbe est *argumentum Photinianorum*, quo colligunt *â communicatione essentiæ divinæ ad communicationem personæ certæ*, & *â negatione communicationis personæ ad negationem communicationis essentiæ*. Si enim *Maior* argumenti ita castigetur & limitetur: *Quæcunq; non differunt realiter, eorum* uno communicato communicatur & alterum, sc. *si mutua sit utriusq; ad invicem ratio*, & utrumque *tertio* illi, cui fit communicatio, *possit convenire*, concedo. *Secus*, si *unum* eorum, sit μέθεκτον *alterum* v. μέτοχον οὐσίας ἕνεκα, tùm quidem

Essentia quà talis non infert incommunicabilitatem.

Sed personæ

Castigatio collectionum Photinianarum à communicatione essentiæ ad communicationem personæ.

dem communicatò *hocce* oportet communicari istud: quum *hoc in sese istud* recipiat & intimè includat; sed *nō reciprocè: isto* cōmunicato statim quoq; *hoc* cōmunicari oportet, sed porrò dispiciēdū, *utrū* non minus *hoc* quàm *illud* convenire possit *tertio isti*, cui fit communicatio: & si *istud* quidem cōvenire possit *alteri* citrà repugnantiam, *hoc* verò rationi ejusdem repugnet, manifestum est: quod *illius* communicatio non inferat communicationem *hujus*: quodque *negatâ communicatione hujus* non ilicò *negari* debeat *istius communicatio*. Nunc verò constat, quod *essentia divina* & *persona divina*, utut ob divinæ essentiæ ἀπλῶς καὶ πάντως ἀπλῆς τελειότητα non differant τῷ εἶναι, sed tantum τῷ λόγῳ, quum *persona* aliqua citrà *Deitatem* ejusdem vel extrà eam, vel præter eam ne fingi quidem possit: nihilominus ita sese habeant, ut μέθεκτον, καὶ μέτοχον. Nam *essentia divina* participatur à *personâ*, & *persona* fit particeps essentiæ divinæ. Proinde *communicata persona*, si communicari possit, communicari quidem debet *essentia*: *non v. reciprocè; essentiâ divinâ* cōmunicatâ oportet quoque communicari *perso-*

nam

nam, imò si *tertium* istud, cui *essentia* communicatur, *persona* sit, uti omninò *Filius Dei* persona est, cui *Deus Pater* communicat essentiam, tum planè impossibilis est *personæ communicatio*. Quum *essentia*, quà *talis* non importet incommunicabilitatem: at *ratio formalis personæ* sit hæc ipsa *incōmunicabilitas*. Unde constat, *Photinianos* quidem perperam concludere à *communicatione essentiæ ad communicationem personæ*; in *mysterio Trinitatis* adversus nostram ὀρθοδοξίαν: at *orthodoxos* optimè colligere à *communicatione personæ divinæ ad communicationem naturæ divinæ in mysterio incarnationis* adversus *Zvingliano-Jesuiticam* σκολιοδοξίαν. Quandoquidem illi procedant à *communicatione* ejus *quod participatur*, ad communicationem *ejus quod participat*; à communicatione ejus quod non est simpliciter *incommunicabile* ad communicationem ejus, quod est *incommunicabile*; Nos verò arguamus à communicatione *ejus quod participat* communicationem *illius quod participatur*; & quidem ubi *neutri* repugnat istiusmodi communicatio. Nam & *natura naturæ alteri*, & *subsistentia naturæ*

Quod non licent concludere à communicatione essentiæ ad personæ cōmunicationem, at è communicatione personæ rectè ad essentiæ cōmunicationem colligatur.

turæ realiter diversæ communicari potest citrà ἀντίφασιν, ut *parte speciali* docebimus. Quocirca ut tantò fortius constringantur adversatij, argumentum nostrum ita informamus cum *eruditissimo Dn. Schrödero, Theologo & Philosopho exercitatissimo: Quorum* alterum non differt ab altero τῷ εἶναι, sed tantùm τῷ λόγῳ & quidem ita ut alterum οὐσίας ἕνεκα sit μέθεκτον, alterum μέθεκτον, eorum si hoc communicetur, ἐξ ἀνάγκης etiam cōmunicabitur alterum: & *è contrà*, cui negatur illud eidem negabitur & hoc. At v. ὑπόστασις τῆς λόγου ab essentiâ divinâ & essentialibus idiomatis non differt τῷ εἶναι, sed tantùm τῷ λόγῳ, ita quidem ut hæc sit μέθεκτόν τι οὐσίας ἕνεκα, illa μεθέχεται, intellige λογικῶς. E. si ὑπόστασις τοῦ λόγου carni realiter communicata est, ἐξ ἀνάγκης eidem realiter οὐσία τοῦ λόγου & essentialia idiomata ejus communicata fuerint. Et ex adverso: Si negetur illi communicata essentia & idiomata essentialia, eidē quoq; negabitur ὑπόστασις τοῦ λόγου. *Assumtio* ex ijs, quæ dicta sunt, manifesta est. *Propositio* vero ulterius ita confirmatur. *Quicquid* communicatur alteri, quod nō est ipsum, non communicatur absque essentiā

sentiā suam. Ita enim non communicaretur. Cujus enim essentia nulla est, vel non est, ne ipsum quidem est, vel aliquid est. Unde quod cōmunicatur, ut ne quidem essentia communicetur, non communicatur. *Jam* v. quæ differūt, τῷ λόγῳ, eo quo diximus modo, eorum unum alteri est essentiale & alterum de altero οὐσίας ἕνεκα prædicatur. *Quare* si communicetur unum, etiam communicatur alterum. Declarat idem quoque *exemplo animæ Dn. Schröderus, quæ una numero vel essentiâ, in* δυνάμεσις plures dividua est: & formaliter tantùm distincta est à facultatibus suis: prout *formalis differentia* à *Scholasticis* ea dicitur, *quâ differunt, quæcunq; τῷ λόγῳ differunt, ita ut unum eorum* οὐσίας ἕνεκα *& per se possit prædicari de altero, at nihilominus de utroq; enunciari possint prædicata contradicentia.* Nam *facultatis* animæ nulla alia est *essentia*, quàm *animæ* essentia, & de singulâ facultate οὐσίας ἕνεκα anima prædicatur. At quia facultate animæ essentia designatur, *ut determinata & restricta* ad *peculiarem operationem*, ad quam *alia facultas*, quæ eandem animæ essentiam sibi habet, directa non est; *contradicentia* etiā possunt de fa-

Anima est communicabilis, facultas animæ non est, licet non differant realiter.

de *facultate* & de *animâ* prædicari, ut *anima* est *communicabilis tribus facultatibus: Facultas non est.* ¶ Verum nos ijs, quæ dicta sunt, acquiescimus; quum *distinctio animæ & facultatum formalis* valdè in dubium vocetur. *Exemplum* vero *communicationis* κατὰ συνδύασιν, qua *uno communicato eorum, quæ formaliter tantùm distinguuntur, non communicetur alterum*, suppeditat *mysterium* ἐνσαρκώσεως & λόγου. Nam *Theologi* docent, *humanæ Naturæ Christi communicata esse attributa*, & ἀντιδόσει *quædam divina*, alijs tantùm *formaliter* ab ijsdem differentib. *non communicatis*, scilicet ad *usurpationem* & *denominationem*. *Ratio* est, quod *attributa divina* ad *extrà* non ejusdem rationis sint: *quædam* sunt ἐνεργητικὰ, *quædam* ν. ἀνενέργητα: *quædam* convenire possunt naturæ humanæ, *quædam* ν. naturæ humanæ planè repugnant, proinde ἐνεργητικὰ ad *communem usurpationem* communicari, non communicatis *hâc ratione* ἀνενεργήτοις: & ea quæ conveniunt naturæ humanę cõmunicari ad *communem denominationem*, non cõmunicatis *hâc ratione* ijs, quæ naturæ humanæ repugnant, inconveniens non est. Dico, quod *inconve-*

Exemplum communicationis κατὰ συνδύασιν, qua uno communicato non communicetur alterum ex his, quæ sunt idem realiter.

nicus

ziens non sit, vel rationi rectæ adversum. Nam quod verè ita sese res habeat, *Theologorum* est demonstrare. Nobis sufficiat, *axiomata Philosophica* vindicasse.

XII. Oppositorum est incompossibilitas essendi in eodem.

Oppositorũ est incompossibilitas essendi in eodem.

Scilicet ratione partis ejusdem, vel in eodem, quatenus est idem. Quod è definitione oppositorum constat. Ut v. in specie dicamus 1. de disparatis: Certum est, quod disparata eidem inesse nequeant, ut disparata (intellige reduplicationem ἀλλολογικῶς, non v. ἑαυτικῶς) quandoquidem ratio quod disparata eidem insint nunquã sit disparatio; quum unionis & conjunctionis ratio non sit dissensus, sed consensus, non disparatio, sed quædam conspiratio: alioquin omnia disparata, omnia dissentanea unirentur & conjungerentur. Verum è *præceptis* liquet, *disparata* in quantum manent disparata omninò concurrere posse in eodem vel *subjecto* vel *supposito*, prout *disparata* accipiuntur ex usu communi; *quorum quodlibet reliquis indifferenter absq; definito repugnantiæ modo repugnat*, 2. De *oppositis* speciatim dictis: Constat, quod in eodem

1. De disparatis.

2. De oppositis in specie.

eadem subjecto eodem respectu & tempore inesse nequeant. *Duo* hîc attingere lubet, quæ nobis objiciunt *Sociniani* vi hujus axiomatis. *Alterum* est de *relatis*; *alterum* de *contradicentibus*. *Relata*, inquiunt, *sunt opposita*. *Oppositorum a. Natura est, ut se invicem in eodem subjecto, eodem tempore ac respectu, secundùm idem eandemvè partem perimant*. Vnde colligunt, quod *idem nequeat simul esse Pater & Filius*. Non malè, si de *identitate personæ accipiatur*; Quum *eadem persona* non sit *gignens & genita*: Verum ἀπαιδεύτως si de *essentiæ identitate* intelligant, ut omninò intelligunt. Nam *ejusdem essentiæ individuæ* posse esse *relationes oppositas sibi mutuò incommunicabiles è Script.* certum est. Proinde statuendum, quod nullam involvat repugnantiam *relativè opposita in eadem essentiâ dari*. Solent *Philosophi* declarationis gratiâ addere *affectiones disjunctas*, quæ relativè sibi opponuntur ut *principium & principiatum, causa, causatum*, tametsi in Ente simplicitèr idem sint; sed simplicissimè respondet fides; *quæcunq; in scripturis proposita sunt, ea acceptanda sunt citrà omnem ἀντίφασεως suspicionem*. Porrò similitèr instare solent *Sociniani*: Fieri non

De relatis.

Oppositæ relationes in eadem essentiâ.

De contradicentibus.

non posse ut de eodem subiecto verificentur prædicata contradicentia: adeoq; quum *essentia & persona divina idem sint, non posse hîc locum habere prædicata contradicentia, communicabile & incommunicabile.* Verum quicunq; ita opponunt, videntur ignorare naturam *formalis distinctionis.* Quandoquidem *formalis distinctio*, qualis intercedit inter *essentiam & personam* concilet prædicatorum ἀντίφασιν; quum tollat *identitatem respectus*, quomodo *animal & homo, homo & Petrus* distinguuntur *tantùm formaliter*: attamen admittunt prædicata contradicentia, *primò & per se vigilare, & non primò & per se vigilare: primò & per se esse risibilem, & non esse primò & per se risibilem.* Sed de hoc *anteà.* Nunc oportet progredi ad

CAPUT XIX.

De Naturali & Artificiali.

Pauciſſimis evolvemus 1. Naturale. 2. Artificiale.

Naturale quid?

I. Naturale est, cujus veritas pendet ab intellectu divino.

Homonymia loci. Naturale.

To *naturale* sumitur vel *absolutè*, vel *respectivè* (*indefinitè & definitè*. *Posteriori* sensu adhuc *dupliciter*. 1. *intrinsecè & essentialiter*, prout naturale est essentiale vel à *priori*, vel à *posteriori*. Unde *Naturale constitutivè*, quod rem aliquam constituit. Ita *homini naturale est corpus organicum & anima rationalis*: *& Naturale conseq. utivè*; quod à forma fluit immediatè: quomodo *propria* dicuntur *naturalia subjecto*. 2. *Extrinsecè & accidentaliter*. Ita adhuc *triplici* modo dici solet *Naturale*. 1. *Subjectivè*, pro eo quod intimè infixum naturæ. 2. *Perfectivè*, quod naturâ eximiè perficit. 3. *Transitivè*, quod cum natura propagari potest: Ita dicunt *Theologi homini in primo statu fuisse naturalem imaginem Dei*: sc. istis *tribus modis*, quia & naturæ penitissimè infixa, eandem intimè perfecerit, & naturali viâ ad posteros propaganda fuerit. *Priori* verò sensu *Naturale* sumitur. 1. *Generaliter*, pro eo, quod est in natura, nec dependet ab artificum operatione. Ideò contradistinguitur *artificiali*. 2. *Specialiter*, pro eo, quod habet principium motus & quietis, vel *quod constat materia & formâ*. *Illa* acceptio est *Metaphysica* & hujus loci;

hæc

hæc est *Physica*, & in præsentiarum non attenditur. Nam *hoc omne*, quod ad universitatem pertinet, modò non sit ab arte, *naturale* dicitur: proinde complectitur, tùm *naturam naturantem*, quæ omnia naturavit, ut loquuntur; *hoc est* in proprio naturæ ordine posuit, quomodo *solus Deus est natura*: tùm *naturam naturatam*, quæ est *universalis* vel *particularis*. *Universalis* est connexio causarum, diciturque *fatum Physicum*. *Particularis* est, quæ à natura naturante esse suum obtinet, & principium certarum operationum existit, quomodo non solum omnes res, de quibus *Physica*, sed & *angeli* dicuntur *Entia naturalia*. Proinde describitur *Naturale* in *genere*, cujus *veritas*, (se. *essentialis*) *pendet ab intellectu divino*. Ubi non intelligenda *dependentia propriè dicta* (*efficientiæ*; sed *laxius*, *dependentia convenientiæ*. Nam & *Deus* ipse est *Ens naturale*. At de eo dici nequit, quod *efficienter* dependeat. Conf. doctrin. de *Veritate*. Alia quæ de *Natura* & re *naturali* dicuntur, ad *Physicam* pertinent.

Naturæ naturantis & naturatæ. Universalis & particularis.

II. Artificiale est, cujus veritas pendet ab intellectu humano.

Artificiale.

Observetur: quod *artificiale* dupli-

citer accipiatur. 1. *Materialiter & concretè*; in quantum infert materiam, cui inducta est forma ab artifice: 2. *Formaliter & abstractè*, pro ipsa formâ artificiali, quæ congruit cum idea in mente artificis. *Priori* acceptione *artificiale* est *Ens per accidens*: Ideoq; ad *distinctiones nominis* refertur. *Posteriori* v. est *Ens per se*, nec *inconvenienter* cum *naturali* refertur ad *affectiones*, quæ mediante *veritate* Ens denominant. *Veritas* enim dicit *conformitatem rei* cum *intellectu divino*, qua est *naturalis*; vel cum *intellectu artificis*, idque *proxime*, ut in *rebus arte factis*. Licet enim hæ quoq; congruant cum *intellectu divino* qua *veræ*, id tamen saltim *remotè*. Cæterum quomodo differat *naturale ab artificiali* cognosce ex *Pereria l. 7. Phys. c. 2. pag. 425.*

Artificiale concretè est Ens per accidens, abstracte affectio Entis.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

Ars & natura nihil faciunt frustrà.

I. Ars & Natura nihil faciunt frustrà.

Nam *omne Verum* est *bonum*: & nullum bonum est frustrà. Quod enim non habet finem, id bonum esse nequit. Intellige autem quantùm ad *intentionem & consilium naturæ*. Quicquid enim fit à naturâ, secundum ejus consiliũ, id nunquam

quam poteſt eſſe fruſtrà. vid. *Zabar. l. de part. anim. c. 15. & l. de react. c. 8. p. 450. 451.*

II. Ars imitatur Naturam. Ars imitatur naturã

ἡ τέχνη μιμεῖται τὴν φύσιν, ait *Philoſophus 2. Phyſ. c. 2. t. 22. c. 8. t. 79.* Declarat id *Philippo l. 2. Phyſ. p. 214. Ars*, inquit, *ſæpè eſt imitatrix naturæ, ut cereviſia rectè cocta imitatrix eſt vini, quia ſuccus ex hordeo expreſſus nutrit, & tenuiter calefacit, ſed lupulus additur tùm augendi caloris gratiâ, tùm cõtrà putrefactionem.* Æmulatur a. *ars naturam*, ratione *intentionis*, quia aliquam perfectionem intendit, & ratione *productionis*, vel potius *effigiationis rerum*, in quantum opera naturæ affectat & exprimere conatur. *Ratio* eſt: quia *intellectus humanus* ſtudet aſſimilari *divino*. Unde quoq; *effectus humani* quadantenus correſpondent *divinis*. Tùm verò *ars naturam* imitatur felicius, quum *naturã magis habet pro fundamento*. Quanquam n. in quovis opificio *ars* prærequirat *aliquod fundamentum naturæ* ſaltim *remotè*, tamen quum *ars naturam* juvat, videntur quaſi cõjunctis viribus operari *ars & natura*. Proinde *effectus* qui prodit, æſtimatur *præſantior*.

CAPUT

CAPUT XX.

De Infinito & Finito.

Infinitum. I. Infinitum est, cui repugnat habere essentiæ terminos.

Æquivocas acceptiones vocis hujus cognosce è *Physicis 3. Phys. c. 4.* Vid. & *Armand. Bellovis. tract. 2. c. 64.* ubi etiam quæ de *infinita potentiâ* disputantur. Aliena enim sunt à nostra tractatione; Ad quæ satis sit tradere, quid *Infinitum* & *quotuplex*! Dicitur autem *infinitum* id, quod est *extrà finiri* ab alio, & quod simpliciter non admittit terminos essentiæ: seu, quod non saltim caret *essentiæ finibus* s. *terminis*, sed *cui* ἀπλῶς repugnat eosdem habere, quomodo *solus Deus est Ens infinitum*. *Essentiæ* vero ambitu complector non saltim ipsam *rei quidditatem*, sed & *attributa*, quæ *identificantur Essentiæ*. Proinde, quod in *Essentiâ infinitum* est, id in omnibus attributis infinitum, ratione *potentiæ, scientiæ, bonitatis, perfectionis*; ut sit *infinitæ potentiæ, infinitæ scientiæ, infinitæ bonitatis, infinitæ perfectionis*. Cumprimis verò *duo* sunt *modi infinitatis*. ra-

tu. ratione *durationis & ubietatis. Ille* est *æternitas, hic ubiquitas.*

II. Finitum est, quod de se terminos habet, quibus limitatur. *Finitum.*

Sc. in *Essentiâ, potentiâ, operatione, duratione, præsentiâ.* Nam *finitum in Essentiâ*, seu quod est *restrictæ* & per certos terminos limitatæ *essentiæ*, adeoque non continet in se *omne esse*, est etiam *finitum in omnibus attributis*; in *virtute & potentiâ*, quia non est *omnipotens*; in *operatione*, quia intrà certos terminos *objecti* sui in *operando* tenetur subsistere; *in duratione*, quia naturâ initium & finem habet: in *præsentia*, nam requirit naturâ definitum spatium.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I. Inter finitum & infinitum non datur medium. *Inter finitum & infinitum non datur medium.*

Excludo *medium* tùm per *negationem*, tùm per *participationem. Ratio* est: quod sint *opposita contradictorie.* Hæc etenim nullum admittunt medium. Contrà eos è *Zvinglianis*, qui commiscuntur *potentiam quandam mediam inter fi-*

ter finitam & infinitam, quæ humanitati Christi communicata sit, æquè absurdi ac Photiniani, dum Spirit. S. nec creatum nec increatum dicere audent.

Quæcunq; sunt alia à primo Ente finita sunt.

II. Quæcunq; sunt alia à primo Ente, finita sunt.

Si enim infinitæ forent essentiæ, non esient alia ab Ente infinito, quod omnium primum. Distinguendam vero inter infinitatem essentiæ & subsistentiæ. Nam datur quoddam, quod infinitam habet subsistentiam, tametsi ipsum sit essentiæ finitæ. Proinde quoque ulterius distinguendum inter essentiam & potentiam. Nam si natura finita posset habere infinitum subsistendi modum citra ἀντίφασιν, & salvâ suâ finitate, quidni quoque poterit infinitæ esse potentiæ! Datur enim hic diversus respectus, qui tollit contradictionem: dum Natura finita κατ' ἀυτὸ & ratione actus Naturalis dicitur esse virtutis saltim finitæ; at κατ' ἄλλο & ratione actus personalis dicitur virtutis infinitæ.

Finitum nō est capax infinitij

III. Finitum non est capax infiniti,

Sc.I.

Sc. 1. *activè*, *acquirendo* infinitatem. Hoc enim implicat. At *passivè*, eandem *accipiendo* non repugnat. Si n. infinitum sese dare potest finito, citrà repugnantiam, ut omninò potest, quidni etiam finitum reciperet infinitum? quum *omni activæ potentiæ* correspondeat *passiva potentia*, ad minimum *obedientialis*; vel distinguendum inter *capacitatem comprehensionis & receptionis*: itemque inter *capacitatem Physicam & hyperphysicam*. *Illa* impossibilis est: *hæc* autem nullam importat contradictionem. 2. κατὰ μέθεξιν, ut finitum evadat *essentialiter* infinitum, quod iterum implicat; verum κατὰ συνδύασιν ut infinitum *extraessentialiter* conjungatur & uniatur finito, nullam dicit repugnantiam. Nam eo ipso dum infinita natura adunat sibi finitam, particeps fit natura finita infinitæ naturæ. 3 *Infinitum* nequit sese communicare *finito* καθ' ὁμοίωσιν, vel ita, ut infinitum efficiat quoddam finitum: verum κατὰ μεταποίησιν omnino potest sese communicare *naturæ finitæ*, ut eadem particeps fiat *infinitæ potentiæ*, non quidem *inhæsivè* vel ut *subjectum inhæsionis* & πρῶτον δεκτικὸν,

atta-

attamen *denominative*, vel ut *subjectum denominationis*, & δευτερολεκτικὸν. Quod de *Theologi*.

Finiti ad infinitum nulla est proportio.

IV. Finiti ad infinitum nulla est proportio.

Intellige 1. ratione *essentiæ & univocationis*. 2. ratione *accidentalis inhæsionis*. 3. ratione *Physicæ comprehensionis*. 4. ratione *Mathematicæ commensurationis*. Datur tamen proportio. 1. ratione *communis conceptus & analogicæ attributionis*. 2. ratione *indistantiæ & unionis*. 3. ratione *dependentiæ & subordinationis*. 4. ratione *effectuum & attributorum convenientiæ & similitudinis*. *Theologi* alios insuper enumerant proportionis modos. Cumprimis ratione *singularis unionis & communicationis*, quæ est *mystica, Verbi & SS. Sacramentalis, aquæ & SS. Trinitatis, Spiritualis, Dei & fidelium, cælestis, Electorum & SS. Trinitatis, personalis & μονότροπος divinæ & humanæ naturæ*. Abusum hujus principij Photinianum vid. apud Dn. *Keslerum p. 1. Met. Phot. s. 3. p. 25*. Nobis heic subsistendum.

CAPUT

Disp. XIV. Publica Respond. Elia Neusselio Pannonio.

CAPUT XXI.

De Permanente & Successivo.

I. Permanens est, quod habet totum suum esse simul. *Permanens*

Seu *negativè*, quod non habet partes in fluxu unius ad aliam abeuntem. Ita *omnia quæ sunt, esse permanens habent*, solũ motu & tempore exceptis. Sumitur n. *permamens* h.l. non ἐξοχικῶς prout omnimodam *indefectibilitatem* infert & soli Deo tribuitur, *nec* γενικῶς ut *omni Enti* competit: quum duratio sit adæquata Entis affectio: sed in χέσει ad *Ens successivum*, cum quo exhaurit latitudinem Entis, ideò dicitur *totum suum* esse *habere simul*: vel ut *alij*, partes sui esse omnes, qui id explicant *negativè*, quod non habeat partes fluentes, ut etiã Deo tribui possit, qui expers est partium. Id v. intelligendum de re non in *fieri*, sed *esse facto*. Nam dum adhuc in fieri est, nondum habet omnes sui esse partes.

II. Successivum est, quod habet partes sui esse in fluxu & successione continuatâ. *Successivũ.*

Successio alia est *imaginaria* & q. *extrinseca*, alia *vera & intrinseca*. Illa quoq; concipitur in *æternitate* per coexistentiam ad tempus. *Hæc* est vel *positiva* quũ terminus ejus à quo & ad quem positivus est: vel *privativa*, quæ est inter terminum *positivum & negativum*: inter *esse & non esse*. *Privativa* convenit omni *generabili & corruptibili*. Est enim *generatio (Physica)* successio quædam à non esse ad esse: *Corruptio* ab esse ad non esse. *Positiva* verò est vel *discreta* inter plura Entia totalia, quæ proinde uni *Enti* non competit: vel *continua* inter partes ejus Entis, quæ constituit *Ens* successivum. *Ejus* n. partes sunt in fluxu, eoque tali, extra quem non sit esse ipsius: Ideò esse suum non habet simul, sed ejus partem jam habuit, partem nunc habet, partem deinceps habiturum est: ut *motus*, qui sine fluxu esse nequit. Non enim motus propriè dictus est *in instanti*. Proinde motus *substantialis generatio & corruptio* hic non intelligitur. Ille enim in instanti est: nec infert *successionem* positivam. Ratione *motus* denominatur etiam *tempus* Ens *successivum*: sc. non *tempus Metaphysicum*, quod est duratio rei intrinseca & permanens:

nens: sed *Physicum*, quod motu cœli definitur. Ejus n. partes sunt in fluxu perpetuo. Hinc itaque intelligitur, quod Ens successivum partes dicatur habere: videlicet, in succedendo non v simul in componendo; id est, ut clarius dicam, *momenta successionis* sunt *continua* non ratione *simultatis in existendo*. Impossibile n. est, momenta temporis simul esse: *præteritum & præsens, præsens & futurum*: sed ratione *consequentiæ in succedendo*: quia mutuò se excipiunt, & ita simul sumpta Ens successivum constituunt.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I. Ens indefectibile simpliciter est permanens. *Ens indefectibile simpliciter est permanens.*

Nam id ita totum suum esse habet simul, ut impossibile sit in ipsum cadere aliquid successivum. Quod de nulla re *finitâ & creatâ* dici potest. Inepti verò sunt, qui Enti indefectibili successionem quandam non dubitant adscribere, dum *temporis momenta in æternitatem invehunt*. *Imaginaria successio* concedi potest. *Vera* concedi non debet.

II. Permanens est positum in indivisibili. *Permanens est positum in indivisibili.*

Quia totum suum esse habet *simul*: si non *absolutè*, saltim per *æquipollentiam*. *Distinguendum verò* inter *divisionem Entitativam & quantitativam*. *Illa* non minus Enti *successivo* quàm permanenti cõpetit, quia omnis essẽtia est ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ ἀόριστῳ cõstituta, *Hæc* verò est *ratio* distinctionis Entis *permanentis* & *successivi*. Nã successivum consistit in *fluxu* cõtinuo, qui utiq; in momenta certa divisibilis est. At *permanens* totum suum esse simul obtinet, nec divisibilitatem illam admittit.

Ubi non est fluxus continuus ibi non est Ens successivum.

III. Ubi nõ est *fluxus* continuus, ibi non est Ens successivum.

Nam hâc *continuitate in succedendo* negatâ negatur ipsa quoq; *Essentialis indivisibilitas*, negatur *unitas*, & per cõsequens negatur *Entitas*. Quum unumquodque momentum, ut ita loquar, in tali fluxu propriam obtineat, separatamque essentiam.

CAPUT XXII.

De circumscripto & incircumscripto.

Circumscriptum.

I. Circumscriptum est, quod clauditur terminis corporis continentis.

Cir-

Circūscriptio alia est *essentialis*, quâ res finitam & certis limitibus circumscriptam dicitur obtinere essentiam. Estq; ipsa *finitudo* nihil aliud, quam *terminorum essentiæ circumscriptio*, ut in quibusvis rebus creatis. Quam circumscriptionem essentiæ necessariò insequitur *circumscriptio potentiæ*, ut quod circumscriptū in essēdo, limitatum quoq; sit in gendo. Alia est *extraessentialis*; eaque vicissim est vel *interna*, vel *externa*. *Interna* est, quâ res finita quantitate propriâ circumscripta est, & partes extrà partes obtinet; qualis *circumscriptio* est *modus quidam quantitatis*, omni rei corporeæ necessarius & intrinsecus, & inseparabilis: quomodo *caput extrà collum* est, & *collum* extrà *ventrem* &c. & quodlibet suâ *interna circumscriptione* gaudet, quam nonnulli *Entitativam* vocant. *Externa* est, quâ res definitis terminis corporis continentis circumscribitur, atque ita ratione *locationis* circumscripta dicitur. Quæ *hoc loco* intelligitur. Nam *circumscriptio*, quæ hujus loci, est *modus* quidam *ubietatis*. Id quod nec *Essentiali*, nec alteri *internæ* competit, sed *huic* unicè. Ubi tamen distinguendum inter *circumscriptio-*

Circumscriptio essentialis.

Circumscriptio extraessentialis.

Interna.

Externa.

Circũscript. actualis & aptitudinalis.

nem *actualem* & *aptitudinalem*; vel inter *continentiam* terminorum *actualem*, & *nativam*. Non *ista*, sed *hæc* intelligitur. Ideò si lubet, dicatur *circumscriptibilitas* pro *circumscriptione*. Nam *actualis circumscriptio est merè accidentalis*, & separari potest à reipsâ. At attributum oportet rei esse à *posteriori essentiale*, & à reipso facto inseparabile. Sic *extremum hujus universi corpus* non est *actu* circumscriptum, non tamen suâ *circumscriptibilitate* destituitur, quæ nulli corpori denegari potest. Quocirca *definitio circumscripti* ita intelligenda; *circũscriptum* est, *quod naturâ suâ terminis externis circumscribi amat*; licet non semper *actu* circumscribatur ijsdem.

Actualis circumscriptio est accidentalis.

Incircumscriptum.

II. Incircumscriptum est, quod terminis continentis corporis naturâ suâ non clauditur.

Tales sunt *res spirituales, omnũ materiæ expertes*. Hæ enim partes extrà partes non habent, & proinde terminis externi continentis circumscribi nequeunt. Id quod è natura circumscriptionis perspicuum. Progredimur ad

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I. Quicquid est circumscriptũ est, vel incircumscriptum. *Quicquid est circumscriptum est vel incircũscriptum.*

Ratio invicta est *immediata terminorum oppositio.* *Naturâ* postulare terminos corporis continentis, & *non* postulare eosdem *naturâ.* Sic *corpora* quæcunq; sunt, circumscripta sunt: & *res spirituales* omnes, ut & *accidentia* incircumscripta.

II. Quod naturâ circumscriptum est, actu fieri potest incircũscriptum. *Circumscriptum potest fieri incircumscriptũ.*

Probo I. *E contradictionis remotione.* Nã hîc termini non opponuntur ὡσαύτως. *Circumscriptum naturâ,* seu *naturali propensione,* & *aptitudine,* & *incircumscriptum actu,* seu *actuali locatione* & *continentiâ.* Nam potest *illa* actualis incircũscriptio eidem ab extrinseco & *per accidens* competere, & *per consequens* nihil derogabit ipsi naturali circumscriptibilitati. Multa sanè rei *per accidens* competunt, quæ per naturam aliàs rei nequaquam competere poterant. Quomodo *per accidens* competit *ferro natura in aquâ,* cum per *naturalem gravitatẽ* ipsius potius sit submergi. II. *Ab exemplorum quorundam inductione.* Ita *corpus mundi extimum* non- *Ratio.* *Exempla.*

circumscribitur *actu* alio corpore continente, extrinsecus ambiente ex *accidentis* quia aliàs non foret corpus extimum: interim *naturâ suâ* circumscribi postulat.

Corpus extimum mundi.

Corpus Christi.

Similitèr *corpus Christi naturâ* quidem circumscriptum est, & circumscriptione externam requirit, at ex per unionem, & assumtionem ejusdem in ὑπόστασιν τοῦ λόγου est incircumscriptum neque gaudet *actuali terminorum continentiâ*, quantum ad *locationem* & *situationem externam*. Alioquin dicendum esset, quod non subsistat ἐν λόγῳ sed *in loco*, vel quod λόγος sit locus, & circumscribat corpus, quod ἐν ἀνθρωπίνῳ λόγῳ subsistit. Ita *corpora glorificata* in altera vitâ absque omni dubio hanc *actualem circumscriptionem* deperdent in *conflagratione totius universi*, ubi *Deus* erit *omnia in omnibus*. Tandem quid de *camelo* dicendum, quin per *foramen acus* transire posse testatur *Servator*! Annon *animal* istud *ingens* & prægrande amittet *actualem circumscriptionem* hâc hypothesi datâ. Vel num servabitur *loci & locati adæquatio*! Dicite viri *Calviniani* qui compedes injicere non dubitatis *divinæ omnipotentiæ*. Intelligit quidem *Theophylactus* nomine *cameli funem ancorarium*. *Calvinius*

Corpora glorificata.

Camelus.

num vs ex *Thalmudistis* observat *procemialem esse locutionem*, & rectè *Cameli nomine animal* intelligit, quum non aliter accipi posse *Graecum* κάμιλος, & *Syriat; Gamla* abundè confirment. Nec est, quod cum *Junio & Tremellio* sermonem Christi *absurditatis* postules. Nam hoc à Christianis alienum esse debet. Sed haec ad *Theologiam* remittimus. Constat verò *nostris exemplis* de *possibilitate*. Quod enim actu dari docet *ratio & scriptura*, id *dari posse* in dubium vocare est vel imbecillae vel profanae mentis. Quae contrà obvertunt *Calviniani* praesertim *Chamier* in *Panstrat: Catbol:* procedunt ex *confusione circumscriptionis externae & internae*, quasi per *internam* quoq; circumscriptionem res dicatur esse *alicubi*; quae v. accurate discernenda esse docuimus *c. 8. th. 4. p. 402.* Nam haec confusio est matre distinctionis illius *Keckermannianae* à *Chamiero laudatae* & in subsidium vocatae *loci* in *externum & internum*, quae tamè si admittatur maximè (quanquā *absurdè* dicatur *res* esse *in loco interno*, id est, *Finem suae substantiae obtinere*, ut *explicat Chamier*, *quum* aliud sit *essentiae finitudo*, aliud *locatio*, *ista* absoluta, *haec* relata. *istae*

Chamier confundit circumscriptionem externam & internā.

Locus internus absurdè dicitur.

rei intrinseca & inseparabilis, *hæc* extrinseca separabilis) nihil juvat τῆς ἐξενανπίας. Nam quid hoc quæso ad rem, quū quæritur de *omnipræsentiâ corporis Christi* quod corpus Christi sua *internâ circumscriptione* gaudeat. *Hoc* probari non opus est; Sed *id* κρινόμενον est: *utrum corpus Christi extrinsecè actualibus terminis rationè situationis & locationis circumscribatur!* Hîc Rhodus, hic saltus. *Heterogenea* ergō sunt omnia quæ disputat *Chamier Panstrat. Cath. t. 2. l. 6. c. 5. & 6. & 7.* & hoc saltim probant *omne corpus alicubitatem suam obtinere*, eamque *non esse realiter distinctam à corpore*, nec *separari posse*, nisi *cogitatione*; Quod nunquam negatum: Ex eo v. ἀπαιδεύτως, καὶ ἀφιλοσόφως infertur *omne corpus esse in loco*, *vel occupare spatium & circumscriptum esse* ratione *situs & locationis*.

SERIES TERTIA
Affectionum disjunctarum
in quâ sunt
Minus principales.

AD hanc *postremam* seriem reservare volui *quinq; sequentes* affectiones: puta quibus Ens denominatur *Absolutum & respectivum*.

2. Sub-

2. *Subjectum* & *adjunctum*. 3. *Signum* & *signatum*. 4. *Imago*, & id, *cujus est imago*. 5. *Mensura* & *mensuratum*. Hi enim termini sunt generalissimi, & si qui fortè alij plures dantur, & non tantùm transcendunt prædicamenta, sed & Ens denominant sub *disjunctione* & cum Ente reciprocantur, quanquam non ita πρώτως & *primario*, uti cæteræ, quemadmodum è *doctrina singulorum* conspicuum fiet. Breviter. *Absolutum & respectivum* ad classes præcedentes referri non posse, ultrò constat. Quum v nihilòsecius *generaliter* denominent Ens, & aliàs nullibi contemplatio eorundem suscipiatur, meritò huc revocandæ videntur. *Subjecti & adjuncti* denominatio, quia non tàm Enti competit per se, quàm ut dependet à *libero hominis arbitrio, dispositione & consideratione*, ita ut unum idemq; Ens alio atq; alio respectu jam *subjectum* jam *adjunctum* dici queat, non videntur peculiarem quandam constituere affectionem in *classibus præcedentibus*. Proinde eorum θεωρία non incommodè huc refertur. *Signum* & *signatum* ferè est ejusdem indolis. *Imago* & *imaginatum* (sit venia verbo) vel *id, cujus est imago* in *actu signato* considerari potest, & quia potest, debet in *Metaphysicis*. Nam tractatio ista *generalis* dimitti nequit ad *speciales* disciplinas quandoquidem termini *latissimè* pateant & transcendentes sint, atq; præscindant à re *creata & increata, substantia & accidente*. Nec ullibi aliàs explicari possunt in abstracto. Denique *mensura & mensuratum* istis optimè subjungitur, quum itidem sit generalis affectio & ad cæteras series revocari nequeat.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De Absoluto & Respectivo.

Absolutum I. Absolutum est, quod caret respectu ad aliud.

Dicitur *absolutum Bello-visio. q. ab alio solutum*, quia liberum est â respectu, si non omnimodò, saltim certa ratione. *Alias absolutum* quoq; idem est quod *completum* & *consummatum*, cui opponitur *inchoatum*: vel quod *simpliciter est*, & *impermixtum suo opposito*, adeoq; contradistinguitur ei, quod *secundum quid* tale & κατὰ τί dicitur. Notanter a. absolutum definio *carentiâ respectus in genere*; quandoquidem non minus transcendet talis quàm *prædicamentalis* respectus debeat contradistingui *absoluto* vel ideò quod iste quoq; rem aliorsum trahat: Nam *per accidens* est ad respectum *esse in*. & non nisi de *materiali* ratione respectus ut *prædicamentalis*: at quum præcisè & *in formali* respectus consideratur, nihil aliud subinfert quàm *Esse ad*, quod certè de ijs quoq; dici potest, *qu*æ *Prædicamenta* transcendunt. *Absolutum* a. sub ista generalitate variè dicitur, ratione *causæ*. quod

Absolutum ratione Causæ

non

non dependet à causâ, ut *Deus* est *Ens absolutum*. 2. Ratione *subjecti*, quod non inhæret in aliquo subjecto, à quo dependeat, ut *substantia*. 3. Ratione *objecti*, quod ab objecto non dependet, ut *quantitates*, 4. Ratione *termini*, idq; πρώτως hîc attenditur, cujus esse non terminatur ad aliud, ut *accidentia omnia præter relationem*. *Subjecti.* *Objecti.* *Termini.*

II. Respectivum est, quod habet esse aliorsum terminatum. *Respectivum.*

Vel quod habet respectum ad aliud, sive tanquam *causatum* ad *causam*, sive ut *accidens* ad *subjectum*, sive ut *potentia* ad *habitum*, vel *actus* ad *objectum*, sive denique, ut *relatio* quæcunq; ad *terminum*. Qui modus ultimus est propriè hujus loci. Reliqui enim *absolutum* quoque *esse* habent, & non simpliciter *respectivum*. *Relatio* a. triplex est. *Subsistens* vel *substantialis*, *Transcendentalis* & *Prædicamentalis*. *Illa* est *singularis* & mystica in sublimi SS. Triados mysterio, ut *Paternitas*, *Filiatio* &c. *Ista generalissima* pervagans omnia genera, sic *materia* & *forma*, *Subjectum* & *Adjunctum*, *signum* & *signatum* &c. habent ad sese mutuò relationem vel respectum transcendentalem. *Hæc* est *communis* & *Relatio* *subsistens.* *Transcendentalis.*

acci-

Prædicamentalis. accidentalis eorundemque quæ sunt in prædicamento Relationis.

Πορίσματα.

Quicquid est vel absolutum est vel Respectivum.

I. Quicquid est, vel absolutum est, vel Respectivum.

Adæquatam esse hanc divisionem constat: quia *termini* ejus sunt *contradictoriè oppositi.* Videtur tamen difficultas quædam esse *cùm* de *Ente in præcisione*, *tùm* de *Ente respectivo.* Ibi quomodo Ens possit denominari *absolutum* vel *respectivum* sub *distinctione*, quum tamen *Ens* ut est *Objectum* Metaphysicæ *absolutum* sit. *Hic* quomodo respectivum inferat *Essentiam* cum *relationes* nullâ dicant *perfectionem*: Omne v. Ens *perfectum* sit. Ad *prius* dicendum, *absolutum* accipi vel *positivè* vel *privativè.* *Positivè* quâ distinguitur contra id, quod positivè est respectivum: Atq; ita *Ens* in *præcisione* non est *absolutum*, sed quoddã Ens est *absolutum* quoddam *respectivum.* *Privativè* quum dicitur *absolutum* quod ut sic non est *respectivum*, quomodo *Ens* in *præcisione* ut *sic* non est respectivum, adeoq; *absolutum* dici potest. Ad *posterius* respondeo, quod *Relationes* dupliciter considerentur, vel *abstractè* vel *concretè.* *Abstractè* relationes

Absolutum positivè & privativè.

Relatio abstractè & concretè.

non

non dicunt aliquam perfectionem, quæ addatur Essentiæ; quomodo *relationes divinæ* nec *finitam* nec *infinitam* importât perfectionem (nec enim *attributa* applicantur ad *quosvis Entis status*, sed prout Ens *extra omnem præcisionem de facto in mundo est*) & nihilosecius verè sunt *relationes*, ut *jam dicetur*. *Concretè* a. quia relationes implicant essentiam, *perfectionem* quoq; important, quâ ratione quoq; hic considerandæ erunt. Quia de facto tantum existunt *concretè*.

II. Respectivum nihil aliud dicit quam esse ad.

Respectibũ nihil aliud dicit, quam esse ad.

Relata enim πρός τί dicuntur, & quæ *aliorsum terminantur, respectiva* sunt. Nam vel ipsa vox *Relati* id indicat, quod relatum illud sit, quod ad *alterum refertur*. Licet v. in *præditamenentalibus* illud *esse ad* sit cõjunctum cum *esse in*, hoc tamen nõ impedit, quo minus *relatio*, quatenus *talis* esse possit sine illo *Esse in*. Sanè *relatio transcedens* non infert *accidentalem inhærentiã* sed præscindità *subsistentia* & *inhærentia*: multo *minus relatio subsistens* est confundenda cum inhærenti. Qualis est in *mysterio SS. Trinitatis*. *Cosl*arius quidem persvadere conatur in-

Relatio nõ dicit esse in

non

DEO

Goslabius negat in Deo esse relationes.

DEO *nullum omnino esse relationem*, cui assurgunt è *Ramistis* nonnulli. Sed distinguere debebant inter *Relationis formale & materiale. Formaliter relatio* nullam involvit imperfectionem, sed tantummodò dicit *respectum ad.* Si qua v. in relatione involvatur imperfectio, ea non *relationi* quâ *tali*, & in *formali*, sed *materiali relationis prædicamentalis* adscribi debet. *Relata realia* dicuntur, quæ remotâ omni mentis nostræ cogitatione respectum quendam & ordinem inter se habent. Qui respectus nihil commercij habet cum *accidentali inhærentia.* Quid ergò obstaret quò minus in *Deitate* statuerentur *relationes reales.* Sed enim concedendas easdem esse constat. *Vbicunq;* aliquis datur, qui *realiter* dicitur *Pater*, & aliquis qui dicitur *realiter Filius*, ibi etiam est *realis paternitas & realis filiatio.* Vbicunq; est *realis paternitas, & realis filiatio*, ibi sunt *relationes reales.* Præterea: Vbicunq; sunt *processiones à principio ejusdem naturæ*, ibi necesse est, ut *procedens & à quo procedit* sint ejusdem ordinis & *consequenter*, quod habeant reales *respectus ad invicem.* Dari a. in divinis, qui *realiter* dicatur *Pater*, & qui *Fi-*

Probantur relationes in divinis.

lius, nec non dari *processiones* à *principio ejusdem, naturæ, Scripturæ* dubitare non permittit. Accedit, quod omnia, quæ ad *relationem* requiruntur *eminenter* in Deo reperiantur juxta fidem nostram. *Commune* quasi *subjectum* divinarum relationū est ipsa *divina natura*. *Fundamētum paternitatis est gignere, filiationis genitum esse, Spiritus S. est Pater & Filius simul. Termini sunt ipsæ personæ simul sumptæ & oppositæ*: ut *Pater* refertur quidem ad *Filium* & *contrà*; sed tamen Filius non est, nec contrà: Idem verum est de *Spir. S.* qui ad utrumque *Patrem* nimirum & *Filium* refertur, sed Pater & Filius non est. Hæ autem relationes non prædicantur de DEO secundum *rationem inhærentiæ* ut in *creaturis*, quod est imperfectionis, sed per *modum ad aliud se habentis*, quemadmodum etiam aliæ *Metaphysicæ relationes* v. g. *Subjecti & adjuncti, mensuræ & mensurati* &c. non inferunt *rationem inhærentiæ* sed tantum *respectum Ad*.

III. Relatio quâ tâlis non facit compositionem. *Relatio quâ talis non facit compositionem.*

Aliàs *omnis* relatio faceret compositionem, quod *ἄτοπον*. *Transcendentales* n. relationes nihil compositionis in re-

Non transcendentalis

ipsa dicunt, sed tantum *Ens afficiunt extra essentialiter*, & non nisi *formaliter* ab *Ente* distinguuntur, quemadmodum *cæteræ affectiones transcendentes*. Quin & dubitant nonnulli de *relationibus Prædicamentalibus*, utrum inferant compositionem nec ne, quum non videatur verisimile *paternitatem, præceptoritatem*, &c. facere *cum subjecto*, in quo sunt, *realem compositionem*. At de *relationibus subsistentibus hypostaticis* res merito extra omnẽ dubitationis aleam constituta esse debet. Quandoquidẽ *relatio in divinis* nec sit *assistens* seu *extrinsecus affixa*, nec *essentiæ divinæ inhærens* seu *accidens alicui subjecto*, nec *reipsa* s. *realiter ab essentiâ divinâ differat*, sed tantũ *λῳ λόγῳ* s. *ratione*. Eleganter Thomas 1. part. q. 28. art. 2. Quicquid est accidentale in creaturis, id ad DEUM translatum habet esse *substantiale*. Frustrà v. est *Vorstius* dũ contendit *in Deo esse veram aliquam compositionẽ propterea quod per naturæ necessitatem diversas relationes & hypostases* in se *contineat*. l. de DEO attributis div. p. 219. Quod si *relatio in* DEO esset *accidens* & ab *essentia divina reapse* differret, *quælibet persona divina esset ex duobus realiter distinctis composita*; & introdu-

Nec subsistentes.

Vorstius fingit compositionem in relationibus divinis.

troducetur quædam in DEum *quaternitas* ita ut *quartum* sit *essentia divina à qualibet personâ & relatione personali realiter distincta*, quæ *absurda*.

IV. Relationes sunt incommunicabiles. *Relationes sunt incommunicabiles.*

Sc. *relationes oppositæ*; unde axioma. Quot *sunt relationes realiter oppositæ*, tot *sunt personæ*: subsumunt *Theologi*; *Tres* sunt *in divinis relationes realiter oppositæ*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Processio*. *Generare & generari*, *spirare & spirari* non tàm relationes sunt, quàm tales actus, qui significant *originem*. *Aliàs* extra illam *oppositionem relationes incommunicabiles* præcisè non sunt. Ita *Pater in divinis* communicat *Filio Virtutem spirandi*. Sed hæc *relatio* non est *opposita Filio*. Una enim & indivisa est *spiratio*, quâ procedit *S.S. à Patre & Filio*, *&c.*

CAPUT XXIV.

De Subjecto & Adjuncto.

I. Subiectum est, quod aliquid in se recipit, ita ut in communionem sui esse non trahatur. *Subjectum.*

Subjecti *nomen latissimè* patet, & si de-

scribi debent sub ista *amplitudine*. vix aliter describi poterit, quam juxta *etymon*, quod sit *illud, quod alteri subjicitur*. Nam subjectum est vel *attributionis* vel *occupationis*. *Hoc objectum* aliàs indigitatur & in *genere* est, quod *terminat actionem eorum, quæ in isto occupantur*: In *specie* est *objectum* vel *sensus*, vel *intellectus*; & hoc iterum γενικῶς dicitur *quodvis noëma*, εἰδικῶς v. *objectum disciplinare*, quod *contemplationi* vel *operationis*, quo de in *Gnostologia*. *Subjectum attributionis* hoc attenditur, cujus *natura ex oppositio* elucescet. Hic saltim observetur: quid sit *recipi aliquid*, & *quid trahi in cõmunionem sui esse*? quibus verbis explicat D. *Thomas* 3. p. q. 2. art. 6. subjectum. *To recipere* non est intelligendum *strictè*, quatenus id quod recipitur καὶ ἐσω recipitur & *intrinsecus rei accidit*: alioquin *excluderentur adjuncta* quæ rei saltim *extrinsecus adhærent*. sed laxè, qua omnia ea recipi dicuntur, quæ rei *supervenunt* sive ab *extrinseco*, sive *intrinsecus*. In *communionem esse* trahi dicuntur, quæcunque ad *essentiæ constitutionem* concurrunt, & *vice versa*. Quæ sunt *extra essentiam rei* ea non trahuntur in *cõmunionem essentiæ*. Sic & *affectiones transcendentales* & at-

Objectum.

Recipere quomodo.

In communionem esse venire.

& attributa divina quia sunt extrà essentiam, dicuntur non venire in communionem essentiæ.

II. Adjunctum est, quod recipitur ab alio, ita ut nõ ingrediatur ejusdem essentiam. Adjunctum.

Scheiblerus ita ἐξενανπίως. *Adjunctum est, cui aliquid subjicitur.* Ejus *requisita* duo recenset. Esse *posterius subjecto*; & *idem extraessentialiter afficere* vel *denominare*. Est a. *adjunctum* (prout *communiter* accipitur) vel *commune* vel *proprium*. Commune. *Commune* est, quod pluribus convenit *æqualiter*, vel quod non convenit *uni soli subjecto primo*. Ita *Scaliger l. 1. de plantis p. 105.* Ex *Galeno* ait κοινὸν & esse παυλότερον & ἐν πλείοσιν. Sic *albedo* est *adjunctum commune Cygni, parietis, papyri, lactis &c.* At *calor non* competit *æque primo igni & mixti*. Sed *illi* πρώτως, *his* ἑπομένως. *Æqualitas* a. intelligitur non *graduum & proportionis*, sed *attributionis*. Nam *albedo* non competit omnibus subjectis *æqualiter* ratione *gradum*, sed *æqualiter* hoc modo, ut excludatur *attributionis diversitas*, quâ *uni* καθ' αὐτὸ, *alteri* κατ' ἄλλο vendicanda veniat. Proprium. *Proprium* est, quod *omni soli semper primo & per se convenit*. Vel, quod *uni soli, & æqua-*

dæquatè convenit. 3. Top. c. 5. ἴδιον ἐστὶ μόνῳ ὑπάρχον, καὶ ἀντικατηγορεῖται πρὸς τὸ πρᾶγμα, *uni soli* competit sc. *primò, & per se.* Hinc *calor & vis urendi* sunt *propria ignis*, quia competunt ipsi tanquam πρώτῳ δεκτικῷ. *aëri*, v. *aquæ ferro*, &c. tantùm *secundariò. Adæquatè* tribuitur *subjecto proprium*, vel ἄνευ συμπλοκῆς, *& unitim* vel συμπεπλεγμένως, *& dijunctim.* Ideò quoque *semper* ei convenit, non tàm ratione *actus*, quàm ratione *potentiæ.* Sic *homo* non *semper actu* ridet, & *Scaliger* refert *Exerc: 202. s. 3. in Tucarana & Cozumella alijs q. insulis canes haberi altiles ad vescendum, qui nullum edant latratum.* Cæterum *tria* requiruntur ad *propria*, 1. ut *distinguantur* à subjecto vel *realiter*, vel ad minimùm *formaliter.* Nam si identificentur subjecto *simpliciter in sensu formali*, quomodo dicentur *adjuncta*, 2. ut subjectum *afficiant extraessentialiter*, adeoque denominent, & παρωνύμως de subjecto dicantur. 3. ut *reciprocentur* cum subjecto in ratione *suppositi.* Proinde attributa sunt tùm *Eminentia*, tùm *Prædicamentalia. Illa* non differunt realiter à subjecto suo ceu sunt attributa *Metaphysica* vel *transcendentia, & hyperphysica* vel *divina.*

Requisita proprij.

Propria eminentia.

Hæc

Hæc v. differunt realiter à subjecto, qualia sunt *accidentia propria in Physicis*. Præter hæcce adjuncta *propria & communia* quæ rei insunt, & *vulgo* ita dicuntur, adhuc alia sunt *adjuncta*, quæ rei quidem non insunt, ei tamen verè adjunguntur ita ut non veniant in communionem esse ejusdem. Quomodo *forma* dicitur *adjunctum materiæ, anima corporis*, licet non possint ad *vulgarem* adjunctorum sive *communium* sive *propriorum* classem referri. Sic & *arma* sunt adjunctum *militis* vestis *hominis*, quamvis non sunt *accidentia prædicamentalia*. Unde liquet præter *accidentia, & attributa eminentia* dari *adjuncta*, quæ rei adjunguntur vel κατ' ἔσω, vel κατ' ἔξω. Hinc

Prædicamentalia.

Adjuncta alia.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I. Quicquid est extra essentiam rei, dum verè rei competit, adjunctum dici potest.

Quodest extrà essentiam rei adjunctum dicitur

Nam idem non est *subjectum*. Ergò *adjunctum* erit: quum termini isti debeant exhaurire Entis latitudinem. Observa 1. quod *adjunctum* sit *extrà essentiam* ejus, cujus *adjunctum* est, vel *subjecti sui*.

sui. Nam hæc πτῶσις dicuntur. Ita dubium non erit, *humanam naturam* dici posse *adjunctum* τῷ λόγῳ. distinguendum enim inter λόγον ἁπλῶς & συνθέτως, λόγος *simpliciter consideratus* quando confertur cum naturâ humanâ, nihil obstare viderur quo minus ipse *subjectum*, hæc *adjunctum* dici possit, vocibus istis *transcendentaliter* acceptis. Alioquin certum est personam συνθέτον, θεάνθρωπον, & *humanam naturam* respicere sese non ut *subjectum* & *adjunctum*, sed ut *totum* (mysticum) & *pars*: Vid. Damasc. l. 3. de Orth. fid. cap. 4. utrumque benè consistere potest. *Humana natura* est *pars* (κατ' ἀναλογίαν) *personæ* συνθέτου, & est *adjunctum* λόγῳ *simplici*. vel *divinæ naturæ*, quemadmodum surculus est *adjunctum* stipiti, & fit pars arboris Dn. Scheibl. l. 1. Metaph. c. 23. n. 26. & seqq. disputat λόγον nullatenus, *subjectum* dici debere *naturæ humanæ*, nec *humanam naturam adjunctum* τῷ λόγῳ. Idq; potissimùm hâc de causâ, *quod caro Christi assumta sit in ipsam* τοῦ λόγου ὑπόστασιν. Verum, ut quod sentio, liberè dicam, non videtur hæc ratio concludere. Nam aliud est *recipi in personalitatem & subsistentiam alterius*, aliud *venire in communionem essentiæ*

Humanam naturam posse dici adjunctum τῷ λόγῳ.

Negat Scheiblerus

Quia caro sit in personalitatem λόγου *recepta.*

sic dictum. Et ne ambiguitas decipiat, dico, venisse in communionem essentiæ hoc intelligi de essentiali constitutione, non de quacunque essentiæ participatione. Nam ut Dn. Scheibl ipse observat; omnia: illa dicuntur adjuncta, quæ vel essentiam rei consequuntur, vel eidem superveniunt; num. 8. & attributa divina dicuntur ipsi adjuncta, n. 25. quæ tamen certum est participare divinam essentiam prout materialiter & concretè considerantur. At verò quemadmodum constat, quod caro supervenerit vel adjuncta fuerit λόγῳ per sese essentialiter perfecto & completo, quodq; λόγος receperit carnem in suam ὑπόστασιν, & caro hac ratione particeps sit facta Deitatis, adeoque venerit in consortium divinæ naturæ, ita nondum concluditur exinde certò, quod caro sic venerit in essentiæ τῦ λόγε communionem, ut adjunctum ejus dici non possit. Nam profectò caro non venit de constitutione τῦ λόγε essentiali, ut essentiæ τῦ λόγε per unionem personalem particeps facta sit, & cum λόγῳ quoque unum constituat ὑφίστάμενον. Quicquid a. rei in esse perfectæ adjungitur & de eadem παρωνύμως prædicatur, id omnino videtur adjunctum dici posse:

Ad exceptionem: quod λόγος dicatur homo, non humanus quodq; omne adjunctum inferat vel accidentalem inhærentiam, vel παράστασιν externã respondeo. Primò prædicationem illam, λόγος est homo abstractivam quidem esse quoad sonum, nõ tamen quoad sensum. Sanè effertur hic substantivum de substantivo in casu recto, verum si attendatur prædicationis ratio & resolutio, dici alitèr nequit, quàm quod prædicatio fiat in concreto, quodque sit Paronymica non Synonymica. Nam inter Synonymicam & Paronymicam prædicationem medium dari nequit, eò quod oppositæ sint contradictoriè, ut essentiale & non essentiale vel extraessentiale, quemadmodum in Logicis ostenditur. Ratio vel fundamentum est personæ identitas, non v. essentialis unitas. Datur itaque communicatio non κατὰ μέθεξιν, quæ est fundamentum prædicationum Synonymicarum, sed κατὰ συνδύασιν, quæ est fundamentum Paronymicarum. Analysis alitèr institui non potest, quàm prout Dn. D. Mylius docet hoc pacto: λόγος est personaliter idem, qui est homo, quod demonstravimus alibi. Unde iterum liquet fieri prædicationem non in abstracto, sed concreto, quæ certè

Quomodo λόγος dicatur homo?

Probe quod Paronymice.

Fundamentum.

Analysis propositionis

certè tantum abest ut nostræ assertioni præjudicet, ut potius eandem confirmet. *Attributa divina* verè sunt *ad unctu* ex mente *Dn. Scheibleri*, quanquam videantur in *abstracto* prædicari v. g. DEUS est *veritas*. Scilicet quia *videntur tantum*. Nam reverâ non in *abstracto* sed *in concreto* fiunt ejusmodi prædicationes, quod præter *habitudinem extremorum docet analysis*. *Deus est realiter idem quod est veritas*. Nam ut *Scholastici*; *verificantur in sensu identico, non in sensu formali*. Quum v. DEUS non *homo*, sed *humanus*, vel *humanatus*, aut ἐνανθρωπήσας dicitur alia & diversa est *prædicatio*, quæ & quoad *sensum*, & quod *sonum* est *concretiva* & pro *fundamento proximo* habet, non ut illa *personæ identitatem* vel *subsistentiæ communicationem*, sed *naturarum communionem*. Porrò quod non *omne adjunctum* vel *accidentalem inhærentiam* vel *externam adhærentiam* aut *adjacentiam* necessario importet edocent *attributa divina & transcendentia*, quæ neque accidentia sunt, neque subjecto adjacent, vel extrinsecus adhærent. *Formæ est adjunctum materiæ, quæ proinde communissimè solet dici subjectum, receptaculum* δοχεῖον, *for-*

Attributa Dei non prædicantur in abstracto

Non omne adjunctum inhæret vel adhæret.

Probo ab attributis eminentibus, & forma quæ adjunctum materiæ.

formatum vid. Scalig. Exerc. 17. eademq; de causâ materia vocatur locus apud Platonicos vid. Scalig. Exerc: 10. Scheibler. l. c. n. 12. At forma non est accidens materiæ inhærens, nec extrinsecus materiæ adhæret, κατὰ παρεμφαίνειαν, sed potius materiam intrinsecè perficit, & unitur eidem κατ' ἐμφαίνειαν. Sed videtur hâc ratione potius λόγον dici debere adjunctum humanæ naturæ, quàm naturam humanam τῷ λόγῳ, quippe quod λόγος sit in carne, quodque caro sit δοχεῖον τῷ λόγῳ, & θεοδόχος. Verum observandum, quod subjecti & adjuncti denominatio à diversâ rerum considerâtione, collatione & dispositione dependeat, ideoque non absonum sit, diverso respectu eidem modo subjecti modo adjuncti denominationem tribuere. Quàm quam in præsenti potius velim carnem dici adjunctum τῷ λόγῳ, quàm λόγον carnis. Caro enim accessit ad λόγον: & λόγος recepit carnem. Nec enim caro est θεοδόχος active sed passive, quatenus assumta est à λέγω, in conjunctione atque unione personali. Nam finitum non est capax infiniti nisi passivè.

Rectius caro dicitur adjunctum quàm λόγος

II. Subjectum prius est adjuncto. *Subjectum prius est adjuncto.*

Scilicet, in quantum se respiciunt ut *subjectum & adjunctum*. Ita *arma* quatenus *adjunguntur militi* ejus sunt *adjuncta*. At non unquam *priora* sunt milite, sed non *in quantum adjunguntur*. Debet a *prioritas* intelligi simplè ut quævis, Prioritas subsumi *possit*. Alioquin fallet *Porisma*.

III. Subjectum & adjunctum non distinguuntur necessario realiter. *Subjectum & adjunctum non distinguuntur necessariò realiter.*

Ratio est: quia proprietates dantur, quæ *non sunt realiter à subjecto distinctæ*. Quandoquidem ad *rationem proprietatis* satis sit: Si *ratio subjecti sit prior conceptibiliter ratione proprietatis*, siquè *hæc consequatur per se rationem formalem sui subjecti*, at v. distingui *realiter* à subjecto, ita, ut subjectum ingrediatur *distinctionem affectionis propriæ* ut *aliquid additum* & non *ut essentiale & intrinsecum*, hoc non est *de formali proprietatis in abstracto*, sed *proprium est proprijs prædicamentalibus*. Quod autem omninò liceat *propriij rationem* concipere, ubi *à parte rei attributum* est ipsa *essentia*, vel quod liceat

distin-

distinguere *adjunctum à subjecto*, utut identificetur *subjecto*, vel naturalis intelligendi ratio satis confirmat. Quum enim intellectus noster *uno conceptu* non possit omnia concipere *adæquatè & distinctè*, *inadæquatos* format *conceptus & distinctè* apprehendit *essentiam* in se se, *distinctè* itidem *varios respectus in eâdem simplici essentiâ*, quos eadem habet & admittit vel in συγκρίσει ad alia, vel in χρήσει ad *operationes diversas*. Proinde format *distinctè* conceptum *subjecti*, & *adjuncti*, ita tamen, ut non evertat *realem identitatem*, dum *formale discrimen* concipit. Itaq; cum grano salis accipiendum illud τὸ ὑποκείμενον. *Conceptus formalis debet correspondere conceptui objectivo.* Scilicet quantum ad *rem & veritatem*, non quantum ad *modum & abstractionem*, vel ratione *veritatis*, non autem necessariò ratione *adæquationis*. *Falsus & difformis* esse non debet conceptus *formalis*, at *adæquatus ob ectivo conceptui* semper non potest. Sed oportet sæpenumerò eandem rem aliis atque aliis conceptibus inadæquatis repræsentare. Ita *Enjedinus in Explic. loc. 1. Cor. 12, 4. p. 288 289.* ait DEUM *mentem vestram sic creasse ut etiam in Deo accidentia* (dicantur

Quomodo intelligendū axioma: Conceptus formalis debet correspondere conceptui objectivo.

ad-

adjuncta) cogitet & nisi ita fiat intelligere de Deo quicquam nequimus. Id enim noster intelligendi modus requirit. At si consideremus hanc vim (potentiam & virtutem Dei) ut est, atq; respectu Dei, erit substantia & essentiale quiddam, quia in Deo, quicquid est, substantia est. Ita Deus est ipsa potentia, & vicissim potentia illa est ipse Deus. Hæc ille. Quæ opponi possunt aliis Photinianis qui in Deo realem quandam compositionem è subjecto & accidente fingunt. Goslavius cont. Keckerm. p. 1. refut p. 9. Proprietas, ait, non est ipsa essentia. Intellectus est proprietas DEI. Qui igitur ejus essentia l & Vorstius in l. de DEO & attrib. divin. In Deo, ait, est aliud & aliud, videlicet subjectum & accident. At concedo, nullum adjunctum esse ipsam subjecti essentiã κοινοματικῶς à parte conceptus & formaliter, verum quod attributa Dei non sint ipsa essentia Dei πραγματικῶς à parte rei & materialiter, id probet Goslavius Nos omnino existimamus id adversari l. Simplicitati divinæ. Nam attributa realiter distincta ab essentia important realem compositionem ex subjecto & accidente. At plura extrema componentia quæ inter se actu distinguantur in Deo dari nõ possunt ob summam

Enjedinus agnoscit potentiam Dei esse ipsum Deũ.

Goslavius & Socinus negant.

Attributa divina non distingui realiter à Deo.

Probatur à simplicitate Dei.

ab independentia Dei.

mam DEi simplicitatem 2. *divinæ independentiæ.* Nam *attributa* illa *realiter* ab Essentia divina distincta vel sunt *dependentia* vel *independentia*, vel sunt *finita* vel *infinita*. Si *illud* E. datur in Essentia *independente* & *infinitâ* aliquid *dependens* & *finitum*. *Si hoc*, Ergo præter essentiam divinam plura erunt admittenda *Entia independentia*, & *infinita* realiter ab illa distincta, hoc est, *plures Dii*, quod implicat. 3. *divinæ perfectioni* Si enim in Deo reperiretur aliquod *accidens* reapse â *divina essentia* distinctum, vel id â *causa aliqua externa* dependeret, vel ab *ipsa essentia* divina emanaret. *Si illud*, Deus non esset *suprema causa*. *Si hoc*, in Deo esset aliquid *natura prius* & *posterius*: itemq; *effectus* propriè *dictus* & *esse participatum*, essentia divina respectu istorum *accidentium* esset *impotentia passiva* & *receptiva*, quæ pugnant cum DEI *perfectione* 4. *divinæ immutabilitati*. Nam accidentia ea vel perficiunt essentiam Dei, vel *non*: *si hoc*, *frustra* sunt; nec sunt Entia *realiter* distincta ab Essentia DEI; quia omne Ens dicit quandam perfectionem. *Si illud*, Deus erit mutabilis, sed de his in *Pneumatica*.

à perfectione Dei.

ab immutabilitate Dei.

IV. Pro-

VI. Proprium unius nequit esse proprium alterius.

Proprium unius nequit esse proprium alterius.

Proprium enim est, quod *uni soli* convenit *primò & per se*. Si ergò evadat *proprium alterius*, id quod *uni* convenit *soli primò & per se*, alteri quoq; conveniet *primò & per se*, quod implicat. Rectè itaq; *Porphyrius in Isagog. c. 15. §. 4.* ἴδιον ἀπλῶν οὐκ ἔστιν ἴδιον ἀδύνατον. At malè inferunt *Calviniani. Propria nullatenus posse communicari. Timpterus, manifesta est contradictionis implicatio statuere aliquid esse proprium, & tamen communicari. Kekermannus, Proprium si communicetur tollitur discrimen inter commune & proprium.* Quibus effatis *generalibus & illimitatis* adversantur *exempla plurima* ἀναντιῤῥήτως *certissima*. Nam quod est proprium *generis* communicatur *speciei*, quod est proprium *speciei* communicatur *individuo*. Proprium *partis essentialis* communicatur *toti Essentiali*, proprium *membri* communicatur *integro*: proprium *naturæ* communicatur *supposito* vel *personæ*. Proprium *miscibilis* communicatur *mixto*, proprium *accidentis* communicatur *subjecto*, deniq; *accidens proprium* unum communicatur *alteri* citra controversiam. Si ergò hæc verè *propria* sunt, uti omninò

sunt, & tamen verè communicantur, quomodo *universaliter* verum erit, *communicabilitatem* tollere *proprietatem*. Et proinde notandum, *Proprium* (quod hic *generaliter* usurpatur, sive sit καθ' ὅλου, sive ἐν μέρει καθόλου, sive ὑποκαλυπτόν, itemque sive sit ἁπλῶς *proprium*, καὶ ἀεὶ proprium, sive τῷ τι proprium καὶ πότε ἴδιον: & rursus sive sit propria δύναμις sive propria ἐνέργεια) non uno modo *communicari* posse, ita ut non desinat esse *proprium*. Scilicet communicari potest proprium. 1. κατὰ χρῆσιν, quomodo amicorũ bona *propria* ratione κλήσεως sunt communia ratione χρήσεως. 2. κατὰ μῖξιν, ut cum proprium *unius mixtibilis* de toto *mixto* prædicatur. 3. τῷ μετέχεσθαι. Ita *splendor* & *imago lucis* à solis luce orta aëri communicatur ab eoq; per μετέχεσθαι recipitur. 4. κατ' ἀποτύπωσιν. Quomodo Deus communicat *bonitatem*, & *justitiam* suam *rebus creatis*, *ignis* communicat *aquæ frigidæ calorem*, dum eam calefacit. 5 τῷ μέθεξιν secundum *essentialem participationem* quomodo *propria naturæ universalis* cõmunicantur *naturæ particulari*, propria *generis* communicantur *speciei*, propria *speciei* communicantur *individuis*, non ut essentiam

Quot modis propria communicari possint?

tiam eorum ingrediantur *essentialiter*, sed quia *species* participat *essentiam generis*, Individua *essentiam speciei*· 6 κ) ἐσιῶδη περιχώρησιν. Qualis reperitur in *mysterio S. S. Trinitatis*, ubi *Pater* communicat *filio* suam essentiam, omniaque sua attributa *essentialia*. 7. κ) συνδύασιν quæ itidem non est uniusmodi. Nam vel uniuntur *duo accidentia inter se*, vel *accidentia cum subjecto suo*: ubi prodit unum *per accidens*, vel uniuntur *substantiæ diversæ inter sese*. *Illic & istic* datur itidem quædam *communicatio*, vel sub ratione *inhærentiæ*, quâ id quod *accidenti* proprium est, propter *inhærentiam in subjecto* (termino *inhærentiæ* latè accepto, quæcunq; ea sit, ut adæquetur *accidenti*) communicatur subjecto, ut *proprium humiditatis est suis difficulter contineri terminis, quod communicatur subjecto v. g. vino*, quia *vinum difficulter consistit eò quod humidum*, vel sub ratione *coëxistentiæ*: quando *accidentia coëxistunt in uno subjecto*, tum enim inter se ratione *subjecti* quandam *communionem* obtinent cujus gratiâ de sese *prædicantur*, ut *risibilitas & disciplinæ capacitas in animâ rationali* concurrunt, ut de sese in *concreto* prædicari possint *risibile est disciplinæ capax*, quæ

Cõmunicatio unionis.

quæ *prædicatio* præsupponit certè quandam κοινωνίαν, quum omnis prædicationis fundamentum sit κοινωνία, sive κατὰ μέθεξιν sive κ) συνδύασιν. Hîc v. (quum *substantiæ inter se uniuntur*) iterum datur nō unâ ratione *communicatio proprietatum*; Alia est *impropria*, alia *propria*. *Impropria* κ) συνεκδοχήν, quâ id quod proprium est *partis* tribuitur *toti* vel *essentiali* vel *integrali*. Quam solam admittunt *Cingliani* in *articulo de Christo*: quum de *communicatione idiomatum* vel *proprietatum* loquuntur. Ita *Polanus*: *communicatio idiomatum dicitur respectu personæ, cui utraq; natura suas proprietates communes facit, nequaquam a. dicitur respectu naturarum inter se. l. 6. c. 26. p. 379. Syntagm*: Quod si videantur nonnunquam etiam communicationem proprietatum ratione *naturarum* admittere, non nisi *verbalem* & ὀνομαστὴν innuunt. Ideoq; *Danæus contrà Dn. Chemnit.* contendit ea, *quæ de carne Christi prædicantur non nisi nominali & titulari κοινωνίᾳ explicanda esse*. Hinc confugiunt vel ad τροπολογικὴν vel ad ἁρμογικὴν ἢ συνεκτικὴν ἢ ἀφελικὴν quandam *attributionem*, & *figuratè* vel *titulotenus* saltim accipiunt *prædicationes Scripturæ*, quæ istam communi-

Communicationis impropriæ.

municationem innuunt, ut â *Theologis nostratibus* demonstratur. *Propria substantiarum* inter se unitarum *communicatio* est vel *unionis* καὶ περιχώρησιν vel unionis καὶ περιχώρησιν. Istius exempla dantur tum *Physica*, tùm *mystica*; Ita sæpè in *natura* junguntur duæ *disparatæ substantiæ*, quibus *realis* quædam *communicatio* intervenit sed *extrinseca*. Et in sacris habetur communicatio *sacramentalis*, *spiritualis*, *cœlestis*. *Illa* fit mediante *unione Sacramentali* ac intercedit inter *panem* & *corpus Christi*, *vinum* & *sanguinem Christi*. *Ista* fit mediante *unione mysticâ* & *gratiosâ* & *Varino* definitur, ἡ τῶν θείων μυστηρίων μετάληψις διὰ τὸ τὴν πρὸς Χριστὸν ἡμῖν χαρίζεσθαι ἕνωσιν, καὶ κοινωνὸς, ἡμᾶς τῆς αὐτοῦ βασιλείας ποιεῖν, hoc est, *divinorum mysteriorum perceptio propter donatam nobis ad Christum sive cum Christo unionem & propterea, quod participes nos faciat (Deus) sui ipsius regni*. *Hæc* mediante conjunctione *cœlesti* & *gloriosâ*, quam expectamus in alterâ vitâ, ubi multô magis evademus κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως, quàm in hâc præsentis vitæ imperfectione. Sed hæc omnia ἔξω πίστεως τῆς συρράξεως κείμενα: nec opus est hisce impræsentiarum longius

Communionis propriæ.

immorari. Sufficit, quod tot exemplis generalitas effatorum & axiomatum Cinglianorum de negatâ quæcunq; propriorũ communicatione labefactata sit. Controversia 2. agitatur propriè de *communicatione idiomatum*, & propriorum κατὰ συνδύασιν eâq; *propriâ*, & quidem κατὰ περιχώρησιν. Quam nos propugnamus, Cingliani impossibilem judicant. Sit ergò *thesis* nostra. *Proprium subjecti unius* κατὰ ἕνωσιν *subjecto alteri per naturam diversa, realiter communitari potest* κατὰ περιχώρησιν. Demonstro exemplis. 1. *unionis accidentalis*. Assumo unionem *ferri & ignis*, atq; ita *concludo*. Si ignis in ferro igneto realiter communicat ferro suam lucem & calorem κατὰ περιχώρησιν, consequens est, proprium unius subjecti subjecto alteri per naturam diverso κατὰ περιχώρησιν realiter communicari posse. *Verum* est *prius. E. & posterius, Connexio est* firma, quia *lux & calor* sunt ptopria ignis, saltim κατὰ τι, quatenus conveniunt tantum igni per naturam, qui est luminosus & calidus, non a. ferro, quod per naturam est opacum & frigidum; & *ignis* atq; *ferrum* sunt *subjecta per naturam diversa*, quum genere differant, & unum alteri actu jam constituto

Thesis de communicatione propriorũ.

tuto adveniat, unumq; seorsim ab altero existere queat. *Assumtio* confirmatur, *tum* quod uniantur κατὰ περιχώρησιν, *tum* quod propria ignis lux & calor communicetur ferro realitèr. *Istud* è περιχωρήσει vel *ignitione* constat, quum id demum ignitum dicatur, quod ignem in sese habet, sicut vinum dicitur mellitum quod melin se habet. Quin & *igneus splendor, calor & scintillatio in ferro candente* ὀφθαλμοφανῶς docent, ignem & ferrum ita esse unita, ut ignis substantia intrà ferrum contineatur. *Conf. Stal. Exerc: 12. 3.* Neq; enim hèic metuenda *dimensionum penetratio*, quandoquidem *substantiam tenuem & subtilem permeare substantiam raram & porosam* sine penetratione dimensionum constet. *Hæc* v. ita probamus. Si *ferrum ignitum* verè & realitèr lucet, *aut* lucet luce sibi insitâ, *aut* luce ab igne in ferro productâ, *aut* luce ignis ferro realitèr κατὰ περιχώρησιν communicatâ. Non *insitâ luce*: nam ferrum naturâ suâ opacum est: nec *luce ab igne in ferro productâ*. Nam ea vel per *emanationem*, vel per *transmutationem* producta esset in ferro. Neutrum dici potest. Non *illud*, quia à luce emanat non lux sed lumen; & in

Ignis communicat ferro lucē.

emanatione idem est principium à quo, & subjectum in quo. Neq; hoc. Nam ita sequeretur *ferrum ignitum ab igne quo ignitur accendi & in ignem converti* adeoq; *è substantiâ crassâ & densâ fieri substantiam tenuem & subtilem*. Quæ sunt absona. Ne v. quis dicat *lumen produci à luce in ferro sicut à sole producitur lumen in aëre*, obstat illud, quod *ferrum* per *naturam* suam ob insitam *nigredinem & opacitatem* fit *ineptum* ad *recipiendum lumen*, quando quidem *lumen* fit *actus perspicui, quatenus perspicuum est 2. de an. §. 69. II. Unionis naturalis. Vita animæ propria* communicatur corpori realiter & κατὰ περιχώρησιν. E. quoddam proprium unius subjecti potest subjecto alteri per naturam diverso, at unito communicari realiter & κατὰ περιχώρησιν. *Antecedens* probatur. *Vita* est *facultas vitaliter operandi*, vel *immediatum principium vitalis operationis*, ejusque *causa formalis* est *anima*, ut verè propria sit animæ, eidemq; soli πρώτως καὶ καθ' αὑτὸ competat: sive ἀσιωδῶς, sive ἐπασιωδῶς quo de adhuc disceptatur. Eadem a. *animæ vita* communicatur *corpori*, quadoquidem *corpus vivat* non *aliâ vitâ*, sed *per vitam animæ propriam*, quod certè fieri non

Exemplum unionis naturalis.

Vita animæ cõmunicatur corpori.

non potest citrà *communicationem*. Nam quod corpus neq; per *vitam* καθ' αὑτὸ *sibi propriam*, neque *per vitam ab animâ in ipsa productam* vivat, facilè demonstratur. *Prius* quidem exinde, quod *vita à solâ animâ dependeat* nec à *formâ mixtionis* proficisci queat, nec *omni corpori* competat, & *aliunde* tantùm corpori adveniat & ἐξωθεν̀ inspiretur, quod deniq; vita *extincta* non statim intereat *corpus*. *Posterius* v. quod absurdum sit *animam in eodem corpore generare animam, vel facultates vitaliter operandi ab animâ in corpore produci*, itemq; corpus esse πρῶτον ὑποκειμενον illius vitæ, *nec animam esse illud quo primò vivimus & sentimus*, adeoq; *corpus non vivere ideò, quia habeat animam per quam exercere possit operationes vitales*, ut statuit *Philosophus 2. de an. §. 10. & §. 6.* quum definit animam, ἡ ψυχὴ ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη τοῦ σώματος φυσικοῦ ζωὴν δυνάμει ἔχοντος. III. *Unionis personalis*. De quâ κοινωνίᾳ videantur *Theologi*.

Exemplum unionis personalis.

VII. Communicato uno proprio non statim communicantur cætera.

Communicato uno proprio non statim communicatur alterum.

Nam & ea quæ *realiter* eadem sunt nonnunquam talia esse queunt, ut uno

eorum communicato non ſtatim communicetur alterum, quemadmodum vidimus *cap. 18. Poriſm. XI.* Sanè negari nequit συνυπαρξία propriorum, qua fit, ut quatenus ſubjectum proprij unius eſt in ſubjecto altero καλὰ συνδύασιν eatenus quoq; in & cum ſubjecto propria ipſius omnia ſint in ſubjecto altero; verum ex eo nondum ſequitur, quod ſubjecto alteri communicentur omnia, quia ad *communicationem* requiritur præter *inexiſtentiam* & *communem poſſeßionem communis uſurpatio.* Conſtat autem quod non omnia propria ſint ἐνεργητικὰ, neq; ſubjectum paritèr ſit δεκτικὸν ad omnia, ut ab ijs denominari poſſit. Quæ ergò propria ſunt ἀνενέργητα quomodo communicari poſſunt ad communem uſurpationem? Deinde quum *propria quædam naturæ ſubjecti* ἀνυφαλικῶς repugnent, *alia* v. *non repugnent; quædam* conferant ad *finem*, propter quem facta eſt unitio *quædam* non perinde conferant, manifeſtum eſt, quod nec ſubjectum eadem ratione ſit δεκτικὸν omnium, nec eadem ſit neceſſitas communicationis omnium. Neque tamen inde concludenda unius proprij ab altero *ſeparatio*, ſed tantummodo

modo *distinctio*, quandoquidem alia sit ratio *possessionis* alia *usurpationis* & *denominationis*, nec statim ea, quæ simul possidentur, simul quoq; usurpentur, & eadem ratione subjectum denominent. Sed de his *alij* prolixius.

Propria nõ possunt à subjecto separari.

VIII. Propria non possunt à subjecto separari.

Diſt. propria realiter distincta, & non distincta.

Distinguendum 1. inter *propria realiter* à subjecto *distincta*, & attributa propria, quæ *realiter identificantur* essentiæ subjecti. *Hæc* nulla ratione separari possunt à subjecto *realiter* ob realem identitatem cum subjecto. *Illa* v. saltim *secundum quid* dicuntur inseparabilia à subjecto. Proinde 2. distinguendum inter propria ratione *actus primi* & ratione *actus secundi* considerata. Propria quantùm ad *actum secundum* dicere indiscretè inseparabilia, planè est ἀφιλόσοφον, quum in naturâ prostent exempla plurima, quibus ad oculum demonstratur *actum secundum propriorum abesse* posse, & ἐνεργείας proprias separari à subjecto. Unde πολυθρύλητα ista: *actus cessare potest manente facultate? ἐνεργεῖν impediri potest manente habitudine: & negatione* τῦ ἐνεργεῖν

Diſt. actum primum & secundum.

propter

Contra Calvinianos.

propter externum impedimentum non tollitur τὸ ἔχειν. Ut mirum sit *Calvinianos* negare tàm præfractè, *corpus adesse posse*, quod *actu non videatur, non palpetur, non locetur*, eò quod propria separari nequeant; quū nō ἐνέργειαι, sed potentiæ earum sint ejusmodi propria quæ à subjecto tolli non possunt. Sed & 3. de *potentiis* distinguendum inter *actualem inexistentiam*, & *naturalem convenientiam*. Aliud enim est *actu hominem esse risibilem*. Aliud *naturâ hominem esse risibilem*. Ratione *naturalis convenientiæ* videtur propria esse ἀχώριστα ita ut verè dicatur ἰδιοτήτων ἄρρηξις ἐστι τῶν φύσεων ἄρρηξις, καὶ ἀναίρεσις. Negatio proprietatum est negatio & sublatio naturarum *Theodor. Dial. 3. Vigil. l. 5. contr. Eutych. c. 2.* & *in Epist. contrà Monotheletas*. Nam si negaretur *convenientia*, v. c. *quod ne quidem conveniat hominem esse risibilem naturâ*, negaretur utiq; id, quod negari nullatenus potest, quum omninò *homo naturâ* sit *risibilis*, impossibile a. est idem simul esse & non esse. Quantum v. ad *actualem existentiam* non sunt propria à subjecto realitèr distincta tàm arctè cū subjecto connexa, ut nullâ virtute possint separari à subjecto realiter salva subjecti essentiâ,

Dist. convenientiam, & inexistē tiam.

Sed

Sed distingui debet 4. inter *potentiam DEI absolutam*, & potentiam *naturæ definitam*. *Natura* enim quum definitum habeat agendi modum, non potest ordinem præscriptum transilire. At *potentia DEI* naturæ legibus exempta est & nulli ordini præcisè adstricta. Quidni ergò posset Deus nexum illum, qui est inter subjectum & proprium, quem ipse nexuit, iterum dissolvere! *Naturaliter* quidem non potest id quod pendet ab essentiâ tanquam συνεκτικῇ causa abesse, vel effectus causæ per emanationem agentis separari à suâ causa, potest tamen *supernaturaliter*. Quod si quis præfractè negaverit: urgemus. 1. *Possibilis conditionem*. Id omne est possibile, quod non involvit quandam contradictionem. At essentiam dari absque accidentibus propriis nullam dicit contradictionem. Et 2. *Divinam in agendo libertatem*. Quod si enim DEUS tanquam agens liberrimum concurreret ad *sustentationem subjecti*, & suspendat influxum & concursum suum saltim quantùm ad *emanationem naturalem potentiæ è subjecto*, tùm sanè essentia subjecti servaretur, proprietas vero non emanaret è subjecto

Dist. potentiâ Dei & naturæ.

Probatur separabilitas proprietatum.

suo,

suo. Nihil a. impedit, quo minus Deus ita concurrere possit; v. g. ut conservet *humanam naturam*, influxum v. suspendat aut retrahat, quantum ad *risibilitatem*, ne illa emanet è rationalitate. Nam omnino distinctus est influxus ad *rationalitatem*, vel ad essentiam, & ad *risibilitatem* vel ad affectionem propriam. Quum *distincta* sint *naturæ momenta*, τὰ συστατικὰ vel *essentialia à priori*, & τὰ παρεπόμενα seu *essentialia à posteriori*. 3. *Exemplorum similitudinem*. Nam licet non habeantur *exempla* separationis proprietatum à subjecto, quâ considerantur ratione *actus primi*, tamen *similia* quædam *exempla* occurrunt in factis, quæ non minorem arguunt virtutem v. c. quod *actus gravitatis à ferro*, *actus urendi ab igne separatus sit*. Etenim si *naturam* rerum spectes, non minus videtur impossibile *ferrum natare in aquâ*, *ignem non urere dato subjecto ustibili*, quàm *hominem non esse risibilem*, vel *subjectum carere propriis suis affectionibus*. Et si maximè videretur difficilius, tamen an *quod videtur difficile in oculis nostris*, *difficile quoq; erit in oculis Dei*?

IX. Quæ easdem habent pro-

prieta-

prietates, eandem habent essentiam.

Quæ eadē habent proprietates, eandē habent essentiam.

Sc. *tanquam proprietates.* Aliàs fallit: uti illud *Cinglianorum*: *Humana & divina natura habent easdem proprietates, asserta idiomatum* κοινωνίᾳ. *Ergo sunt ejusdem essentiæ.* Nam humana natura non habet proprietates divinæ *tanquam proprietates* ita ut καθ' αὐτὸ & πρώτως ipsi competant, & ex essentia ejus emanent, sed tantum *per communicationem* κατ' ἄλλο & δευτέρως. Nam aliud certè est, *habere aliquid*, & aliud, *habere aliquid ut proprium.* Quanquam etiam negari possit *consequentia*, quod *divina & humana natura ideò easdem habeant proprietates, quia humana natura habet proprietates divinæ naturæ.* Nam *antecedens* infert tantùm *veritatem attributionis*, quod scilicet reipsa prædicentur proprietates divinæ naturæ de humana, *consequens* verò importat *attributionis identitatem* quasi proprietates divinæ naturæ essent proprietates humanæ naturæ, & *eâdem ratione* dicerentur tàm de *humanâ*, quàm de *divina* natura. Pariter inferrem, *homo habet proprietates animalis, Ergo homo & animal habent easdem proprietates.* At quivis videt *antecedens verum, consequens falsum esse.*

X.Di-

Diversæ naturæ diversas obtinent proprietates.

X. Diversæ naturæ diversas obtinent proprietates.

Quia inter *naturam & proprietates* datur essentialis quædam connexio & necessaria reciprocatio. Inde adversus *Monotheletas* probatur in *Christo duas esse voluntates*, quia in Christo sint duæ diversæ naturæ intellectuales, divina & humana, ex *hypothesi* cumprimis virorum celebratissimorum, quod *intellectus residem sit cum anima intellectuali.*

Propria primò universalibus insunt accidentia primò singularibus.

XI. Propria primò universalibus, secundariò singularibus, at accidentia individuis immediatè, universalibus mediatè competunt.

Illius ratio est, quod propria fluant ab ipsa *essentiâ*, quæ ut sic abstrahit à *singularibus* & *universalis est*, ideò *propria primò* cõpetunt *universalibus*, *individuis autem consequenter* tantùm seu ratione *specierum*. *Hujus* v. causa est, quòd *accidentia* non habeant necessariam connexionem cum *essentiâ*, sed rebus conveniant propter alias causas & propter actiones earum. *Actiones* n. sunt in *singularibus*: ideó conveniunt *immediatè singularibus*, & per ea *speciebus* & aliis *universalibus*. Quanquam alia sit ratio *prædicatorum accidentalium*, quæ important *denominationem extrinsecam ab actu intellectus*, qualia sunt *genus species*, &c. Nam actio intellectus non est determinata & restricta ad singularia. Conf. *Conimbric: in c. 6. Isag. Porph.*

Reſpond. Georgio Neithardo Slaiza-Vanſco.

CAPUT XXV.

De ſigno & ſignato.

I. Signum eſt, quod potentiæ cognoſcenti aliquid repræſentat. *ſignum quid*

Varias *vocũ acceptiones* apud alios vide. Nos in *re* occupabimur. *Signum* dicitur *nota quævis rem arguens*; & infert *geminum reſpectum*; *alterum* ad *potentiam cognoſcentem*, *ſenſum* puta vel *intellectum*, cui aliquid repræſentat, *alterum* ad *ſignatum*, quod repræſentat. *Repræſentare* a. nihil aliud eſt, quam re præſens ſiſtere, quæ præſentia (ſigni ut talis) non eſt *realis*, ſed *tantum intentionalis*, in quantum ē ſigno percipit *ſenſus* vel *intellectus* ſignatum, idq; ſibi præſens ſiſtit nõ quoad *rem* & *eſſe materiale*, ſed *quoad ſpeciem*, & *eſſe ideale*. Magna a. datur *ſignorum varietas* ob variam cum ſignato cõnexionem & non unum ſignificandi modum I. *Signum* eſt *naturale* vel *arbitrarium*. *Iſtud* naturâ cohæret cum ſignato, quomodo *ſumus* eſt *ſignum ignis*, *hoc* verò propter inſtitutum vel divinum vel humanum, quod rei in eſſe abſoluto jam conſtitutæ

Geminus ſigni reſpectus.

Signorum diviſiones.

Signũ naturale.

Arbitrarium.

supervenit. Nam licet omne Ens naturale sit arbitrarium respectu Dei, id tamen demum dicitur signum arbitrarium, quod â Deo ad significandum aliquid ultrà esse suum ordinatur, ut *Iris gratiæ divinæ signum*. II. *Signum* est *formale* vel *instrumentale*, *Illud* est, quod immediatè sine sui cognitione signat, ut *species sensiles, intelligibiles*. *Hoc*, quod mediante sui cognitione rem repræsentat, adeoq; prius cognosci debet ipsum, quam inducat signati sui cognitionem. Sic *vestigium leporis in nive cani est signum instrumentale canis, cani est signum formale leporis*. III. *Signum* est *doctrinale* vel *non doctrinale*. *Illud*, quô in discendo utimur, quod vel *internum*, uti sunt *conceptus formales*, qui apud omnes quum sint iidem, signa quoq; sunt naturalia: vel *externum*, ceu sunt *voces signa conceptum* & *rerum arbitraria*, itemq; *scriptura*, quæ signat res, *conceptus*, *voces* itidem ex instituto. Vnde *scripturæ* tribuitur δυνάστης seu *vis quædam, repræsentans rem signatam excellenti modo* auctore *Scaligero de caus. Lat. Ling.* *Hoc*, non doctrinale est, cujus in docendo nullus est usus, ut sunt *signa cætera*. IV. *Signum* est *nudum*, *vel exhibitivum*, εἰμαίνει,

Formale

Instrumentale

Doctrinale

Non doctrinale

Nudum

κὸν, vel μεταδοτικόν; *illud* est rei absentis, ut *mappæ appositæ est signum futuri prandij vel cænæ: hoc* insuper exhibet rem præsentem. *Ita panis & vinum in SS. eucharistiâ* sunt *signa* μεταδοτικὰ *corporis & sanguinis Christi.* V. *Signum* aliud, *Theoreticum*, aliud *practicum. Illud* tantùm signat; hoc signando etiam aliquid *per se* efficit. *Per se*, inquam, Nam quæ ex accidenti aliquid efficiunt, vel occasionaliter, ea non sunt verè practica, sed theoretica signa v. c. *Imago Christi excitans fortè animum ad devotionem, non est signum practicum, sed ea demum dicuntur practica, quæ ex ipsâ significatione præter suam significationem* aliquid efficiunt, ut sigillum vel signaculum v. c. *Baptismus est sigillum fidei*, adeoq; dicitur *signum Practicum.* VI. *Signum aliud* est *indicativum*, aliud *confirmativum*: *illud* est vel *notificans* rem ignotam, vel *commonefaciens* ratione rei actu antehac cognitæ. *Prius* dicitur *nota*: quæ *vel necessaria* vel *contingens*: *Necessariam* vocant τεκμήριον, κρητήριον, γνώρισμα. Estq; *nota rem infallibiliter notificans. Requisita* talium notarum sunt duo. 1. *ut sint notiores notato*, 2. ut *notatum certò demonstrent.* Quocircà debent uni, *soli, necessariò & semper convenire*,

Exhibitivum.

Theoreticum.

Practicum.

Indicativum.

Notificans vel Nota.

Necessaria.

Quid sit nota? & quæ notæ requisitæ?

nire, & cum eodem reciprocari, ita ut ubi notæ sunt, ibi sit quod notatum, & vice versâ, ubi notatum, ibi quod sint notæ. Contingentes notæ dicuntur ἐνδεχόμεναι, & sunt, quæ tantùm probabiliter rem indicant, ideoq; saltim verosimiles sunt: Ita signa Physiognomica & Astrologica sunt ἐνδεχόμενα. Posterius vocatur memoriale vel ὑπομνηστικὸν. Sic Cœna Domini est commemorativum signum passionis Christi. Signum confirmativum est, quod obsignat, & certificat rem cognitam: dicitur σφραγὶς. Hinc alij triplex constituunt signum; Notificans, commonefaciens, obsignans. VII. Deniq; signum est vel prognosticum vel demonstrativum, vel Rememorativum. Illud rei futuræ significativum est. Istud rei præsentis exhibitivum, hoc rei præteritæ, revocans eandem in memoriam &c.

Contingentis nota

Commonefaciens vel Memoriale

confirmativum

Prognostico Demonstrativum

Rememorativum

II. Signatum est, quod per signum repræsentatur.

Ejus *natura & varietas* innotescit ex *oppositis*. Ergò ad

Ποιήσματα.

I. Signum non est signatum.

Dist.

Dist. *Signum* & *Signatum*, quâ considerantur *materialiter*, & quâ *formaliter*: *Materialiter* pro rebus subſtratis accipiuntur: quibus iſtæ denominationes competunt; *formaliter*, pro ipſis relationibus ſibi oppoſitis. Et hoc ſenſu ſignum non eſt ſignatum. Nam quod formaliter importat vox ſigni, id non ſignificat vox ſignati. Atq; hactenus ſibi opponuntur *relativè*. Iſto v. ſenſu. vel *materialiter*, *idem poteſt* eſſe *ſignum & ſignatum*. Nam ut ut juxtà *primam vocis impoſitionem* videantur ſigna dici tantum ea quæ *realiter* diſtinguuntur à *ſignatis*, tamen *uſus* obtinuit, ut ſigna quoq; dicerentur, quæ à ſignatis non diſtinguuntur realiter. Ita *differentia ſpecifica eſt ſignum intelligibile*, per quod cognoſcitur ſubeſſe natura generica. Et 1. Rhet: c. 2. *Signum ægritudinis* eſſe dicitur, *ſi quis febri laboret*. Imò neq; *notæ* ſemper diſtinguuntur *realiter à notato*; ut ſruſtrà ſint Pontificij, quando exinde negant *veram doctrinam & legitimum ſacramentorum uſum* eſſe *notas Eccleſiæ*, *quia Eccleſia ſit multitudo veram doctrinam & uſum Sacramentorum legitimum tenens*, quanquā hæc quoq; *non ſint unum & idem*. Aliud enim eſt *multitudo hominum credentium*.

Signum nō eſt ſignatū

Non omne ſignum diſtinguitur realiter à ſignato.

An notæ debeant diſtingui realiter à notato!

Quomodo vera doctrina, & uſus Sacr: poſſunt eſſe notæ Eccleſ.

aliud sunt *Verbum & Sacramenta*, quæ ab iis habentur. Et quemadmodum *lux* est *nota ambulantium in luce*, ut cum quæritur, *quinam in luce ambulent*, rectè responderi possit, *eos ambulare in luce, quos lux indicat*, vel *qui opera lucis faciunt*; sic *veritas doctrinæ nota est Ecclesiæ & verorum fidelium*, *ut* cum quæritur, *quænam sit vera Ecclesia*, recte respõdeam *eam* esse *veram Ecclesiam*, *quam indicat vera doctrina*, vel quæ veram doctrinam tenet. Sed nec absonum est, *definitionem* dicere *notam sui definiti*, quum ὁρισμὸς sit γνωριστικὸς τῆς οὐσίας & definitionis officium sit coram intellectu repræsentare *definitum*, tametsi *definitio & definitum* non differant *realiter*. *Idem* enim ratione *sui ipsius diverso respectu* esse *notius* non est inconvenience, quomodo *definitum minus notũ* est, quàm *definitio*: quod argumentum latius explicatum adversus Gregor: de Valentia videsis *disp. 13. Colleg. nostri supr. August. Confeß. thes. 19.*

Quicquid potẽtiæ cognoscenti aliquid repræsentat, signum est

II. Quidquid potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat signum est.

Sive repræsentatio fiat *sensui*, sive intel-

intellectui. Non enim omne ſignum neceſſariò eſt *ſenſibile*, nedum *viſibile*, ut ê *Zvvinglianis* nonnulli volunt, ſed ad *ſignationem* ſatis eſt, ſi *potentiæ intellectuali* exhibeat *ſignatum*, quomodo *ſpecies intelligibiles* non ſunt *ſenſibiles*, & *viſibiles*, verè tamen *ſigna* ſunt, ratione *objecti*, quod menti ſiſtunt veluti *ſignatum*. Et quid obſtaret quæsò, quo minus res *inviſibilis* poſſit ſignum alterius rei eſſe, h. e. intellectui repræſentare aliud quid? Vox *ſigni* primò quidem impoſita eſt ad ſignificandum *ſigna ſenſilia* quod ex *Auguſt. l. 2. de doct. Chriſti C. 1.* videre licet, idq; ideò, quod *omnis noſtra cognitio primordia ſumat à ſenſibus*, verum quum intellectui obverſari poſſint etiam quæ *per ſe* & *directè* in *ſenſus* non incurrunt, eademq; viciſſim alia repræſentare poſſint, hinc iisdē quoq; denominatio ſigni tribuitur: & proinde *definitio* ejus amplianda eſt: ita ut *ſignum quà tale repræſentare dicatur ſignatum vel ſenſui* vel *intellectui*. In *ſpecie* ſigna quædam ſunt *viſibilia*, ut *Iris eſt ſignū fœderis, fumus ignis, veſtigium leporis* &c: aliaq; ejus generis *inſtrumentalia* ſigna, ut & *ſpecies* ê *ſignis formalibus*: quædam ſunt *inviſibilia* ut *notmata, ſigna intelligibilia*:

Non omne ſignum eſt ſenſile, nedū viſibile.

Signum primò impoſitum eſt rebus ſenſibilibus

Signa viſibilia.

inviſibilia

lia: vel conceptus signa rerum: Similiter Spir. S. dicitur *signum & pignus hæreditatis nostræ Eph. 1. 13.* Cognitio & dilectio DEI est σφραγὶς & sigillum electionis. 2. Tim. 2. 19. &c: quædā sunt *mixta*, ut Sacramenta, quæ visibilia, & invisibilia. Visibilia ratione externorum sensuum, & administrationis: invisibilia, ratione rerum cœlestium, & unionis Sacramentalis.

Mixta.

Signum purè significativum idealiter tantum rem sistit.

III. Signum purè significativum idealiter tantum rem sistit.

Et *vice versâ*: Quicquid non exhibet rem ipsam, verè & realiter, sed repræsentat tantum eandem idealiter, id est signum nudum, purè σημαντικόν, non v. signum exhibitivum vel μεταδοτικόν. Exhibitivum enim signum dicitur inde, quod *rem ipsam exhibeat.* Contra Zvvinglianos, qui *Symbola Sacramentalia* nobiscum vocant *signa exhibitiva*, sibiq; injuriam fieri clamitant, quum dicuntur credere *nuda tantum signa in sacramentis*, purè σημαντικά; at nihilo secius negant realem & substantialem præsentiam rerum signatarum, h. e. communicuntur signa exhibitiva, quæ *non exhibeant rem signatam*, nisi *idealiter*: eaq; in-

Contra Zinglianos

fici-

ficiantur, esse *nuda signa*, eò quòd non *sint nuda â respectu signandi & obsignandi* res *idealiter exhibitas*: Eis profectò inepti. *Semel*, quod confundant *idealem & realem præsentiam*. Ad *signum* enim *exhibitivum* requiritur, ut rem sistat præsentem, cujus *signatum* est, non tantum *idealiter*, sed *realiter*: vel ut exhibeat *rem ipsam*, non speciem tantum rei. Quod si verò dicant, sese profiteri *realem* quoq; *rerum Cœlestium præsentiam* ut *corporis & sanguinis Christi* in Cœnâ, fallunt ἐμφυσιμία vocis. Nam *secundum Lexicon* ipsorum *realis præsentia corporis Christi* non dicitur quâ *substantiam corporis Christi reapse exibitam*, sed quâ *ideam* repræsentantem substantiam. Definiunt enim hæcce præsentiam *repræsentatione fidei*. At unde probabunt *fidei* hanc esse *Virtutem*, ut *res absentes* (*realiter*) possit sistere *præsentes*, & *exhibere* (*realiter*) quū aperta sit contradictio: *rem absentem realiter præsentem esse realiter*. *Fidei* dicuntur *omnia præsentia* solùm ratione *contemplationis*, & non ratione *existentiæ realis*. Si *fides* res *verè absentes*, facit *verè præsentes*; fides *falsò res apprehendit*, quia apprehendit res, non *quales* sunt, sed

Signum exhibitivum rei debet sistere realiter præsentem.

Quid Zuinglian. sit realis præsentia?

Fides nequit rem præsentem sistere realiter, quæ absens est realiter.

Quomodo fidei omnia sint præsentia?

quales non sunt: cum enim intuetur rem *absentem* tanquam *præsentem*, falsò eam intuetur, & non *qualis est*, sed *qualis non est*: Non enim est *præsens vel absens*. Et *porrò*: si fides res absentes facit verè præsentes, πίστις erit causa τῶν πίστει tanquam sui *objecti*. Quod non minus absurdum est, quam *scientiã esse causam rei scibilis &c. Distinguendum* inter *promissionem*, & *rem ipsam promissam*. *Promissio fidei* præsens est: non tamen semper *res promissa* præsens est, nisi fortè hæc dicatur fidei natura & vis, ut *omnia loca & tempora confundat. Iterùm* in hoc inepti sunt: quod *signum nudum* existiment ideò dici, quod à *respectu signandi nudum* atq; *vacuum* sit. Nervosè hoc κεφάλαιον refellit *Theolog. judicioſissimus* Dn. D. *Menzerus p.m. disp. 6. t. 2. Gieß. th. 23.* his verbis: *Qui excipiunt non statui à se nuda signa seu vacua & inania, quia nimirum significent & obsignent res signatas, illi pueriliter ineptiunt. Nam nuditas illa sive vacuitas dicitur non respectu significationis, sine qua signum tam esse vel cogitari non potest, quam sine somno somnium, sed respectu rei cœlestis, ut in Cœna Dominicâ, si panis dicatur significare corpus Christi absens, est signum vacuum & inane:*

Signum nudum dicitur non respectu significationis, sed ratione rei significatæ.

non

non vacuum significatione (sic enim signum esse non potest) sed vacuum corpore Christi. Quod asserunt illi, *qui* non credunt *corpus Christi cum pane* præsens esse *substantialiter & realiter: quiq;* ajunt, *corpus Christi* esse *signatum S. Cœnæ*, hoc ipso negantes, *corpus Christi ad essentiam S. Cœnæ pertinere.* Quandoquidem *nullum signatum sit pars essentialis sui signi.* Quod si enim *corpus Christi realiter* præsens non est, quomodo *realiter exhiberi* potest isthic, ubi præsens nō est: & si corpus Christi *ad essentiam S. Cœnæ* non spectat, quomodo *Sacramentum Cœnæ in essentiâ suâ* consideratum non erit *vacuum & nudum à corpore Christi?* Nec aliud sibi volūt ista similia, quæ solēt afferre *Zwingliani: de testamēto, ut signo exhibitivo legati, vel hæreditatis: de coronâ, & vexillo homagiali, ut signo exhibitivo regni vel principatus; de annulo*, tanquam *signo exhibitivo sponsæ &c.* de quibus pro more suo declamitat *Bergius in scripto German. de verb. Cœnæ*, scilicet, qualis *illic exhibitio*, & qualis rerum exhibitarum *præsentia*, talia quoq; sunt signa illa exhibitiva. Quis autem ita absurdus foret, ut dicat *legatum realiter* adesse *testamento, regnum coronæ, sponsam annulo,*

Nullum signatum est pars essentialis signi sui.

Exhibitio realis in Cœna quid Calvinistis, quidq; signa exhibitiva.

& exhibitione *realis* præberi cum *testamento legatum*, cum *corona regnum*, cum *annulo sponsam*? κενὴ & *respectiva* est *præsentia*: & *symbolica oblatio*: non verò *realis præsentia* & *exhibitio*. Proinde *impropriè* & *abusivè* vocãtur hæcce signa προσφερόμενα καὶ μεταδοτικά: &, si ad eundem modum *Symbola Sacramentalia* dicantur signa προσφερόμενα καὶ μεταδοτικά, tunc mutato saltim dicendi genere, & ad fallendum composito nihil aliud innuetur, quàm quod symbola sacramentalia, ut verbis *propriis* & *apertis* efferã, sint *nuda signa* purè ὀνομαστικὰ & *vacua re Cœlesti* vel *corpore Christi*, quippe quod à S. Cœnâ *reapse* abest, *quantum distat Cœlum à terra*, ut *Beza* & *Ursinus* perhibent.

Cingliani relinquunt nuda signa in Cœna.

Signatum non prædicatur de signo.

IV. Signatum nullâ ratione prædicatur de signo in casu recto.

Nullâ, inquam *ratione*, nec *propriè* nec *figuratè*; quia si *signatum* prædicatur *in casu recto* de suo *signo*, *quatenus signatum*, sequitur, quod *duo relata* de se invicem prædicentur in *casu recto*, *quod est Contradictorium*. *Relatum unum*, non

non est *alterum relatum*, sed est *alterius relati relatum*. *Signum* ergò non est *signatum proprie*, sed *signum signati*, & *signatum est signi signatum*. Unde si *corpus Christi* & *panis benedictus* prædicantur de se invicem, quatenus se habent ut *signum* & *signatum*, quod volunt *Calviniani*, dicendum erit, *panis est corporis Christi panis*, & *corpus Christi est panis corpus*. Ad *Metonymiam* confugere non possunt, quia *juxta ipsos* in *Metonymica prædicatione signatum* ponitur. Unde corpus Christi pro signo de *corporis Christi* erit accipiendum. Quocirca non *signatum* ut *signatum*, sed *signum corporis prædicabitur* de *pane hoc sensu*: *panis* est *corpus Christi*, id est *panis est signum corporis Christi*. Differunt certè *signatum* poni pro *signo*, & *signatum* de *signo prædicari* imò *aperta cõtradictio* est cum semel affirmatur, *signatum corpus Christi prædicari de pane* ceu *signo* posteà *signum corporis prædicari de pane*. Vide *Graverum in absurd. c. 3. §. 26.* & in *Antipar: propugn. n. 65.*

Signum non est signatum

Aliud est signatum proſigno poni, aliud de signo prædicari.

Res eadem diverſis ſignis apparere poteſt.

V. Res eadem diversis signis apparere potest.

Signa

Signa enim sunt extra essentiam signatorum; ideoq; *illorum diversitas essentialis* non infert *signati diversitatem essentialem*, *& separatio istorum* non importat *separationem signatorum essentialem*; imò fieri potest, ut *res una eademq; diversimodè per diversa signa sui essentiam manifestet*, e g. *Sanitas in diversis partibus humani corporis se prodit diversis signis, rubore in facie, pulsu in arteriis, gressu in pedibus, hilaritate in oculis &c.* Quidni etiam *externis signis* distinctis se manifestare possent *distinctæ hypostases ejusdem essentiæ singularis* ita ut *diversis apparendi modis* à se invicem discernantur? Elumbis est illa consequentia *Goslavij; Matth. 3. apparent Pater & Filius diversis & separatis figuris. E. sunt diversæ & separatæ essentiæ?* Nam *à conditione externarum figurarum ad statum & rationem eorum quorum externæ figuræ sunt notificativæ* N. V. C.

Contra Goslavium.

Notæ sint infallibiles.

VI. Notæ sint infallibiles.

Notæ enim debent *certò demonstrare notatum.* Proinde oportet easdem *infallibiles* esse. Ad hoc autem requiritur, ut 1. *notato soli ac semper conveniant.* Nam quod

Notæ notato soli ac semper conveniant.

quod *rei non convenit*, quomodo rem indicare potest? Quod verò *pluribus cõmune* est, quomodo rem unam notare potest infallibiliter? Deniq; quod notato nõ competit *perpetuò*, quomodo potest notatum certò demonstrare omni tempore? Quando a. nota dicitur *propria notato*, intelligendum id est quantum ad ἀλήθειαν nõ v. *præcisè* etiã καλὰ δόξαν satis est si *in re* nota sit *propria*, non est necessum, ut *Bellarminus ineptit*, quò etiam *hominum opinione propriæ sint l. 4. de not. Eccl. c. 2.* Nam *proprietas & nota rei* non dependet ab *opinione humanâ*, sed *â reipsâ*. Ita neq; illæ *notæ* quas assignant *Papistæ Ecclesiæ*, tales sunt, ut ab omnibus habeantur *propriæ Ecclesiæ*. Ita quod dicunt *notam Ecclesiæ* inter alias esse, quod dependeat â *Romano Pontifice* in omnibus, item *infallibilitatem & immunitatem Ecclesiæ ab omnibus omninò erroribus*, hæc tantum abest ut, *propria Ecclesiæ* agnoscamus, ut negemus etiam *Ecclesiæ competere*, quum nec *dependentia illa* in Script. ullum habeat fundamentum, nec *infallibilitatis* istius proferre possint aliquod privilegium. *Aliæ notæ*, quæ adferuntur, itidem tales sunt, ut vel non sint *veræ*, vel certè saltim

Notæ an debeãt esse rei propriæ opinione hominum?

sint

sint *veræ*, vel certè saltim sint *cõmunes & impropriæ*, nec *necessariæ* vel *verisimiles* tantum, nostro quidem judicio, quæ proinde non erunt verè notæ vi *hypotheseos Bellarminianæ*: quum notæ etiam debeant esse notæ opinione hominum. 2. *Notatum â quovis alio discernat*, & ab eodem sit *inseparabilis*. Nam quia κυρίως & *propria* sunt, & necessaria, oportet ea non modò rem notatam â cæteris *distinctè* exhibere, sed & *inseparabiliter* eidem convenire: ut ubicunq; nota est, ibi notatum esse certò *colligatur*. Alioquin *notæ illæ* nequaquam essent *infallibiles*. E quibus concludere licet *notas Ecclesiæ Papisticas* sive *Bellarminianas*, sive *Valentianas*, sive *Pistorianas* &c: pleraſq; esse *notas* vel certè non esse proprias & infallibiles, ut deduximus *disp.* 14. *in Aug. Conf. th.* 9.

Notæ debẽt notatum à quovis alio discernere debẽt & ab eodẽ esse inseparabiles.

Rejiciuntur notæ Ecclesiæ Papisticæ.

VII. Notæ sint notiores notato.

Notæ sint notiores notato.

Sc. ratione *potentiæ cognoscentis*, inferunt inde *Papistæ* notas Ecclesiæ, quas *Orthodoxi* assignant, non esse genuinas notas, quia non sint *notiores* καθ' ἡμᾶς, ratione potentiæ cognoscentis, sed tantum τῇ φύσει, seu *naturâ sua notato*. Verùm

rum distinguendum inter *notitiam conjecturalem* atq; *infallibilem*. Quamvis Ecclesia ipsa καθ' ἡμᾶς sit *notior* quantum ad *conjecturalem notitiam veritate doctrinæ cœlestis*, non tamen eâdem notior est καθ' ἡμᾶς quantum ad *notitiam infallibilem*. Quia *veraEcclesia* nobis *infallibiliter* constare non potest, nisi in quantum cognoscitur ejus *veritas*. *Vera a.* cognosci nequit, nisi *veritas* ejus deprehendatur ê *Scripturis*. Quia non aliter *vera est doctrina* ejusdem, nisi quatenus *Scripturæ* congruit. *Normatum* enim cognoscitur *è normâ*: *Conclusio ê principio*. Proinde cognitio *Ecclesiæ* ut *veræ* non est *sensuum* sed *fidei*. *Fides a. Verbo* Dei *infallibili* nititur. Vid. iterum *disp. modò cit. de his, & aliis hujus generis prolixius*.

Ecclesia notior est nobis veritate cœlesti tãtum probabiliter?

Quâ cognitionem infallibilem notior est veritas cœlestis Ecclesia.

VIII. Signum memorativum est absentium.

Signum memorativum est absentium.

Intellige *absentiam speciei*. Non enim necessariò *absentia ipsius rei* requiritur ad *recordationem*. Ita *clausis oculis* possumus rerum etiam *præsentium* recordari: ut proinde non sit *simpliciter* inconveniens *memoriam* re colere eorum, quæ *præsto sunt realiter*, secus atq; *Cingliani* existimant, *contrâ Cinglianos*

qui *corporis Christi præsentiam realem in Cœnâ* negant, ideò quod *Cœna* celebretur in *ἀνάμνησιν Christi*. Quod argumentum latiùs examinavi in *Stereomate Testam. Chri-*
D. Joh. Bergio oppositio p. 102. seqq.

CAPUT XXVI.

De Imagine & eo, cujus est imago, vel exemplari.

Imago.

I. Imago est id, quod procedit ad similitudinem alterius.

De imagine est agēdum in actu signato

Quod de *imagine* omninò agendum sit in actu signato, puto esse extra omnem dubitationis aleam constitutum. Potest enim *ratio imaginis in abstracto definiri*, & postea *dividi* ut & ex opposito ejusdem, *Exemplari*, declarari, nec ōn in *affectionibus* suis cognosci, ut jam jam constabit ex ipsâ tractatione. Absurdum a. est *aliquid sciri posse, & ad nullam scientiam referri debere*. Ad hæc sine istâ cognitione imaginis in *actu signato* in *abstractione* non licet accuratè definire imaginē hanc vel illam in *actu exercito*, & in *materiali applicatione* quàm facilimè errari potest. Uti ergò in *disciplinis speculativis* agitur de *imagine in actu exercito*, quomodo *Theologia* agit de

λόγῳ

λόγῳ *substantiali imagine, de imagine Dei in homine, physica de conceptibus mentis; Optica de Imaginum variâ repræsentatione;* ita omninò necessum est, in *actu signato* naturâ imaginis exponere, ut ista cognitio tâtò sit certior: idq; in *primâ Philosophiâ 1. ob termini cõmunitatem, & trãscendẽtiã.* Nam *terminus imaginis* est *notio prima & realis communis, transcendens prædicamenta,* quãdoquidẽ etiam imago detur *increata;* & proinde imago abstrahat â *creato & increato. 2. ob Entis denominationẽ reciprocã:* quia imago cum exemplari denominant Ens reciprocè. Ut quicquid est, imago sit vel exemplar: & vice versâ: Omnis imago & omne exẽplar sit Ens. *3.* Ob *principiorũ convenientiã;* quia imago nõ tantũ convenientiam habet cum *signo* eximiam, sed etiam *principia,* quæ de imagine tradũtur, ita compatata sunt, ut omninò in *theoriæ transcendẽtali* locum sibi vendicẽt. *4.* deniq; ob *disciplinarũ inferiorũ dependentiã.* Nam quum in nulla *disciplina speciali* ratio imaginis exponi possit in *abstracto,* & nihilosecius in ijsdem occurrat terminus iste nõ semel, requirere utiq; & jure quodã suo postulare videtur *disciplinæ inferiores*

& quidem in Metaphysica.

Nominalis considerationis imaginis.

1. Etymon.

2. Homonymia in sacris

à *Metaphysica*, ut sibi hanc sumat provinciam, imaginem *in abstracto* considerandi. Esto ergò 1. ὀνοματῳδης evolutio. 1. *Imago* dicitur quasi *imitago*, quia *fit* ratione *exẽplaris* seu *prototypi* sui. *Biel. 1. sent. dist. 3. q. 9.* 2. *In sacris* diversas habet significationes, ita tamen, ut pleræq; in genere concurrant, ac significent *quandam convenientiam aut similitudinem rerum diversarũ.* Interdum accipitur *intransitivè*, ut *Soncinas* loquitur in *simili*, pro *re ipsâ*, *ut 1. Cor. 15. 49.* imago *hominis terreni & cælestis pro ipsâ re & essentiâ.* Ejusmodi locutiones sunt, quum *esse in formâ Dei aut formâ servi Phil. 2. 6. 7.* est *verè existere Deum aut hominem*: *apparere signum filij hominis* est *ipsummet Filiũ hominis apparere. Matth. 24. 30.* explicante *Flacio in Clave.* Quomodo etiam *circumsionis signum* dicitur *ipsa circumcisio Rom. 4. v. 11* Nonnunquam verò *transitivè*; idq; vel *substantialiter* vel *accidentaliter.* Quanquam n. *Latinis* ex sermonis natura videatur tantum notare umbratilem quandam picturam, & quod saltim qualicunq; specie repræsentet rem ipsam, denotat tamen *Ebræis* etiam *veram ac realem existentiam seu rei ipsius formam, ac vivam essentialemq; expressionem,*

nem. Ita quoq; accipitur necessariò *essentialiter Ebr. 10. 1. & alibi* ut prolixè ostenditur *Flacius.* Breviter; cum *substantialiter* usurpatur, vel *propriè* accipitur, vel *impropriè. Propriè*, ut quum tribuitur λόγῳ *Filio Dei 2. Cor. 4. 4. Ebr. 1. 2.* Homini, qui *creatus ad* imaginem *DEI Gen. 1. 26. 3. Filiis respectu parentum* in generationibus humanis, *Gen. 5. 3. 4. homini renato* propter dona supernaturalia. *1. Cor. 15. 50. Impropriè* quum notat *vicarium* alicujus, quomodo *vir* dicitur *imago DEI 1. Cor. 11. 7.* quia quasi vice ejus mundo præest. *Accidentaliter* accipitur pro umbratili quadam rerum specie, idq; vel *propriè*, ut quum *visibiles imagines* notat. *Rom. 1. 23.* vel *figuratè*, quum *evanidam rerum conditionem* notat *Ps. 39. 7. 1. Cor. 7. 31.* In *Philosophiâ & usu communi* vox *imaginis* occurrit *primò* pro *statuis, picturis* vel *sculpturis. 2.* pro *vivis simulacris, 3.* pro *re inconstante & evanidâ 4.* pro *signis rerum* in *sensu* vel *intellectu*, quomodo *imagines* dicuntur *species sensiles, & intelligibiles, 5.* pro eo, ad quod & secundum quod fiunt imagines. Notat enim *Goclenius Lex. Phil. p. 215.* quod *imago vel sit id, ad quod vel ad cujus exemplum aliud fit, vel est*: vel *id, quod ad aliud,* *in Philosophia*

seu secundum aliud fit. Sic rectè Thomas p. 1. q. 37. art. 1. advertit: *quod imago* propriè *dicatur, quod procedit ad similitudinem alterius, id autem à quo procedit., dicatur* propriè *exemplar, impropriè verò imago.* 3. *Cognata imaginis sunt similitudo, signum, vestigium. Similitudo* (quæ ab Ebr. *Maschal* transpositis literis descendere videtur *modo* notat id, quod alicui simile est. 1. Cor. 14. 7. Dan. 10. 16. Os. 12. 10. *modo* idem, quod imago, forma aut species alicujus rei. 1. Sam. 16. 5. Deut. 4. 15. 16. 2. Reg. 16. 10 *modo* idem, quod exēplar & idea, vel ad quod formatur imago, ut Ex. 25. 9. *modò* ipsā rerū convenientiā, quæ ad rationem imaginis requiritur. Gen. 1, 27. Dan. 1. 10. Ebr. 4. 15. *modò* rem ipsam Ps. 144. 4. Rom. 5. 14. C. 8. 3. &c. Distinguitur verò *imago à similitudine* propriè loquendo ita *ut imago sit* quod procedit ad similitudinē alteri: *similitudo* verò sit conveniētia rerum diversarum: & quidem in *imagine* correspōdentia imaginis & ejus cujo est imago. Omnis ergò *imago* infert quandā *similitudinem* ſ. convenientiam, putà cum exemplari, non verò *omnis similitudo* statim importat rationem imaginis, nisi sit *specialiter* similitudo *exemplaris, quà talis*:

3. *Cognata imaginis* — *Similitudo*

Dist. imaginis & similitudinis

Nam

Nam ratio *similitudinis* absolvitur in *convenientiâ duorum vel plurium.* *Imago* autē porrò requirit, ut sit aliūde expressa tanquam ab exemplari. Unde *ovum ovo* dicimus *simile.* At *ovum* nō dicim⁹ *imaginem* alterius *ovi Signū* in eò convenit cum *imagine*, quod uti *signū repræsentat signatum*, ita imago *repræsentet* exemplar ratione sui, quantum ad convenientiam & *proportionem*, quæ datur inter *signum* & *signatum*, ut & inter *imaginem* & *imaginatū*: non verò ratione *nostri*, & quantū ad *cognoscentem potentiam*, & *specialem repræsentationis rationem*, ut quemadmodum *signum* non tantùm dicit *relationem* ad *signatum*, sed & importat *relationē ad potētiam cognoscentē*, cui repræsentat *signatum*, ita *quoq; imago* non saltim dicat respectū *convenientiæ* cum *imaginato*, sed & *relationem* insuper ad *sensum* vel *intellectum*. Nam ista *relatio* non videtur importari in *formali ratione imaginis*, ut *jamjam* constabit. *Multa* quidem *signa* sunt *imagines*, ut *conceptus rerum* dicuntur *earundem imagines*, aliaq; *signa formalia* &c. sed & dātur *imagines*, quæ non sint *signa*; *& signa*, quæ non sint *imagines*. Ita *Filius* dicitur *imago Patris sui*, non *signum*. *Iris* est

Signum & imago conveniunt.

An imago dicat respectum ad potentiam cognoscentem?

Signa quædam non sunt imagines, & vice versa.

gratiæ, *mappa signum instantiæ prandij vel Cænæ*, non *imago*. &c: Adhæc non omnis *imago* dicit respectum ad *potentiam cognoscentem*, & proinde *nec imago quâ talis* hûc respectum involvit *formaliter*, sed *quædam* saltim *imago* eandem importat *materialiter*, quâ *signum est*, vel *aliâ ratione*. *Lumen est imago lucis*, nec tamen dicit propterea respectum vel ad intellectum vel ad sensum. In divinis *Filius est imago Patris; at in quantum imago* est non repræsentat Patrem potentiæ cognoscitivæ. Quâquam enim *qui videt Filium, videat & Patrem*, non tamen *Filius in quantum est imago* κατ' ἡμᾶς repræsentat *Patrem*: sed quâ est ὁμοούσιος *Patri*, nisi ita velis dici *Filium imaginem Patris*, ut vox *imaginis* notet id quod est *repræsentativum alterius*, quomodo Flacius accipit: quo pacto non refragabor. *Vestigium* describitur *imperfecta similitudo imperfectè ducens in cognitionem ejus cujus est similitudo* Thomas 1. dist. 3. q. 3. Datur ergô in vestigio quædam *convenientia* cum eo, *cujus est vestigium* & quidam *defectus*, *imperfecta sc. & obscura* ejusdem *notificatio*. Quomodo in omnibus *creaturis* dicuntur quædam conspici *vestigia bonitatis, potentiæ ac sapientiæ divinæ & notitiæ*

Vestigium quid?

titiæ naturales vocantur vestigia quædam imaginis divinæ. Distinguitur a. vestigium ab imagine hâc ratione: Imago repræsentat manifestè id, cujus est imago vestigium repræsentat obscurè id cujus est vestigium, Biel. 1. sent. dist. 3. q 9. Remotiores similitudines creaturæ ad Deum dicuntur vestigium, propinquiores v. imago. Inde homo dicitur secundum aliud esse Dei imago; secundum aliud vestigium Dei. Imago essentiæ divinæ, ejus sapientiæ, bonitatis &c: Vestigium Trinitatis SS. in quantum tres habet facultates, rationalem, sensitivam & vegetativam. Addunt Scholastici dari in homine etiam imaginem quandam SS. Trinitatis, in quantum & est, & se esse novit, & esse ac nosse suum diligit. Augustinus ita l. 4. de Trin. c. 8. Ecce mens meminit sui, intelligit se, diligit se, hoc si cernimus, Trinitatem cernimus, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Sed ad rem. Quocirca ut succedat πεαγματωδης imaginis evolutio repeto descriptionem Thomæ: Imago est id, quod procedit ad similitudinem alterius, quæ duo innuit imaginis requisita, 1. Similitudinem & conventientiam cum alio 2. Originem & dependentiam latè accipiendo terminū dependentiæ, ut explicat Leuchettus l. 1. dist. 3. q 9. in

Vestigium ab imagine distinguitur?

Vestigium & imago Trinitatis.

Realis consideratio.

Requisita imaginis diu

Quomodo detur dependentia in imagine,

q.9. in comment. ad Scot. In omni imagine, inquiens, requiritur, ut imago imitetur imaginatum, imitatio a. dicit dependentiã essentialẽ ad imaginatum vel causati ad causam vel mensurati ad mensuram, vel ut participati ad imparticipatum. Conf. Ægid. l. d. 4. q. 2. & 2. & Durandus ibid. q. 1. Thomæ l. 1. sent. dist. 28. ita hâc de re loquitur. Si imago propriè accipiatur; nomine illo duo intelliguntur, imitabilitas, & id, secundũ quod fit imitatio, hoc a. secundum quod est imitatio, est commune, utriq; sc: imagini, & imaginato. Similitudo requiritur quia imaginis est repræsẽtare rem cujꝰ est imago. Hoc a. sine similitudine fieri nequit, Additur a. origo vel processio imaginis ab imaginato, quia sine hâc nõ est imago expressa ab exemplari suo adeoq; non est imago. Nuda ergò similitudo non sufficit: quum multa sibi sint similia, quæ tamen non sunt sibi invicem imagines. Creaturæ irrationales sunt Deo aliquâ ratione similes, nec tamen ejus imago sunt. Homo sæpè est homini similis quoad lineamentum & temperamentũ, nõ tamen est ejusdem imago; nisi abusivè ita dicatur. At pictura dicitur hominis figura & imago propriè, quæ similitudine eum refert, & ad eum refertur tanquã ad id, unde repræsentationis ergò est expressiõ. Hisce duo-

Multa sibi sũt similia, quæ non sunt imagines.

duobus requisitis *duo* alia includuntur: *similitudo* importat *adæquationē proportionis origo ordinem.* Unde in universum solent ab alijs 4. *imaginis* requisita enumerari: 1. *Similitudo* 2. *proportio.* 3. *expressum & proximum speciei signum.* 4. *Ordo.* Notandum a. quod termini *expressionis, productionis, dependentiæ* ita debeant explicari, ut nullam inferant *imperfectionē*, quandoquidē *imago* quoq; in *divinis* detur *expers omnis imbecillitatis. Scholastici* id pensi habentes inter alia quoq; distinguunt τό esse *imaginem alicujus, & τό esse ad imaginē alicujus*: quod *hoc* videatur importare quādā imperfectionē illud a. immune sit ab omni imperfectione: quippe quod præscindat ab *Ente creato & increato.* Dicunt proinde *imaginem informali* nullā importare imperfectionem: at cum imago quā *materialem varietatem* alia sit *perfecta*, quæ est *ejusdē naturæ* cū imaginato, alia *imperfecta*, quæ est *alterius naturæ*, ideò ad *imperfectionē hujus* designādā, asserūt eā nō tantum *imaginem* esse, sed & *ad imaginem.* Quomodo *homo* est *DEI imago & ad DEI imaginem. Filius a. Dei est imago Patris, non v. ad imaginem ejus*, quū sit ejusdem naturæ cū Patre, ut imago perfectissima. Vid.

Aliorum 4. requisita imaginis

Termini ex pressionis productionis dependentiæ pur gari debēt ab imperfectione.

Dist: τό esse imaginem, & esse ad imaginem

Imago informali nullam involvit imperfectionem

Thomas

Datur perfecta imago quæ sit ad imaginem.

Thomas l. 2. dist. 16. q. 1. & p. 1. sum. q. 35. Verum non videntur hæc usq; adeò accuratè distingui. Nam datur etiam *perfecta imago* (quæ ejusdem est essentiæ cum imaginato) quâ de tamen dicitur, quod sit *ad imaginem alterius*. Quomodo *Filius in humanis* respectu *Patris est imago perfecta*; at nihilsecius *phrasi scripturæ* dicitur esse *ad imaginem Patris Gen. 5. 3.* Rectius diceretur *ad imaginē* alicujus esse productum, notare *essentialem distinctionem imaginis & imaginati*, quam non importat *τὸ esse imaginem*: ideoq; hæc nullam imperfectionem subineferat, quæ tamen in eo inferatur, quod est ad imaginem alterius. Vnde *Filius DEI* dicatur quidem *imago DEI Patris*, at quia est *ejusdem essentiæ numero cum Patre* non debeat dici *ad imaginem Patris genitus*. Cæterum *imago* non uno modo distinguitur. *Primò* ratione *requisitorum* & *magis formaliter*; & quidem quantum ad *prius* requisitum similitudinem dupliciter. 1. In *imaginem perfectam* & *imperfectam*: quo de *jam jam* quædam dixi. Ad *perfectam imaginem* requiritur, ut *sit rei, ad quam exprimitur, species indifferens*, vel *rei ad rem coæquandam unita & indiscreta similitudo*; quæ proinde

Filius DEI est imago Patris, non ad imaginē Patris.

Imago distinguitur formaliter ratione similitudinis

Perfecta imago

dici-

dicitur ad *convertentiam*. In *imperfecta* verò *imagine* datur *æqualitas* non per cõ *mensurationem* sed per *proportionem*. *Vid. Thom. l. 2. sent. dist. 16.* Alijs *perfecta imago* est, quæ suum πρωτότυπον exactè refert, quantum ad speciem & signum speciei. Sic *imago hominis* cujusdam est in *suo filio*, qui ipsum in *humanâ specie & figurâ* imitatur. *Imperfectum* definiunt, quæ suum πρωτότυπον refert quoad *signum*: nõ quoad *speciei veritatem*. Sic *imago hominis est in statuâ lapideâ vel argenteâ. 2. Castanæus* distinct: *tria* constituit imaginis *genera*. *Primò* est imago *æqualitatis*, plenissimè habens qnicquid habet exemplar. Sic *Filius est imago Patris æterni*. *Secundo imitationis*, sic *homo* factus est per creationem ad *imaginem DEI*. *3. repræsentationis*, sic *mundus* dicitur speculum creationis, in quo illum creaturæ velut architectum in opere, & causam in effectu speculentur. Hujus *loci* quoq; est *distinctio similitudinis* tradita â *Bonaventurâ l. 2. sentent. dist. 16. art. 1. q. 1.* quod sit per *convenientiam omnimodam in natura*, uti *una persona Trinitatis* dicitur *alteri simili*. *2. per participationem universalis alicujus naturæ*. Sic *homo & bruta* assimulantur, in

Imperfecta

Alia explicatio

Imago æqualitatis

imitationis

repræsentationis

Similitudinis distinctio.

in animali. 3. secundum proportionabilitatem, sic ut nauta & auriga conveniunt juxta comparationem ad illa quæ regunt 4. per ordinis convenientiam sicut imago assimilatur exemplari; Vbi addit: Primo & secundo modo nulla creatura DEO fit similis, tertio & quarto omnis assimilatur &c: illa quæ assimilatur imagini, de longinquo habet rationem vestigij, illa v. quæ de proximo habet rationem imaginis, ut homo. 3. Imago est vel φυσικὴ essentialis & completa, quæ infert similitudinem in essendo, seu perfectione quidditativâ: idq; vel καθ' ὁμοουσίαν, quâ ratione Filius Dei dicitur imago Patris, vel καθ' ὁμοιουσίαν quomodo filius hominis dicitur imago sui patris; vel μιμητικὴ accidentalis & incompleta, quæ infert similitudinem in referendo seu repræsentando tantùm: vel in ratione repræsentativâ. quomodo homo dicitur DEVM referre ad quali similitudine, non exæquare parilitate. Quantum ad posterius requisitum, processionem, imago est per æternam generationem ut Filius DEI, 2. per creationem, ut imago Dei in protoplastis, 3. per naturalem propagationem, ut in Setho imago Adami per peccatũ fœdita. 4. per artificiosã productionem,

imago essentialis

accidentalis

Ratione processionis imago per æternam generationẽ per creationem per propagationem per artific: productionem

ut sũt pictæ vel sculptæ imagines 3. *per intentionalem operationem*, ut imagines rerum in mente seu conceptu, ad quas itidẽ requiritur convenientia, & dependentia quædam. Deinde ratione *subjectorũ & materialiter* dispescitur imago 1. in Substantialem & Accidentalẽ, quæ distinctio *dupliciter* intelligitur, vel ut imago alia sit substantia, alia accidens, quum etiã dẽtur accidentia, quæ sint imagines, ut *species sensibiles in organis sensuum, conceptus in intellectu, lumen in aëre*, *vel* ut imago dicat convenientiam quandam in *Substãtia*, quandam in *accidente*, & *istud quidem*, quum imago & imaginatum sunt ejusdẽ naturæ vel essentiæ quomodo eadẽ est essentia Filij hominis, & Patris, vel *numericæ*, quomodo eadẽ est essentia Filij Dei & Patris; hoc verò vel in *quãtitate cũ qualitate* cõjũcta vel *in qualitate sulâ Ibi* notatur quantitatis situs, constitutio, & figura externa, sicuti *picturæ* & *colossi* vocantur imagines virorum illustrium: *hic* convenientia qualitatis unius aut duarũ aut triũ specierũ, *ut* cũ quis similitudine naturalis indolis, vel imitatione virtutum vitiorumq; dicitur imago alterius. 2. *Corporeã & incorporeã vel materialẽ & immaterialẽ.*

per distinct operat.

Materialiter

Imago alia est Substantialis alia accidentalis

Explicant. dupliciter

Imago corporea incorporea.

Nam

æterna tẽporalis

Nam *conceptus sunt imagines rerum in intellectu immateriales, species item sensiles in sensibus. 3. in æternam & in tempore productam,* quæ ex *antegressis* constat.

Exemplar

II. Exemplar est id, â quo aliquid exprimitur, quod cum eodem similitudinem habeat.

Requisita exemplaris

Id â quo est imago dicitur *exemplar, idea, forma* ἀρχέτυπον & παραδειγμα, barbarè *imaginatum.* Suntq; ejus itidem *duo requisita. 1. Expressio imaginis 2. Convenientia cum imagine expressâ. August. 12. de civit. Dei c. 25.* definitur *exemplar formamentiu secundum quam agens per intellectum agit vel quam agens per intellectum imitatur,* alij *formam imitabilem ab agente intellectuali. Conimbricens. l. 2. phys. c. 7. q. 4.* dicitur esse *forma quædam externa,* sed valdè ἀκύρως. *Formalis n. causa externa* est oppositum in oppositio. Potest nihilominus dici forma *ratione rei exemplatæ,* ut ita loquar, non quia respectu hujus formalem causalitatem exerceat, sed quia hujus imago fit. Nam imagines rerum solent dici rerum formæ. Vid. *Svaretz in Met. disp. 25. s. 2. n. 15.* & alij Metaphysici, qui de Exemplari prolixius agunt:

An exemplar sit forma externa?

Πορίσ-

Ποεήσματα.

I. Omnis imago est similis exemplari.

Omnis imago similis est exemplari

Includitur enim similitudo in formali conceptu imaginis. Intelligenda a. est similitudo *laxè* vel ratione attributorum. Inde non licet cum *Anthropomorphitis* inferre; quum homo sit imago Dei, quod Deus sit corporeus: vel cum *Eugubino in Cosmopœia: & Oleastro in Gen. c. 1.* somniare quod Deus humanam assumserit formam in hominis creatione; quia fit processus à non distributo ad distributum: ab imagine & similitudine ad similitudinem in substantia. Usus quoq; *parœmatis* esse potest contra *Pontificios*, qui ineptissimè fingunt imagines, in quibus nulla planè est cum ἀρχετύπῳ quod repræsentare debeant, similitudo; ut a. in omni typo (qui propriè est imago quædam præfigurativa & repræsentativa sui antitypi) requiritur aliquid quod sit causa cur aliquid sit typus, repræsentatio sc. antitypi, adeoq; convenitia cum eodem, ita non requiritur ad *typũ qua talem, vel identtias specifica antitypi*,

Non omnis imago infert similitudinẽ in substantia.

Contrà Anthropomorphitas

Notantur Pontificiorum imagines.

Typus quid.

Ad typum non requiritur omnimoda convenientia antitypi.

vel omnimoda convenientia in modo ac circumstantiis. Nam potest typus præfigurare rem, ut tamen non sit ejusdem essentiæ cum re, & ut ratione plurium detur disconvenientia typi & antitypi. Non est necesse, ut id quod adumbratur, ipsummet reperiatur in typo, sufficit, si simile. Potest ergò aliquid esse in *antitypo propriè, & universalius atq; latius*, quod est in typo impropriè, & particularius & angustius &c. *v. c. Jonas in ventre piscis est typus Christi in ventre terræ vel sepulchro, licet ille non jacuerit mortuus in ventre piscis, uti hic mortuus jacuit in sepulchro.* Sufficit a. ut *sit aliquid in Jonâ simile Christo mortuo.* Unde nulla est collectio *Socini in l. de Serv. p. 143.* quum concludit. *quoniam per sacrificia V. T. divinæ justitiæ planè non fuit satisfactum, ea Christi satisfactionem non præfigurasse, quum omnis figura & typus ut imago veritate respondere debeat.* Nam uti non est necessum ad rationem typi, ut quod est in antitypo, idem in sese teneat typus propriè & eodē modo, quo est in antitypo, ita quoq; nō est necesse, ut satisfactio justitiæ divinæ præstita inveniatur

Contrà Socinum.

tur in typo vel in sacrificijs, quæ satisfactionem Christi adumbrare dicuntur: satis est: si alioquin detur convenientia, in quâ ratio typi salvetur. Quanquam etiam *Theologi* demonstrent, falsum esse, quod dicitur, *justitiæ divinæ planè non fuisse satisfactum per sacrificia.* Nam licet sacrificia V. T. non satisfecerint justitiæ ἀυτοενεργητικῶς *ex & sese suâ virtute*, tamen satisfecere ὑποτικῶς & *exemplariter; virtute unius sacrificij ab origine mundi mactati.*

II. Omnis imago est aliunde expressa.

Omnis imago est aliunde expressa.

Scilicet ab *archetypo*, ideoq; & *archetypum exprimit seu repræsentat.* Nam ut verè definit *Justinus Martyr in quæst. & resp. ad Græc.* εἰκών ἐστιν ἧς ἡ γένεσις διὰ μιμήσεως. Quod *præter Festum* latinis verbis sic effert *Andreas Placus in Lex: Bibl. super Psalm. 72. Imago propriè dicitur, cujus generatio est per imitationem*; sicut Filius imago dicitur Patris. *Thomas print. quæst. 35. art. 2. ex August. de ratione imaginis est similitudo cum expressione.* Quum ergò imago de se

Imago quæ Justino

Festum

nihil inferat, quam expressionem ab exemplari, ejusdemq; repræsentationem, utiq; *imagines sculptæ vel pictæ, qua imagines, non erunt culpabiles*, æquè ac *conceptus* vel imagines rerum in animo culpabiles non sunt: quia ut *hùce* promovetur & fit rerum apprehensio & cognitio, ita istis quoq; eadem juvatur quadantenus, dum repræsentant προωλόπτυπον.

Quicquid expressum est aliunde per similitudinem, imago est.

III. Quicquid expressum, est aliunde per similitudinem, imago est.

Nam â *definitione & requisitis essentialibus* rectè concludo *ad definitum*, non attendendo sive adsint sive absint, quæ nec definitioni includuntur, nec requisitis essentialibus continentur. Quocirca *imago* esse potest res quæcunq; sive *materialis* sit, sive *immaterialis*. *visibilis* vel *invisibilis*, & vel *naturæ intellectualis*, vel *ejus, quæ expers intellectus*: Quia *visibilitas est accidentalis imago*: *& imaginis ratio salvari quoq; potest in natura intellectuali*. Nam ratio imaginis absolvitur *similitudine*, & *origine*: Hæc a. competere possunt etiam ijs quæ sunt *invisibilia*, ut & quæ sunt *naturæ intellectualis*. Nam nec *visibilitas*

Invisibilitas & intelligentia est contrà rationem imaginis

tas nec intelligentia repugnat vel convenientiæ seu similitudini, vel expressioni ab exēplari. Conceptus sunt imagines rerum in animo, species sensibiles in sensibus. Conceptus a. & species sensiles non sunt visibiles, unde *Statorius* perperam negavit, Christum secundum Deitatem esse imaginem: quia visibilis non sit. Quin & antea vidimus; de ratione imaginis non esse relationem ad potentiam cognoscentem, sed imaginem ut sit, esse alterius imaginem: Quod v. imago ejusdem quoq; sit respectum aliorum, qui per imaginem exemplar cognoscunt, hoc per accidens esse ad imaginem, quâ talem. Similiter animæ humanæ, angeli sunt intelligentes, & nihilominus sunt imago Dei, sicut etiam homo imago Dei: dicitur ut ut istud neget *Smalcius*, sed absq; ratione. Quod v. *Goslavius* infert in refut. Keckerm. p. 1. C. 1. p. 3. Si imago sit intelligens fore imaginis imaginem quod absurdum ob processum in infinitum; id nobis haud videtur absurdum, ut nihil jam de consequentia dicam. Nam quidni posset id, quod unius ratione imago est, alterius ratione exemplar esse, ab uno expressum esse, ut ab exemplari, & nihilominus ratione alterius esse exemplar, à quo idem exprimatur. Ani-

Imagines invisibiles.

imago vel absoluta est vel respectiva aliorum est imago.

imago intelligens.

Contrà Goslavium

Imaginis imago.

ma est imago DEI, & animæ datur imago in intellectu, Homo est imago DEI & hominis datur imago in pictura; nec verò metuendus processus in infinitum; quia non universaliter omnis imaginis est imago, sed particulariter cujusdam. Sic & signi datur signum, causæ causa absq; processu in infinitum; Rerum signa sunt conceptus, conceptuum voces, vocum scriptura &c. Vid: Dn. Kesler. p. 1. Met. Phot. s. 3. pr. 14.

Imago non est exĕplar 15. 16.

IV. Imago non est exemplar.

Dupliciter hoc intelligi potest, vel in sensu composito & formaliter, vel in sensu diviso & materialiter. In sensu composito hoc modo, ut formale significatum prædicati cum formali subjecti prædicato connectatur, ut imago negetur esse ipsum exemplar. Quomodo verum est imaginem non esse ipsam ideã, cujus imago est. Vnde jure meritoq; redarguũtur Cingliani quãdo in S. Cœnâ verè adesse dicunt ipsum corpus Christi, & nihilominus affirmant corpus Christi non nisi fidei præsens esse, quandoquidem hinc sequatur, quod non adsit verè ipsum corpus Christi, sed tantum imago s. species corporis Christi. Imago autẽ est ipsũ corpo Chri-

in sensu cõposito

Cingliani confundũt imaginem & rem ipsam.

Christi, cujus imago est. Ratio consequentiæ est invicta: quia *quodcunq; objectum corporeum fidei & menti tantum præsens est, id non realiter sed objectivè tantum & intentionaliter* præsens est. Fides est *intellectio* quædam s. notitia. Intellectio a. est receptio speciei in intellectum: quum nō fiat per *emissionem*, quippe quod sit actus internus non externus, sed per *receptionem*, & quidem non rei ipsius extrà mentem existentis, vel etiam longissimè absentis, sed speciei, quæ sibi sola præsens est, objecto maximè absente, fit cognitio. *Sadeel. in volum. op. Theol. f. 278.* agnoscit *res ipsas, quæ externos tantum sensus afficiunt, non pervenire ad mentem nostram, sed tantum earum ὁμοιώματα.* Sit igitur corpus Christi nonnisi menti & fidei præsens, tum etiam non ipsum corpus Christi, sed tantùm ὁμοίωμα corporis Christi nobis præsens erit. In sensu diviso accipiuntur, quum formale significatum prædicati cum subjecti materiali significato cohæret, quod non est absonum, *imaginem vel id quod imago est, esse exēplar*, idq; *dupliciter i. respective* vel pro diverso respectu, ut quod *hujus* ratione est *imago*, *alterius* ratione sit exem-

in sensu diviso

imago potest esse exemplar

exemplar, ut *præced. theorem.* indicavi. 2. *Identicè*: vel, ut *imago & exemplar unius ejusdemq; sint essentiæ numericæ*, idq; non tantum *subjectivè*, quomodo *intellectus, & imago intellectus* (in intellectu reflexo) sunt idem *subjectivè*: sed & *objectivè*; ut in *divinis*: *Filius imago Patris & Pater sunt idem essentialiter*, inficiatur hoc *Crellius l. 1. sect. 2. de V. D. P. c. 20. p. 279. Nulla*, inquiens, *imago ejusdem numero essentiæ est cum eo, cujus est imago, alioquin sui ipsius imago foret. Quare cum Christus imago DEI sit, ejusdem numero substantiæ cum DEO esse non potest, ac porrò nec Deus nempe ille summus, & p. 291. Imago, quâ imago est, numero differt ab eo, cujus est imago, & simile â simili, sunt enim hæc inter se relata, ac porrò opposita. Opposita a. quâ talia minimum numero differre oportet.* Respondemus autem 1. *perversam esse Crellij illationem: Nulla* imago est ejusdem numero essentiæ cum eo cujus est imago, E. nec Filius Dei erit ejusdem numero essentiæ cum Patre in cujus est imago. Quæ concludendi ratio *Socinianis* est perquàm familiaris: ut *pseudotheoremate Metaphysico* infringere conentur *veritatem Scripturæ*; quum *econtrà ex immotâ scripturæ veritate* cor-

An imago possit esse ejusdem essentiæ cum exēplari?

Modus concludēdi Socianus perversissimus.

te corrigenda sint *pseudotheoremata Metaphysica*. Vnde ex adverso ita colligendum. *Scriptura* διαῤῥήδην testatur, Filium Dei & esse imaginem Dei Patris, & eundem cum Deo Patre, Dum summũ. *Ergò* dabitur quædam imago, quæ sit ejusdem essentiæ numero cum eo, cujus est imago: & proinde hoc non poterit, ut ἀπλῶς *universale* principium admitti. Nulla imago est ejusdem essentiæ numero, cum eo, cujus est imago: quandoquidem utut illud *fortè* in *natura* nullam patiatur ἔνστασιν; tamen *instantiâ* ê Scripturâ desumtâ labefactetur, ejusq; universalitas imminuatur. 2. *Falsam esse Crellij suppositionem*: quod *imago, quâ imago est, numero differat ab eo, cujus est imago, & simile à simili*; quodq; ἐπομένως, *nulla ejusdem numero sit essentiæ cum eo cujus est imago, ubi & antecedens & consequens* meritò â nobis negatur; *Antecedens* quidem. Nam *imago* quâ *imago*, importat saltim 1. *Convenientiam*, 2. *Originem*, & *processionem*: Aoneq; *convenientia*, neq; *origo*, quæ est de *ratione formali* imaginis, infert numero *distinctam essentiam imaginis, & exemplaris*. *Consequens* verò: quia illa *universalis* assertio evertitur unico dato *exemplo in cõ-*

Imago ut imago non infert diversam esse tiam ab exemplari.

contrarium: quale est illud, quod nos è *Scripturâ* proferimus, quod *Filius DEI* imago Patris sit ejusdem essentiæ cum Patre. Quod ê locis perspicuis demonstrari potest. 3. Nullam esse *Crellianâ* probationem. Nititur hoc *principio*: quod *imago, & exẽplar sint relata*, adeoq; *opposita*. *Opposita a. quâ talia minimùm numero differant. Atqui non omnia opposita, & relata* differunt numero & essentialiter: Ita *subjectum & Adjunctum, nota notatum, principium, principiatum* &c: relativê sunt opposita, quæ tamen ut talia nõ differũt numero &c. neque id requirit natura oppositorum, ut ê *c. 18. porism. 12.* constat. Deinde ita colligit, si imago & exemplar sunt idem, tum idem sui ipsius imago erit, Resp: Si imago & exemplar sint *idem essentialiter*, ita tamen ut non *idem personaliter* sit is, â quo est imago, cum eo qui est imago, nondum sequitur, eundem sui ipsius imaginem fore. Ita *Filius est imago Patris*, à quò est personaliter distinctus, non verò est *sui ipsius imago*. *Idem* est *Patri* ratione *essentiæ*. *Imago Patris* ratione personæ. Vnde dicitur character personæ Patris.

Imago est nomen personale.

Patris h. e. expressa & perfecta imago. *Augustin. l. 7. de Trinitat. cap. 12. Imago est nomen personale, cum imago non dicatur ad se sed ad aliud.* Nam imago distinguitur ad exemplari, ut tes producta à producente Excipit 1. *Frustrà distingui personam à suâ essentiâ.* Quare si *Filij persona* imago est *personæ Patris*, etiam *essentia Filij* imago erit *essentiæ paternæ*: Resp: omninò distinguendum esse inter personam & essentiam, licet essentia & persona non differant *realiter*. Nam admittunt adhuc contradicentia prædicata, ut *alibi* probatum. Verum est, unumquemq; idem esse cum sua essentiâ, at nondum sequitur personam simpliciter eandem esse cum essentia. Sumitur *persona* vel *abstractè & formaliter* pro *subsistentiâ incommunicabili*, vel concretè & materialiter pro substantia incommunicabiliter subsistente. *Hoc sensu* persona involvit essentiam. *Illo* contradistinguitur *essentiæ* ut *modus rei*. Aliud enim est modus subsistendi incommunicabilis, aliud *res ipsa*, quæ *hoc modo subsistit*. Excipit 2. *fateri nostrates, Filium ratione essentiæ esse Patri similimũ, ac porrò ejus imã.*

Persona & essentia nõ sunt simpliciter idem.

persona abstractè & concretè usurpatur.

An Filij ratione essentiæ sit imago?

imaginem. Resp. Distinguendum est inter *imaginis fundamentum & correlatum. Imago* dicitur πρός τι, ideoq; supponit *fundamentum* & infert *correlatum.* Id ergò cujus imago dicitur ἀμέσως, est *correlatum*: id propter quod est *fundamentum. Correlatum & exemplar* Filijceu imaginis *est Pater: fundamentum* verò hujus imaginis est *origo Filij á Patre* vel *essentiæ communicatio*, qua velut impressa est Filio imago Patris, quia ἐν ἑαυτῷ ὅλον δεικνύσει τὸν γεννήσαντα *Basil. in c. 1. Joh. totam essentiam Patris in se exprimit. Vtrumq;* ergò verum est: *Filium ratione essentiæ esse imaginem Patris & Filium ratione personæ esse imaginem Patris.* Ratione *essentiæ, ut fundamentum* indicetur *ejusdem essentiæ communicatio*: ratione *personæ, ut correlatum* notetur, cujus ratione imago est ab exemplari distincta, quum Filius repræsentet exactissimè Patrem, quia habet omnia in suâ personâ quæ habet Pater in suâ *Joh. 16. 15. c. 5. 26.* Duo sunt *requisita* imaginis. *Origo & similitudo.* Ratione *originis* distinguitur *imago ab exemplari.* Ratione *similitudinis* convenit *cum exemplari.* Sed non *quælibet similitudo ab altero expressa* proprie loquendo est imago, sed duntaxat illa *similitudo*

Non quælibet expressa similitudo est imago.

do, quæ vel secundum *speciem* vel secundum *proprium accidens* ex altero est expressa vel ut *Thom.* habet *convenientia in specie & essentiâ, aut saltim in eo quod est signum speciei, ut imprimis est figura.* Filius a. rectè dicitur *imago Patris*, quia ibi est *expressa similitudo secundum speciem.* Et quum *in divinis filius* sit *expressa similitudo* non tantum *secundum speciem*, sed etiam *secundum eandem numero essentiam*, omnium perfectissimo modo dicitur imago Patris.

Filius DEI modo perfectissimo dicitur imago Patris.

VII. Vestigium repræsentat solam causalitatem causæ, quod sit, imago etiam formam causæ.

Vestigium & imago quomodo differant.

Ita *Thomas l. 1. dist. 3. q. 2.* inde colligit *q. 45. art. 6. in creaturis rationalibus, in quib° est intellect9 & voluntas invenitur repræsētatio Trinitatis, per modum imaginis, in quārum invenitur in eis verbum conceptum & amor procedens, sed in creaturis omnibus invenitur repræsentatio Trinitatis, per modum vestigij in quantum in quâlibet creaturâ inveniuntur, quæ necesse est in tres personas reducere, sicut in causam*, Confer hic *Cl. Theolog. Dn. D. Gerh. Ex. T. 1. p. 937.*

CAPVT

CAPUT XXVII. & Ultimum.

De Mensura & Mensurato.

Mensura.

I. Mensura est, quâ mensuratum cognoscitur.

Μέτρον ἐστι ᾧ πόσον γινώσκεται 10. Metaph: *Quantum* a. intelligo *præcisè* quâ abstrahit *â quantitate molis, extensivâ & prædicamentali*, & â *quantitate virtutis intensivâ & perfectionali.* Sumitur autem *mensura* vel *activè* pro eo, quod mensurat â quo denominatur *ὁ mensurans*, vel *passivè*, quod mensuratur, unde ab ea denominatur *ὁ mensurabile* vel *mensuratum.* Ita tempus dicitur *mensura motus*, id est: *id, quod mensurabile est* vel *numeratum motu. Dein* mensura dicitur vel *negativè* quomodo *Deus est mensura sui ipsius*, non quod seipsũ mẽsuret, sed quod nihil aliud sit, quo mensuretur; quanquã fortè nec *illud* absurdè dicatur: vel *positivè* quô Ens denominatur mensurans activè. Appellatur & *norma, quæ vox origine græca est cujus linguæ vestigia etiamnum refert* ut ait *Isidor. l. 19. c. 18.* quasi γνώσισμα eò, quod faciat aliquid cognoscere; & primâ

Mensura activè

passivè

Negativè

positivè

Norma unde:

quid significet?

mâ impositione notat *instrumentũ cognoscẽdorum angulorũ*, & in *genere* instrumentũ mensurandæ quãtitatis, ut sub se complectatur *lineam, perpendiculum & gnomonẽ*, quæ *aliàs* in *speciali significatu* distinguuntur; Ita *Vitruvius l. 7. c. 3. Longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur.* Deinde ob ἀναλογίαν translata est *ad leges*, quæ *norma vitæ* dictæ sunt; *& ad disciplinarũ principia*, quæ *norma dogmatum* sunt & ad *Theologiæ principiũ Scripturã*, quæ *norma credendorum & agẽdorum* salutatur. Pulchra hæc est trãslatio. *Ecclesia est ædificium mysticum*, cujus *lapis angularis* Christus, *architecti* sunt Doctores, qui *normâ quâdam* indigent, secundum quam domũ spiritualem erigãt, omnẽq; doctrinam examinent. Hinc *generatim* norma est id, ad quod aliud examinatur sufficiẽter, & quod mẽsurat aliud, cujo est norma. Deniq; *regula* dicitur, quò nomine *primùm instrumentum architectonicum* denotatur *lõgitudines mẽsurãdi, vel linea ad. hibita in fabricãdo*, sed *cõtrario sensu Thren: 2. 8. Es. 34. 11.* designatur *linea quâ Deus metitur civitates & terras ad vastãdũ eas, ut q. delineata sit forma vastationis. Post Metaphoricè*

Quomodo Script: dicatur norma?

Regula?

Ambiguitas vocis

signi-

significatur *norma doctrinæ & pie agendi Phil. 3. 16.* tandèm *generaliter, ad quam aliud exigitur, atq; examinatur.* Varino definitur *Regula h. m.* κανόν ἐστι μέτρον ἀδιάψευστον πάσων προθέσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον *Norma vel Regula est mensura infallibilis nullam additionem vel detractionem admittens.* *Requisita* normæ vel mensuræ sunt 1. Mensura sit *notior* mensurato. Debet enim notificare quãtitatem mensurati. Id 2. quod in alterius cognitionem nos deducit, ut tale, notius est eo, in cujus cognitionem nos deducit 2. Sit *homogenea* mensurato *10. Metaphys: 2.* Intellige τὸ homogeneum de *quavis proportione & convenientiâ.* Aliàs *DEUS* nullius rei mensura esset, & tempus non foret mensura rerum. *Illud* quippe est successivum; *hæ v:* sunt permamentes *3.* Sit *infallibilis & certò mensuret.* Qualis enim norma, tale & normatum est. Si ergò certitudo normati exactè constare debeat, oportet normam certam esse & infallibilem. 4. Sit *una & indivisibilis*, ita ut illi nihil addi nihil demi possit, scilicet sub *ratione mensuræ.* Alias *si ut quanta* consideretur, nec additionem nec detractionem excludit. Ita de *ulna* auferri

Definitio Regulæ

Requisita normæ

ferri quidem aliquid potest, ut est *quanta*, sed non uti est *mensura hæc*, si enim aliquid dematur, non erit *vera ulna*, sed *adulterina*. *Variè* autem distinguitur *mensura*. *Christianus Matthiæ* in *exerc. Metaph.* mensuram facit *sextuplicem*, 1. *perfectionis*, à quâ dependent imperfecta, quomodo DEUS creaturarū norma dicitur, 2. *directionis*, ut cum unum dependet ab alio relativè & imitativè, quomodo mensura directionis ratione pictoris est exemplar, ad quod exprimit imaginem, 3. *applicationis*, quâ mensuratur rei continuitas, dicitur aliàs mensura excedens ut est ulna ratione panni 4. *repetitionis*, ut unitas numeri, 5. *durationis*, ut tempus motus mensura est 6. *cognitionis*, quæ vel primaria à *priori*, vel secundaria à *posteriori*. Nos *geminam* proponimus divisionem. *Primò* mensura est vel *quantitatis*, vel *perfectionis* aut qualitatis, vel *cognitionis*. *Illa* est quæ mensurat & notificat quantitatem propriè dictam; & vel *adæquationis*, quum mensura ut mensuratum exactè conveniunt in quantitate ut mensuratum non excedat; vel *repetitionis* quæ in adæquata est, & mensurat per repetitionē *Ista* est juxta quam de perfectione vel virtute alterius

Distinctio Mensuræ

Mensura quantitatis

adæquationis

repetitionis

Perfectionis

alterius judicamus, Ita *mensuram perfectionis* assumit *intellectus* & per *approximationem* aut *recessum* ad aliud vel ab alio, judicat de *majori* aut *minori perfectione* quomodo *DEVS* est *mensura perfectionis* ideò, quod per ejus approximationem res cæteræ judicentur perfectæ, per *recessum* ab eodem imperfectæ, non quidem quod nonnullæ propius accedant ad DEI essentiam & infinitatem, quum omnes in infinitum à DEO distent, adeoq; non ratione *proportionis*: sed quod accedant magis ad *divinas perfectiones* ratione distinctas, adeoq; ratione *attributionis* vel *majoris recessionis ab opposito non Ente*. *Hoc* deniq; est, ad quam cognitio nostra exigitur, quomodo res sunt mensura cognitionis nostræ. *Intellectus noster mensuratur à rebus, non mensurat.* Deinde *Norma* alia est *πολιτικὴ* & *architectonica*, alia *θεωρίας* & *doctrinalis* alia *πράξεως* & *moralis*. *Gnomon* dicitur *norma quantorum*, *principia disciplinarum* norma *docendorum*, leges norma *vivendi* &c:

Mensura cognitionis

Mensuratum quid.

II. Mensuratum est, cujus quãtitas ad mensuram aliquam exigi potest. Rela-

Relata enim ſeſe mutuò definiunt. Et *quot modis* dicitur *unum relatorum, tot modis* dicitur & *alterum.* Ideò nihil addo: *paucissima* tantum noto

Προβλήματα.

I. Quicquid non menſurat normatum, norma non eſt.

Quicquid non menſurat normatum norma nō eſt.

Intelligitur *menſuratio in genere*: ut ſc. *norma talis* eſſe debeat, quo ad normam examinari & exigi poſſint omnia ea, quæ ſunt normanda. Norma ergò non erit, quòd eſt *inſufficiens & anguſtius* reſpectu *normandorum.* Subſumo. *Scriptura S. non continet omnia quæ credi debent, neq; explicitè neq; implicitè* juxta *Pontificios.* Sequitur inde *Concluſio, Scripturam non eſſe normam credendorum,* quod eſt *contra Bellarminum* alioſq; *Pontificios.*

Contra Pontificios.

II. Quicquid normato non eſt notius, norma eſt nequit.

Quicquid normato nō eſt notius, norma eſſe nequit.

Diſt. inter *notius notitiâ confusâ & diſtinctâ.* Nam poteſt res normata confusè notior eſſe ſuâ normâ, at ut diſtinctè cognoſcatur, neceſſum eſt ut ad *normam* exigatur, & examinetur. Oportet ergò normam eſſe *notiorem,* quantum ad *accuratam*

ratam cognitionem: ut sit velut principium deducès nos in cognitionem exacta normati. Colligitur inde quod secundu *Pontificios* iterum *Scriptura* S. nequeat esse *norma credendorum*: quia tantum abest ut eandem velint *notiorem* esse *articulu fidei*, ut potius dicant *obscuram, involutam, tenebricosam, perplexam*, quæ sit instar *nasi cerei, regulæ Lesbiæ &c.*

Norma sit homogenea normato.

III. Norma quæ non est homogenea normato nulla, est.

Objcit ex hoc *Ethnicus quidam Philosophus* apud Augustt. *ad Matth. 7. cap. quâ mensurâ mensi fueritis eâdem commensurabitur vobis*: quod *æternam supplicium non rectè sit commensurabile peccatu*, quum eidem non sit *homogeneum*, vel *proportionatum*, verum præterquam quod in *parabolis* non possint omnia ita rigorosè accipi, certum est dari hic omnino *aliquam proportionem. Peccata* n. sunt *violatio Majestatis æternæ*: ideò justè puniuntur *æterno supplicio*. Vrgemus a rectè hoc principiũ tum adversus *Sotinianos*, tum adversus Romanenses. *Istud*, ut demonstremus, *tempus non esse mensuram æternitatis*, quia nulla datur proportio, nulla ὁμοιότης inter tem-

Tempus nõ est mensura æterni, tatis.

tempus & æternitatem: hoc ut reijciamus mensuras ipsorum *adulterinas* ratione *articulorum* fidei. Sic *Betanus traditiones: Jesuitæ Bavarici in colloq. Ratisb.* præter easdem, *Ecclesiæ definitiones*, nec non *consensum Doctorum orthodoxorum: Gregorius de Valentia* præter ista, *Consensum fidelium: alij* insuper *judicium rationi Philosophico habitu informatæ* constituunt *normas credendorum*: Ineptissimè, Nam ut alia taceam, quæ credenda sint, divina sunt & mysteria fidei. Illa autem omnia humana sunt. *Absurdum* autem est, mysteria divina ad intellectum humanum exigi atq; examinari, cum ne quidem in *vulgaribus & naturalibus intellectus sit norma rerum*, quæ cognoscuntur, *sed res ipsæ sint norma intellectus*. Scilicet *Res ipsæ* prout in *naturæ* repræsentantur, sunt *norma cognitionis*, nostiquā verò *cognitio* nostra vel *opiniones Philosophorum receptæ*, & per *manus q. traditæ, vel constans doctorum sententia, vel suffragia communia sunt norma rerum, & veritatis Philosophicæ*. Sic *Mysteria* prout in *Scriptura* revelantur sunt *norma fidei*: nec inverti id debet: ut *fides Ecclesiæ vel assensus doctorū, aliorūq; fideliū in Ecclesia statuatur norma mysteriorum vel credendorum.*

Notantur Pōtifi normæ adulterinæ.

Norma debet esse certa.

IV. Quod est incertum infallibile, & dubium non potest esse norma.

Dupliciter hoc urgeo contra *Pontificios*. *1. Ad absurdum eosdem adigendo.* Nam subsumo ex mente *Pontificiorum*: *Scriptura sacra est incerta lubrica dubia atq; fallibilis*, *conclusio* emerget ipsis quoq; *Pontificiis absurda E. Scriptura sacra non est norma.* Volunt ea *normam* esse juxta cum *traditionibus non scriptis*. *2. Normas eorundem refellendo. Traditiones* sunt *incertæ dubiæ & fallibiles. Consensus* item *Doctorum dubius est & judicium humanæ rationis non est infallibile*, Ergò neq; *traditiones*, neq; *consensus*, neq; *judicium rationis erunt normæ.*

Omnis norma est additionis & diminutionis expers.

V. Omnis norma est additionis & diminutionis expers.

Sc. in *quantum norma* est. Ita enim est *una indivisibilis*. E. *nec προσθεσιν nec ἀφαιρεσιν* patitur, hinc *Theophylact. in 3. cap. ad Phil. Regula*, inquit, *& amussis neq; appositionē habet, neq; ablationem & Basil. Magn. l. 1. contra Eunom. p. 209.* reprehendit graviter *Eunomium hæreticum* quod fidem Patrum κανονα *regulam* vocet, simulq; dicat προσθήκης ἀνεχεσέρχες δεῖσθαι *additione*

τίνος ἀκριβεστέρου δεῖσθαι τὸν γνώμονα καὶ τὸν κανόνα, ἕως ἂν μηδὲν ἐνδέῃ τῷ κανόνι εἶναι καὶ γνώμονι, δέησιν προσθήκης εἰς ἀκέραιον ἐπιδέχεται, κατὰ δὲ τὸ ἔλλειπον ἡ πρόσθεσις ἁπλῶς δὲ οὐκ ἔχοντος, οὐδὲ τῶν προσηκόντων τούτων ὑγιῶς ἂν ἐπιτυγχάνοιεν. h. e. *Nam Regula & gnomon modo in eo nihil requiratur, quo minus Regulæ sint & gnomon nulla indigent additione, quâ fiant exactiora. Ejus enim est additio, cui deest aliquid. Illa vero si quid ipsis deest, ne omnibus quidem illis congruenter vocentur.* Similiter *Photius* apud *Oecumen. in 3. cap. ad Philipp.* ὥσπερ ἐπὶ τοῦ κανόνος, κἂν προσθῇς ἢ ἀφέλῃς τὸ παν, κἀκεῖ καὶ ἐπὶ τῆς πίστεως. *Quemadmodum si de Canone aliquid abstuleris, vel ei aliquid addideris, corrupisti totum. sic etiã in fide.* Hinc tedargui possunt *Pōtificij* quãdo Scripturã S. ajũt esse *Regulã fidei* partialem tãtum: quãdoquidem contradictoriũ sit, *Regulam dicere, & totalem esse negare, cum Regula non sit, qua totaliter mensuret mensuratum, quod additamento opus habeat, id canon dici non debeat. Nam Regula est mensura mensurans omne id, cujus est regula ac norma. Regula a. partialis non est mensura mensurans omne id, cujus est Regula.* Ideo enim *Bellarminus dicit Scripturam Regulam*

Script. S. non est regula partialis.

Regulam partialem, quod non mensuret omnes articulos fidei, quum *mensurentur* nonnulli traditionibus non scriptis. Dicet fortassis *Bellarminus Regulam totalem & partialem* nihil aliud esse quam *Regulam totam & partem Regulæ*. Ut ita *verbum Dei* statuatur *regula totalis*, verbum *scriptum & non scriptum regulæ partiales* vel *partes totius Canonis*. Verum urgemus adversus istam *regulam totalem Canonis* requisita τὸ καθ' ὁλοκληρον. Requirit *Bellarminus ut omnis norma sit corpus continuum*. Non dicam, quam *vere*, quum omninò ratio normæ maneat; *abstractâ corporis continuitate* vel etiã *uniformitate*; saltim inde argumentor contra normam totalem. *Omnis fidei norma totalis debet esse corpus continuum & uniforme juxta Bellarm. Norma fidei totalis Bellarmini*, quâ constat *Verbo DEI scripto & non scripto*, non est corpus continuum & uniforme. E. *norma totalis fidei non est norma totalis fidei. Assumptum* constat, *partim ex sententia Bellarmini*, quâ negat verbum scriptũ esse corpus continuum & uniforme: si hoc ergò multo minus *verbũ scriptũ assutũ ipsi traditionibus non scriptis* erit continuũ & uniforme: *partim e rei veritate*. Nã quo-

Regula fidei Bellarmini rejicitur

1. *quia non est corpus continuum*

modo

modo traditiones & Scripturas. possint corpus continuũ & uniforme constituere? cũ diversissima sit hujus & illarum conditio. Deinde vult Bellarminus, ut quod est norma credendorum ex fine præcipuo, debeat continere omnia & sola credenda. Atqui si verbum scriptum non proponit sola credenda vel quæ per sese pertinent ad fidem, multo minus norma ista totalis verbo scripto & non scripto constans, ut taceam traditiones non proponere credenda, vel quæ per sese ad fidem spectant, quum hoc ipsum in quæstione sit. 2. καὶ ἀληθεύειν. Normæ requisita sunt, ut sit notior mensurato, eidemq; homogenea, nec non certa & infallibilis ut & una atq; indivisibilis. Hæc autem non conveniunt normæ illi totali, quæ 1. non est notior, quàm distinctam notitiam, & τῇ φύσει ut principium cognoscendi. Nam Verbum scriptum obscurum pronunciant Papistæ. Verbum a. nõ scriptum an sit principium cognoscendi mysteria fidei, in controversiâ est. Sanè προσκαιρεῖν principij cognoscendi mysteria in verbum non scriptum haud quadrant. Debẽt enim principia cognoscẽdi esse πρῶτα καὶ ἄμεσα, ἀυτόπιστα, ἀνυπέυθυνα καὶ ἀναυπόδεικτα; quæ traditionibꝰ tribui nequeunt,

2. quia non continet solа credẽda.

3. quid non est notior mensurato.

4. quia non esset homogenea mensurato.

ut Theologi demonstrant. 2. Non est homogenee mensurato. Quæ n. datur proportio, quæ ὁμογενεία inter traditiones humanas & mysteria fidei divina? 3. non est infallibilis & certa; cum quod ipsi Pontificij nõdum inter se convenire possint de traditionibus, tum quod nullâ ratione earũdẽ infallibilitatẽ demonstrare possint. Quisquid enim ἄπερ γεγραφης dicitur in articulis fidei, dubium est & infallibile. 4. non est una & indivisibilis. Quia nõ modò alia atq; alia subinde adduntur traditiones, sed & nulla unitas datur inter id quod est divinum & quod humanum est, ut inter Scripturam S. & traditiones humanas, sed de his in Theologicis.

5. quia non est infallibilis.

6. quia non est indivisibilis.

VI. Normæ officium est directivum & correctivum.

Normæ officium est directivum & correctivum.

Loquor cum primis de normâ cognitionis cujus officium primarium est κανονικὸν directivum, h.e. cognitionem nostram ita dirigere, ut intra metas veritatis se se contineat, secundarium est ἐπανορθωτικὸν correctivum h.e. errores corrigere & emendare. Norma ergò mensurat πρώτως homogenea, siquidem omne heterogeneum sive abnorme cognoscitur ex normâ & per normã E. consequenter judicatur quoq; eâdem.

Hinc

Hinc *rectum* dicitur *index & norma sui & obliqui*: ut ineptum planè sit argumentum *Cretenseri*. *Si scriptura est norma homogenearum, E. non est norma heterogenearum hinc, errores in doctrina & cultu DEI ex Scriptura refutari non poterunt.* Contra Cretenseri.

VII. Mensuratum non debet extra mensuram suam extendi.

Mensuratum non debet extra mensuram suã extendi.

Quod accipiendum *tum* de *mensura cognitionis, tum de mẽsura perfectionis, nõ v. de mẽsura extẽsionis. Mensura* enim *quantitatis* sæpe exceditur *a mẽsurato: quũ nõ tãtum sit mẽsura quãtitativa adæquationis, sed & repetitionis. Mensura perfectionis* â mẽsurato excedi nequit. Quia mensura *perfectionis eminenter* continet omnes perfectiones mensurati. E. excedit quidem *mensuratum* sed non exceditur ab eodem. Mensura *cognitionis virtualiter* continet, quicquid secundum hanc cognosci potest. E. *mensuratum* vel omne quod cognosci potest, debet ad mensuram illam exigi posse; & proinde *nihil* erit in mensurato, quod nõ sit in mẽsurâ *virtualiter*. E quô principio redargui possunt omnia *dogmata quorũcunq; hæreticorum*, quæ nõ continentur in Script vel *explicite vel implicite*, quum absurdissimum sit *mensuratum esse & ad mensu-*

Dogmata quæ in Scriptura nõ cõtinẽtur, rejiciuntur.

mensuram suam referre non posse. Polanus in Synt. Theol. l. 1. c. 30. requirit insuper, ut norma adæquatur normato & regula adæquetur rei cui adaptatur: h. e. ut non modò non excedatur à *normato*, sed nec excedat *normatũ*. Verum hoc *per accidens* est ad rationem *normæ etiam doctrinalis*. Multa enim possunt esse in *normâ*, quæ non sunt in *normato*, dummodò nihil sit in *normato*, quod non possit exigi *ad normam*. Nam si maximè plura, quam ad rem *normandam* pertineant, contineat *norma*, nihilominus *officiũ normæ* permanet; ut licet plura cõtineatur *in jure civili*, quàm ea, quæ præcisè ad jus pertinent, tamen potest esse *norma actionum juris*. In *Symbolo Apostolico* sit *Pontij Pilati* mentio, quæ ex se & præcisè ad *salutem* necessaria non est. E. & *regula fidei* cõtinet alia, quam quæ ex se & præcisè ad fidem pertinent, & ad *salutem* necessaria sunt, ut arguit ipse *Polanus l. c. 40.* Sed hic subsistendum.

An norma debeat adæquari normato.

Subsistimus ergò, & partem generalem συνχεώτεως ἐντολογικῆς ita concludimus

GLORIA sit *Patri*, sit *Nato* GLORIA, *Sancto* GLORIA *Spiritui*, *Triadi* sit GLORIA *Sacræ*.

SYLLABUS

PARTITIONUM TRACTATUS.

Εἰσοδος

Proponens necessariam Metaphysicæ *præcognitionem* s. προγινωσκόμενα de Metaphysicæ *Existentia & Nomenclaturâ*. p. 1.

Διέξοδος

Exhibens ipsam Metaphysicæ *considerationem*. 16

SECTIO I.

in quâ

Consideratio ὑπολογίας *proœmialis*

Membr. 1. de *constitutione*, 17

& adornatione. 47

Membr. 2. de *partitione*, 57

& tractationis ordine 61

SECTIO II.

in quâ

Consideratio ὑπολογίας *Essentialis* 72

PARS

PARS PRIMA
GENERALIS
Exhibens Ens in *abstractione summâ & quæ ei per se insunt.*
TRACTATUS PRIOR,
vel
Simplex Entis *Theoria.* 74
Artic. I. Entis *præcognitio.* 75
Subs. 1. de *Nominis evolutione.* 76
Cap. 1. Nominis ENTIS *origo & significatio.* 76
Cap. 2. *Cognata* Entis *Etymologica.* 82
Cap. 3. *Cognata* Entis *Synonymica.* 105
Cap. 4. *Nominales* Entis *distinctiones.* 132
Subs. 2. de *Objecti designatione.* 169
Cap. 5. *Adæquata* Entis *constitutio.* 169
Artic. II. Entis *contemplatio* 181
Cap. 6. *Descriptio Entis.* 182
TRACTATUS POSTERIOR
vel
Attributorum Entis *doctrina.* 196
Artic. I. doctrina transcendentalium *universalis.* 196
Cap. 1. *Natura & divisio* attributorum Entis 196
Artic. II. Affection. Entis transcend. doctrina *eidikè.* 217
CLASSIS PRIMA.
Affectionum Transcendentiū *unitariū.* 217
Subl-

Subs. 1. *Universim* considerans affectiones unitas 217
Cap. 2. *Naturæ unitatis affectionum.* 217
Sub. 2. Considerans Affectiones unitas *sigillatim.* 237
Cap. 3. de *Perfectione.* 237
Cap. 4. de *Unitate.* 265
Cap. 5. de *Veritate.* 321
Cap. 6. de *Bonitate.* 341
Cap. 7. de *Durationè.* 353
Cap. 8. de *Ubigtate.* 368

CLASSIS SECUNDA

Affectionum Transcendentium disjunctarum.

Subs. 1. *Generaliter* considerans affectiones disjunctas 417
Cap. 9 de *Naturâ affect. disjunctarū.* 417
Subs. 2. *Specialiter* proponens affectiones disjunctas

SERIES PRIMA

Affect disjunct. *principales immediatæ* 424
Cap. 10. de *Necessario & contingente.* 445
Cap. 11. de *independēte & dependēte.* 452
Cap. 12. de *creato & increato.* 600
Cap. 13. de *potentiâ & actu.* 465
Cap. 14. de *principio & eo, cujus est principium.* 492
Cap. 15. de *causâ & causato.* 509

SERIES SECUNDA.

Affect. disjunct. *principales mediatæ.* 537

Cap. 16. de

Cap. 16. de *completo & incompleto.* 538
Cap. 17. de *simplici & composito.* 541
Toto & parte. 548
Cap. 18. de *eodem & diverso* 577
Cap. 19. de *Naturali & artificiali* 663
Cap. 20. de *finito & infinito* 668
Cap. 21. de *permanente & successivo.* 673
Cap. 22. de *incircumscripto & circumscripto* 676

SERIES TERTIA

Affect. disjunct. *minus principales.* 682
Cap. 23. de *Absoluto & Respectivo* 684
Cap. 24. de *Subjecto & Adjuncto.* 691
Cap. 25. de *Signo & Signato.* 720
Cap. 26. de *Imagine & Exemplari.* 738
C. 27. & ultimū de *Mēsura & mēsurato.* 764.

ERRATA.

Pag. 11. l. 9. pro influxum lege effluxum *p. 65. l. 5. post hoc. minus infere hoc:* ita *p. 65. l. 10 pro complexa lege* incomplexa *p. 109 l 20. pro aliam lege* aliquam *p. 197. l. 20. post vocem formaliter adde* non *p. 241 l. 20.* causa est *delentur. p. 540. l. 7. pro repugnantiæ lege* non repugnantiæ. *p. 545. l. 15. pro potest lege* non potest. *p. 610. l. 23. pro maximalis lege* formalis *p. 618. l. 20. pro distingui vel esse plures res lege* non distingui realiter, vel non esse plure res. *p. 689. l. 9. post vocem Spiritus Sancti adde hæcce:* est procedere, Relatū est Pater, correlatum est Filius, Spiritus Sancti est. *p. 691. l. 8. adde post hoc. realiter oppositæ* subsistentes. *p. 701. l. 20. pro distinctionem lege* definitionem.

Cætera Lector benevole pro candore tuo emendabis.

Ποείσμα

I. Omnis im… exemplari.

Omnis imago similis est exemplari

Includitur enim … mali conceptu imagi… a. est similitudo laxé v… torum. Inde non licet… phitis inferre; quum ho… quod Deus sit corpore… gubino in Cosmopœia: … 1. somniare quod Deus… serit formam in ho… quia fit processus â no… stributum: ab imagit… ad similitudinem in s… quoq; porismatis esse p… cios, qui ineptissimè … in quibus nulla planè … quod repræsentare de… ut a. in omni typo (q… go quædam præfigur… tativa sui antitypi) … quod sit causa cur alic… præsentatio sc. antity… tia cum eodem, ita n… pũ quã talem, vel ident…

Non omnis imago infert similitudinem substantia.

Contrà Anthropomorphitas

Notantur Pontificiorum imagines.

Typus quid.

E…

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729046516/phys_0831
DFG